
Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/praelectionesmet0000nico

PRAELECTIONES
METAPHYSICAE SPECIALIS

PARS II.

DE VIVENTIBUS seu PSYCHOLOGIA

AUCTORE

NICOLAO MONACO S. J.

Olim in Pontificia Universitate Gregoriana Philosophiae Professore

EDITIO TERTIA
EMENDATA ET EXPOLITA

ALMA COLLEGE
150.2
LIBRARY
M741
Alma, (Cal.)

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
Via del Seminario, 120

1929

22450

IMPRIMI POTEST

PIERTO BOETTO S. J.
Praepositus Provinciae Romanae.

I. S.

IMPRIMATUR

JOSEPH PALICA
Archiepiscopus Filippensis Vicesgerens

AUCTOR SIBI VINDICAT IUS PROPRIETATIS

TIP. CONSORZIO NAZIONALE — Via E. Q. Visconti, 2. — ROMA.

LECTORI SALUTEM

Tertiam hanc editionem expolire et emendare curavi, ut quasdam quaestiones magis concinne at clarius simul ac magis ordinate proponerem : eas praesertim quae circa vitae originem et transformismum, necnon eas quae circa cognitionem agitantur.

Semper autem vestigia premere conatus sum *Aristotelis*, *SS. Patrum*, *Scholasticorum* ac praecipue Angelici Doctoris, Manet enim *alta mente repositum* principium illud tam sapienter a S. P. Leone XIII enunciatum. « *Sic statuite, tanto meliorem disciplinarum fore rationem, quanto ad doctrinam Thomae Aquinatis propius accesserit* » (1).

Curavi igitur immediate attingere *auream S. Thomae sapientiam* ex eius operibus. « Sapientiam S. Thom. dicimus : ut cum eodem S. P. prosequar (2), si quid enim a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae imitandum proponi ». Quinimmo etiam tunc ostendere adnisus sum, principia metaphysica a S. Thoma proposita minime nutare, ac sarta in suo robore adhuc manere.

(1) Epist. ad Archiepiscop. Mechliniensem, a. 1888.
(2) Encycl. « *Aeterni Patris* ».

Ita sane probe curavi, ut quemadmodum S. P. X praescripsit, *sancte inviolateque servarentur posita ab Aquinate philosophiae principia.*

Hac ratione occurrendum censui praecipuis Modernistarum erroribus, ex transformismo et idealismo depromptis. Nec difficile fuit repugnantiam ostendere transformismi athei et universalis ; imo sicut omne vivum est ex vivo, et omnis cellula ex cellula, ita nullum vivens in alteram speciem naturalem unquam transformatum invenitur, ut ex remotissima experientia et ex geologia ac palaeontologia satis colligitur.

In vita autem cognoscitiva, in tuto posita origine simplicium conceptuum per abstractionem a rebus sensibilibus, originem quoque ac naturam iudiciorum explicare aggressus sum, ut eorum omnium obiectivus valor palam et intime intelligeretur, atque adeo funditus everterentur idealistarum commenta.

Si quid igitur boni in hoc opere invenias, nonnisi huic tanto Doctori tribuas velim, hoc uno contentus, quod mihi quoque contigerit adlaborare ad eius sapientiam restaurandam, illustrandam, fovendam in bonum tum scientiae tum etiam fidei. Vale.

Nicolaus Monaco S. I.

INDEX

Pag.

Prooemium 1-12

1. Tractat. ratio — 2. Praenot. histor. — 3. Pars experim. — 4. — Psych. defin. et obiect. — 5. Psych. et scientiae natur. — 6. Method. procedendi. — 7. Fontes et princ. psych. — 8. Princ. fundam. — 9. Psych. praest. — 10. Psych. partitio.

CAPUT I. — **De vita in genere et de vegetativa in specie** 13-211

ARTICULUS I. — **De vita in genere** 14-69

12. Quid sit vita.

THESIS I. — Vivens recte definitur: substantia capax movere seipsam, seu immanenter agere 15-22

13. Explic. term. — 14. Pr. th. — 15. Solv. diff. — 16. Schol. De distinct. inter action. imman. ac trans.

THESIS II. — Operatio immanens est vita in actu secundo realiter distincta a vita in actu primo, quae est ipsa essentia substantialis vivens 22-26

17. Vita in actu sec. — 18. Advers. — 19. Pr. th. — 20. Coroll. — Princip. subst. vitae videtur realiter distingui a suis viribus. II. Tantum vita in actu sec. est de se sensibilis. III. Et proprium obiect. scientiar. experim.: vita in actu primo est obiect. metaph.

THESIS III. — Omnis vita requirit in vivente distinction. saltem rat. inter part. movent. et motam; si autem exercetur dependenter a materia, exigit etiam organismum 26-29

21. Quid organismus. — 22. Pr. th. — 23. Obiect.

THESIS IV. — Ergo omne corpus organicum est vivens et corpus anorganicum est non vivens 29-34

24. St. q. — Praen. hist. — 25. Pr. th. — 26. Obiect. — 27. Coroll.

THESIS V. — Ergo viventia a non vivent. specif. differunt 34-39

28. St. q. — 29, 30. Pr. th. — 31. Obiect.

THESIS VI. — Certissime agnoscendi sunt in vivent. tres vitae gradus essentialiter inter se diversi, vitae nempe vegetativae, sensitivae et intellectivae 39-44

Pag.

32. St. q. — Praen. hist. — 33. Pr. th. — 34. Obiec. — 31. Coroll. — quatuor gradus entium apprime inter se diversi in hoc mundo distinguuntur, nempe regnum miner., veget., animale ac spec. humana.

THESIS VII. — Potentiae in se specificantur immediate per actus et mediate per obiecta 44-48

36. St. q. — 37. Pr. th. — 38. Obiect. — 39. Coroll. Merito distingui possunt quinque genera potentiarum animae, nempe vegetat., sensit., intellect., appetit. motivum secundum locum. — 40. Vita in actu primo.

THESIS VIII. — Omne vivens quod uno gaudet organismo est individuum per se unum, non autem colonia cellularum, quae vita propria et independente gaudent . 48-58

41. St. q. — 42. Pr. th. — 43. De animal spongiariis. 44. De hydris et plantis insitis. — 45. Obiect. — 46. De Sang. et Lympha.

THESIS IX. — Unitati subst. viventis nullo modo officit heterogeneitas et imperfecta continuatio partium . 58-69

47. St. q. — 48. Quid contin. late dictum. — 49. Pr. th. — 50. Ergo nullum corp. organic. est cont. stricte dictum. — 51. Obiect. — 52. Ergo operatio vitalis est stricte immanens. — 53. De definit. essent. vitae. — 54. Conclusio.

ARTICULUS II. — **De vita vegetativa** 69-107

55. Quid vita veget. — 56. De cellula. — 57. De organismo anim. — 58. De organ. plant. — 59. Diversae sent. — 60. Sent. vera 69-80

THESIS X. — Phaenom. vitalia necess. expostulant princip. aliquod formale, distinct. a materia et ab ipsis viribus mechan. et chimicis. elem., quibus vivens constat . 80-85

61. Prob. thesis. — 52. Obiect.

THESIS XI. — Princip. form. vitae non est ens aliquod simplex materiae assistens, sed vera forma subst. primo actuans mater. prim., cui dat esse et vivere, et advenit statim ac semen est foecund. et propriam habet vitam 86-96

63. St. q. — 64. Praen. hist. — 65. Pr. th. — 66. Obiect. — 67. Pr. III P. — 68. De mente S. Th. circa existent. animae in semine. — 69. Obiect.

THESIS XII. — Ergo anima recte definitur cum Aristotele « actus primus corporis phys., organ., potentia vitam habentis », et est forma subst. vivent. specifice differens a forma subst. mineralium 96-99

Pag.

70. St. q. — 71. Pr. th. — 72. Obiect. — 73. Cor. I De differ. vivent. a non vivent. II. Ergo anima est formaliter simplex et virtual. extensa.

THESIS XIII. — Anima plantar. et animal. imperfectior. est divisibilis per accid. ad decision. compositi . . . 100-103
74. De Divisib. animar. in plant. et animal. — 75. Pr. th. — Operationes vitae vegetat.

THESIS XIV. — Operat. propriae vitae veget. ad tres reduci possunt; ad nutrit., augment. et generat., quarum generatio est praecipua ratione finis 103-107
76. Pr. I P. — 77. Obiect. — 78. Pr. II p. — 79. De distnct. potent. vitae veget. — 80. Conclusio.

ARTICULUS III. — **De vita Plantarum** 108-129
81. Praen. histor. — 82. Elementa plant.

THESIS XV. — Plantae vera gaudent vita vegetat. . . . 110-114
83. Adversarii. — Pr. th. — 84. Obiect. — 85. Cor. De distinct. plantar. a mineral., et de earum anima vegetativa.

THESIS XVI. — Anima plantar. producitur non per creat, sed per generat. vi cuius ipsa educitur de pot. materiae, atque adeo corrumpitur per corruption. eiusdem materiae 114-118
86. St. q. — 87. Plures gener. modi. — 88. Pr. th. — 89. Obiect. — 90. De temp. ac modo, quo anima producitur.

THESIS XVII. — Peracta foecund., habetur vera transform., qua cell. foecundata desinit informari anima parent. et nova anima actuatur, quae producitur vi ipsius actionis foecund. 119-126
91. Pr. th. — De generat. fissip., et gemmip. — 92. Obiect. — 93. De phaenom. haeredit. — 94. De carentia sensationis in plantis.

THESIS XVIII. — In plantis nulla reperitur vita sensit. . 126-143
95. Pr. thes. — 96. Obiect. — 97. Conclusio.

ARTICULUS IV. — **De origine seu generatione vitae** . . . 129-145

THESIS XIX. — Generatio spontanea prout a recentioribus proponitur, repugnat rationi et multis scatet absurditatibus 132-138
98, 99. Praen. hist. — 100. Pr. I. P. — 101. De sententia scholastic. — 104. Pr. II P. — 103. Obiectiones.

THESIS XX. — Generatio spontanea omni prorsus opponitur experientiae 138-145
104. St. q. — 105. Pr. th. — 106. Nota. — 107. Obiect.

Pag.

Articulus V. — **De transformismo seu de theoria Descendentiae** 145-211

108. Hist. quaest. — 109. Doctr. Lamarck, Darw. — 110. Doctr. Haeckel. — 111. Transform. moder. — 112. Doctr. Spencer. — 113. Diversae quaest. 145-152

Thesis XXI. — Transform. atheus et univers., praesertim uti statuitur ab Haeckel et Spencer, omnino repugnat 152-160
114. Pr. th. — 115. Sent. Haeck. directe refut. — 116. Iudic. fertur de sent. Spencer. — 117. Obiect.

Thesis XXII. — Supposito Dei influxu una cum vir. ab ipso Deo materiae inditis, potuisset haberi, absolute loquendo, prima specier. productio per evolut. materiae, sive ideal., sive activ., sive passiv. 160-168
118. St. q. — 119. Pr. I P. — 120. Pr. II P. — 121. Sent. S. Aug. — 122. Pr. III P. — 123. Quaenam ex istis hypoth. videtur probabilior.

Thesis XXIII. — Quamvis metaph. loquendo non appareat repugnare transf. mater. unius speciei in aliam, physice tamen spectata, iuxta vires, quibus naturae rerum ornantur, repugnare videtur 168-173
124. St. q. — 125, 126. Prob. thes.

Thesis XXIV. — Transform. mater. unius speciei in aliam omni experientiae hucusque habitae prorsus refragat. 174-184
127. St. q. — Dist. specier. — 128. Quid spec. physiol. — 129. Quid stirps. — 130. Pr. th. — 131. Confirmatur auctor. scient. cultor.

Thesis XXV. — Palaeontologia aperte ostendit nullam unquam adfuisse veram et iugem transformationem . 184-204
132. St. q. — 133. Praen. hist. — 134. Pr. th. — Concl. — 135. De lege biogenet. — 136. Obiect. — 137. Iudic. fertur syst. Lamark. Darw. et Haeckel. — 138. De mutatione quarundam spec. systemat.
139. Assert. Admitti potest mutatio specier. systemat., dummodo ipsae non pertineant ad diversas species naturales 204-207
140. De unitate humanae speciei. — 141. Concl. general. de transform. — 142. Totius capitis conspectus 207-211

Caput II. **De vita sensitiva** 212-361

143. Divisio capitis in 5 articulos.

Articulus I. — **De cognitione in genere** 212-255

Thesis XXVI — Cognitio est operatio, qua cognoscens recipit in se rem cognit. intentionaliter, i. e. non sec.

Pag.

esse reale, sed sec. aliquod esse repraesent, quod merito dicitur intentionale 213-220
144. St. q. — 145. Quid coniunctio. intent. — 146. Patroni et advers. — 147. Pr. th. — 148. Coroll. Cognosc. sunt perfectiora. — II Cognitio est operatio vitalis.

Thesis XXVII. — Cum omnis facultas cognosc. creata non habeat actu formas rer. quas cognoscit, passiva dicenda est. Requiritur ergo quod ab ipso obiecto determinetur, ut reducatur ad actum cognit 221-225
149. St. q. — 150. Pr. th. — 151. Coroll. reiicitur ideal. subiectivus.

Thesis XXVIII. — Facultas cogn. non determinatur ab obiecto per solam ipsius praes., sed vel per immed. coniunct., vel per eius actionem in facult. 226-229
152. St. q. - Praen. hist. -- 153. Pr. th. -- 154. Coroll.

Thesis XXIX. — Cognitio habetur per spec. intent. quae non est id « quod » cognoscitur, neque id « in quo prius cognito res cognosc.», sed est id quo fac. actuatur in ordine intent. et ipsas res directe apprehendit. 229-235
155. Praen. hist. — 156. Quid species. — 157. Pr. th. — 158. Quid immed. referunt sensus. — 159. Coroll. — 160. Obiect.

Thesis XXX. — Species est similis rei quoad id quod repraes., non quoad mod. quo est, et ita actuat potent., ut haec per ipsas constituatur formal. cognoscens . . 236-251
161. Nat. et origo speciei. — 162. Pr .th. — 163. Doctr. S. Th. et Caiet. — 164. Concl. — 165. I. De relat. inter spec. impress., actum cognit. et spec. express. — 166. II. De concursu spec. impr. ad cogn. — 167. Obiect. — 168. Coroll. — 169. Concl. Cognit. essentia. — 170. Coroll. — 171. Ess. cognoscentis.

Thesis XXXI — Princip. cognosc. nequit esse materia, sed est forma seu anima ab ipsa plane distincta, ac perfectior anima veg. 251-254
172. St. q. — 173. Pr. th. — 174. Coroll. Cognosc. constant forma substant. perfectiori. — 175. Concl.

Articulus II. — **De cognitione sensitiva** 255-280

Thesis XXXII. — Sensatio est vera cogn., in qua sensus percipit obiect. singul. et concret., a quo afficitur . . 255-262
176. St. q. — 177. Pr. th. — 178. Obiect.

Thesis XXXIII. — Ad habendam sensat. necessario prae-

Pag.

requitur actio obiecti tum phys. in organ., tum psych. in facult. cum organo coniunctam. 262-266
179. Praen. hist. — 180. Pr. th. — 181. Obiect.

Thesis XXXIV. — Sensatio non est simplex receptio action. obiecti, nec mera mutatio mech., phys. vel chim., sed est actus vital. cognosc., quo ipse intention. repraesentat obiect., a quo allicitur 266-270
182. Stat. q. — 183. Prob. th. — 184. Obiect.

Thesis XXXV. — Sensatio non est actus solius animae sed compos., et ideo pot. sensit. sunt in comp. tamquam in sub., seu agunt cum intrins. dependentia a materia 270-275
185. St. q. — 186. Pr. th. — 187. Ob. — 188. Cor. I Apparet ratio intr. cur fac. sensit. versetur circa obiect. sing. — II Pot. sens. non manent actu in anima separ. — 189. Ordo rer.

Thesis XXXVI. — Quamvis sens. haberi nequeat, nisi sensus communic. cum cerebro, certum tamen est, ex ternas sensat. perfici in org. propriis singular. facult. 275-280
190. St. q. — 191. Pr. th. — 192. Obiect. — 193. Concl.

Articulus III. — **De obiecto sensuum** 280-307

194. St. q. — 195. Praen. hist. doctr. antiq. ac Novat. — 196. Doctr. schol. ac recent. — 197. Statuitur sententia defendenda 280-286

Thesis XXXVII. — Obiect. sensuum nostr. etiam color, calor et sonus existit in rebus non ut purus motus loc. nec tantum causal. ac dependens formal. a peculiari activitate facultatum 286-293
198. Pr. th. — 199. Obiect. — 200. Pr. III P. — 201. Obiect.

Thesis XXXVIII. — Color, calor et sonus exist. in rebus non ut qual. simplex inhaer. ipsis corp., sed ut aliquid exurgens ex viribus propriis horum corpor. et ex motu ab eis product., quod proprium immutat organ. . 294-307
202. St. q. — 203. Doctr. vet. — 204. Theoria recent. — 205. Pr. th. — 206. Cor. - Ob. sensuum est form. in rebus. — 207. Obiect. — 208. De ob. proprio, comm. et per accidens. — Concl.

Articulus IV. — **De natura singulorum sensuum** 307-335

209. Ordo r. — 210. Struct. org. sens. — 211. Org. tactus. — 212. Alia organa 307-311

Thesis XXXIX. — Rite quinque sensus externi spec. inter

Pag.

se diversi distinguuntur: tactus, gust., odor., audit, ac visus 312-315
213. Pr. th. — 214. Obiect. — 215. De sexto sensu.

Thesis XL. — Agnoscenda est facult. sens., quae sensus communis. appell., cuius propr. ob. est percipere ac inter se discernere divers. sensat. sensuum ext. et residet in cer. ut in proprio organo 315-320
216. Quid sensus commun. — 217. Pr. th. — 218. Obiect. — 219. De sensu intimo.

Thesis XLI. — Agnoscenda est etiam phantasia, cuius propr. ob. est reproducere ac percipere sensat. ac sensata sens. extern. etiam in eorum absentia, quae in eodem cerebro residet 320-328
220. Quid phant. — 221. Pr. th. — 222. I De distinct. phant. a sensu comm. — 223. II De somniis. — 224. De aestim. et cogitat., de instinctu. — 225. De mem.

Thesis XLII. — Tandem agnoscenda est tunc fac. sensit., quae aestimativa vocatur, et percipit intent. aliq. singul. non de se sensib., sed annexom obiecto sensib.; tum fac. quae sensat. omnium sens. retinet et praeterita percipit, ac memoria nuncupatur 328-335
226-227. Pr. th. — 228. De reminisc. — 229. Ergo merito disting. quatuor fac. intern. — 230. De org. seu de sede cerebrali horum sensuum. Concl.

Articulus V. — **De brutis animantibus** 335-360

Thesis XLIII. — Bruta anim. non sunt mera automata, sed praeter veg. vera gaudent vita sensit., quae exercetur per veram cognit. sensitivam 336-342
231. St. q. — 232. Pr. th. — 233. De appetitu sensit.

Thesis XLIV. — Agnoscendus est in brutis anim. appetitus sensit. uti fac. ab aliis realit. distincta 342-345
234. Pr. th. — 235. De organo appetitus sensit.

Thesis XLV. — Organ. elicit. appet. sensit. est centrum systematis nervei, in cer. residens; cor autem est eius organ. manifestativum primar. 345-352
236. Expl. — 237. Pr. — 238. Coroll. — 239. Obiect. 240. De fac. locom.

Thesis XLVI. — Bruta an. nullo modo gaudent vita intell. 352-357
241. Stat. q. — 242. Prob. th. — 243. Obiect.

Thesis XLVII. — In brutis praeter mater. organ. agnoscenda est anima formal. sensit., quae est eius forma subst. et unica 357-362

Pag.

244. St. q. - Pr. — 245. Cor.: I. Ergo anima brut. non est spirit. — II. Non est terminus creat. — III. Bruta anim. specifice diff. a plant. — 246. Totius cap. recapit.

CAPUT III. - **De vita intellectiva** 362-381

247. Introd. Divisio in 6 artic.

ARTICULUS I. — **De facultate intellectiva eiusque obiecto** 363-388

THESIS XLVIII. — Est in hom. facult. intell. cuius ob. proportion est quidd. abstr. a rebus sensib. et adaeq. est omne ens 363-370

248. Ordo r. — 249. St. q. — 250. Explic. — 251. Pr. th. — 252. Obiect. — 253. Corol.

THESIS IL. — Intellect. noster primo concipit quidditat. rerum material. sub ratione entis commun. 370-396

254. St. q. — 255. Pr. th. — 256. Obiect. — 257. Cor. I. magis univ. cognoscitur prius quam minus univ. — II. res prorsus immat. intell. nequit percipere nisi per anal. ad res mat. — 258. De cognit. singul.

THESIS L. — Intell. noster cognoscit singulare mat. conceptu proprio ac dist. prout apprehend. phantasma ut subiect. sing. alicuius naturae univ. cognitae per abstract. ab ipso 376-381

259. St. q. — 260. 261. Pr. th. - Ob. — 262. Utrum cognoscat directe.

THESIS LI. — Intell. est facult. spirit., quae nempe non pendet intrins. a mat. in essendo et operando . . . 381-388

263. St. q. - 264. Pr. th. — 265. Obiect. — 266. Ergo intell. differt a sensu. — 267. Concl.

ARTICULUS II. **De origine conceptuum simplicium** . . 389-427

THESIS LII. — Intell. noster intelligere nequit, nisi determinétur a rebus per spec. ab earum phantasm. abstractam 391-396

268. Ordo rer. — 269. Praen. hist. — 270. St. q. — 271. Pr. th. — 272. Obiect.

THESIS LIII. — Cum phantasma. sit solum in pot. intelligib., agnoscenda est in anima vis quaedam spirit., intellectus agens rite nuncupata, quae ipsum reddat intelligibile actu 397-402

273. St. q. — 274. Munera intell. ag. — 275. Pr. th.

THESIS LIV. — Intell. agens reddit phant. actu intellig.

Pag.

quatenus ipsum ita illuminat, ut abstrahat efficienter spec. intelligib., quin ullo modo ipsum immutet . . 402-416
276. St. q. — 277. Pr. th. — 278. Ergo merito dici potest, quod intell. ag. est causa princip. et phant. causa instrum. — 279, 280. Obiect. — 281. De distinct. intell. agentis a possibili. — 282. Concl. — 283. Falsa system.

Thesis LV. — Empirismus prout proponitur a mater., sens. et positiv., origin. omnium concept. nostr. non explic., sed potius pessumdat 417-419
284. Pr. th. — 285. Obiect. — 286. De ideis innatis.

Thesis LVI. — Nullae dantur ideae innatae in intell. hum. nec per eas origo omnium concept. explicari potest. 420-427
287. Pr. th. — 288. Contra Rosm. — 289. Obiect. — 290. De aliis systemat. — 291. Conclusio.

Articulus III. **De origine conceptuum compositorum** . 427-473

Thesis LVII. — Primum iudic. efformatur per experient., in qua primo componitur quidditas, cognita in simplici apprehens., cum sub., item cognito indeterm. modo, a quo abstracta fuerat 428-431
292. Ordo rer. — 293. St. q. — 294. Pr. th. — 295. Coroll. 4 circa ordin. iudicior. et obiectivum valorem eorundem.

Thesis LVIII. — Posito primo iudicio indeterm., intell. ex experientia alia colligere potest, quibus semper melius determinatur ratio subiecti ac praed., et ita alii conceptus compos. efflorescunt 431-437
296. Pr. th. — 297. Obiect. — 298. Coroll. 4 circa modum quo fiunt iudicia analyt. — 299. Vitium doctr. Kant; eius methodus reiicitur.

Thesis LIX. — Alia via ad cognit. perficiend. est analysis, in qua simul conferendo priora iudicia per exper. habita, ope princ. ident. ac discrep., alios conceptus compos. et, ope princ. causalit., concept. omnino novos nobis comparamus 437-443
300. St. q. — 301. Pr. th. — 302. Obiect. — 303. Coroll. 3 c. iudicia synth. a priori et c. positiv. — 304. I De modo quo primo intell. efformat princ. ident. et causal. — 305. II Quom. perficiatur cogn. alicuius determ. quidd. spec. — 306. III Quom. anima cogn. seipsam.

Thesis LX. — Intellectio est oper. vit. imm. in gen. qual. quae real. distinguitur ab intell., a quo procedit, et cuius terminus est spec. expr. seu verbum 444-456

Pag.

307. St. q. — 308. Quid verbum. — 309. Prior. verbi et intell. — 310. Pr. th. — 311. Obiect. — 312. De dist. verbi ab intell. — 313. Ass.: Probabilius videtur, verb. distingui ab intell. tantum rat. cum fund. in re. 314. — Quom. disting. ratione: obiect.

Thesis LXI. — Intrins. ratio intell. stat in actu. quo intell. intention. repraesentat rem cognit., iste autem actus est imperf. in simpl. apprehens. et perfectus in iudicio componente 456-463
315. St. q. — 316. Pr. th. — 317. Coroll.: I quom. disting. actus simpl. apprehens. et iudicii. — II quid apprehensio iudicativa. — 318 iudicia ex cacco naturae istinctu repugnant. — 319 Iudic. non est actus volunt. sed intell.

Thesis LXII. — In anima intell. agnoscendae quoque sunt, consc., memoria et ratio, quae tamen non disting. real. ab intellectu 463-473
320. Decl. I. P. - Cor.; patet intima ratio cur testim. consc. sit infall. — 321. Decl. II P. De conserv. spec. — 322. Decl. III P. — 323. Pr. IV P. — 324. I De intell. practico. — II De Synder. ac sensu pract. — 325. Coroll. II. — 326. Conclusio.

Articulus IV. — **De appetitu intellect. seu de voluntate** . 474-512

Thesis LXIII. — Adest in hom. appet. intellect. nempe voluntas, cuius obiect., adaeq. est bonum apprehens. per intellect. 474-477
327. Quid volunt. — 328. St. q. — 329. Pr. th. — 330. Coroll. Volunt. nequit ferri in mal. ut sic.

Thesis LXIV. — Bonum est finis ult., in quo volunt. necess. tendit, et in cuius consecut. consistit ipsius felicitas 477-485
331. St. q. Necess. intrins., felic. — 332. Necess. a coact. Necess. finis. — 333. Pr. th. — 334. Obiect. — 335. Cor. de modo quo tendit ad media in fin. — De modo quo intell. movet volunt. et vol. intellect. et alias facult.

Thesis LXV. — Homo gaudet plena libert. circa bona particul. 485-510
336. Decl. — Indiff. obiect., sub. et act. — 337. Lib. in actu primo et in actu sec. — Lib. pecc. — 338. Praen. hist. — 339. Pr. a priori. — 340. Obiect. — 341. Pr. a post. — 342. Ob. ex princ. caus.; ration. suff.; ex limit. vol.; ex appet. sens.; ex inclinat. homin. 343. I. De influxu appetitus sensit. in intell. — 344.

Pag.

De domin. volunt. in appet. sensit.; est politic. et non despoticum. — 345. Corollaria. — 346. II. De passionibus et affection.: de concupisc. et irascib.; earum obiectum. — 347. De bonit. ac malitia passion. — 348. III. De possibilit. peccandi. — 349. De falsa libertate.

THESIS LXVI. — Ergo voluntas est facultas spiritualis, quae essentialiter differt ab appetitu sensitivo . . . 510-512
350. Pr. th. — 351. Obiect. — 352. Conclusio.

ARTICULUS V. — **De natura animae humanae** 512-532

THESIS LXVII. — Agnoscenda est in homine anima substantialis non modo simplex sed etiam spiritualis, quae proinde a corpore realiter distinguitur . . . 513-515
354. Prob. thesis. — 355. Obiect.

THESIS LXVIII. — Anima hum. est natura sua immortalis 515-522
356. Explic. — 357. Prob. — 358. Obiect.

THESIS LXLX. — Anima hum. non producitur per emanationem e Dei subst., neque per traducem vel per generat. a parentibus, sed per immediatam Dei Creationem 522-528
359. Praen. hist. — 360. Pr. th. — 361. Obiect. — 362. Coroll. Transform. nequit extendi usque ad animan hum. — 363. De sent. Rosminii. — 364. De tempore quo anima humana creatur.

THESIS LXX. — Certum est animam tunc creari, cum corpori infunditur, probabilius tamen videtur infundi in primo instanti conceptionis 529-532
365. Pr. I p. — 366. Ob. — 367. Pr. II p. — 368. Concl.

ARTICULUS VI. — **De unione animae cum corpore** . . 532-581

369. De unit. princ. viventis. Praen. hist. — 370. Vera sententia.

THESIS LXXI. — In homine unum adest vitae principium, anima nempe intell., quae est simul sensit. et veget. 534-540
371. Pr. th. — 372. Ob. — 373. Unio animae cum corpore.

THESIS LXXII. — Anima ita unitur corpori, ut cum eo constituat unam subst. individ., quae homo appellat. 540-545
374. Prob. thesis. — 375. Obiect.

THESIS LXXIII. — Ergo anima unitur corpori, tamquam forma substant., seu anima est vere, per se, essentialiter et immediata corporis forma 545-556

Pag.

376. St. q. — 377. Pr. th. — 378. Ob. — 379. I. De forma corporeit. — 380. Cor. Anima unitur ipsi mat. primae. — 381. II. Utrum anima suum esse corp. commun. — 382. De falsis sent. Syst. influxus phys.; causar. occasion.: harmon. praestabilitae: Rosminii.

THESIS LXXIV. — Systemata influxus physici, assistentiae, harmoniae praestab. et perceptionis sensationis union. animae cum corp. non explicant, sed destruunt et multos in se continent errores 557-560

383. Pr. th. — 384. Reiiciuntur directe diversa system. — 385. De multiplc. animar.

THESIS LXXV. — Anima hum. numerice multiplicatur pro singulis corp. quibus infunditur, ratio huius multiplicat. repetenda est ex ordine transc. cuiusque animae ad suum corpus 560-563

386. Pr. th. — 387. Ob. — 388. Ergo reiicienda est exist. anim., praevia ad inform. corp. — 389. Ergo repugnat metemps.

THESIS LXXVI. — Ergo identitas hominis servat. non per consc. identic. unitat., sed per identit. animae, quae nunquam in se mutatur, et semper actuat corp. ei proprium 564-571

390. St. q. — 391-392. Pr. th. — 393. L. Ergo ident. hom. ex spiritu praecipue repetenda est. II. Ergo novum habetur argum. ad demonstr. exist. animae spirit. — 394. Ob. — 395. De specifica hom. unit.

396. Homo specifice differt a brutis anim.

397. *Assertum*: Ex inquisit. recentior. praesertim ex palaeont. deductis evidentius apparet corpus hum. nullo modo per evolut. ortum fuisse 571-573

THESIS LXXVII. — Anima est tota in toto corp. et tota in singulis part. totalit. essentiae, sed non totalit. virtutis 574-581

398 De sede animae. — 399. Pr. th. — 400. I Ergo unaquaeque pars hom. nequit dici homo. — II Ergo anima quoad virtut. principalius residet in cerebro et in corde. — III Ergo virtus intell. non est in corp. sed in sola anima. — 401. Ob. — 402. Concl. gener.

Index alphabeticus nominum et rerum 582-591

METAPHYSICA SPECIALIS DE VIVENTIBUS

SEU

PSYCHOLOGIA

PROOEMIUM.

1. **Tractationis ratio.** — Pervulgata est apud omnes homines divisio entium sensibilium in corpora *organica* et *anorganica*, item in *viventia* et *non viventia*. Et si forte quidam adsint, qui omnia corpora etiam anorganica vivere comminiscuntur, nemo certo extat, qui vitam deneget corporibus saltem organicis.

Iamvero omnes pariter in eo conveniunt, ut ea corpora vivere dicant, quae activitate gaudent *sese movendi*, et quae proinde valent sese mutare, perficere, generare ac multiplicare per virtutem sibi intrinsecam. Huiusmodi motus vel actio, qua haec corpora sese perficiunt, vocatur *vita*; virtus, seu principium illud intrinsecum, ex quo iste gignitur motus, appellatur *anima* (ψυχή), et *vivens* seu *animatum* dicitur *corpus* ipsum, quod hunc exerit motum. Recte ideo Cicero (1) ait: « Inanimum est, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animal (*adiectivum seu animale*), id motu cietur interiore et suo ».

Qua de re pars illa metaphysicae specialis, quae de Viventibus pertractat, inquirendo in eorum principia, naturam et operationes, merito ab Aristotele hunc habuit titulum περὶ ψυχῆς seu « de Anima », quo pariter Suarez suum inscripsit tractatum: item Toletus scripsit Commentarium in tract. Arist. *De Anima*. Unde iure deinceps nomen ei factum est Psychologia (ψυχή, λόγος), quod prius a Melanchtone usurpatum videtur, dein a Wolff in Germania, ac tandem saeculo elapso commune evasit.

(1) *Tuscul.* I, 23.

2. **Praenotiones historicae.** — Universo hominum generi a primis eorum initiis, persuasum erat, in omni re vivente praesertim in homine adesse animam, ex qua procedant actiones vitales, a corpore distinctam; et mortem viventium tunc haberi, quum corpus suam amittit animam, et in eo cessant operationes vitales. Quae doctrina communis erat non modo apud Hebraeos, quibus ex revelatione quoque divina confirmabatur, verum etiam apud Indos et graecos tum ante Homeri aetatem tum postea. Eisdem etiam ratum erat, post mortem animam poenis vel praemiis affici, prout homo antea bene vel male se gesserit. Plures etiam tuebantur transmigrationem animarum per diversa corpora, quam *metempsychosim* appellabant.

Pythagorici fusius in animam inquisierunt, eiusque operationes praesertim cognitionis sensitivae ac intellectivae explicare conati sunt. Hinc quidam eam dixerunt harmoniae principium, alii numerum se moventem, alii effluvium animae mundanae (1). Quum de eius sede disquisitio fieret, quoniam propria eius natura nondum perspecta habebatur, plurimi eam in cerebro collocabant, ut explicarent operationes cognoscitivas, nonnulli vero in sanguine, vel in corde, vel in pectore ad vegetativas melius explicandas.

Socrates melius prae ceteris de anima locutus est, eius immortalitatem clarius tuendo. Hinc eius discipulus *Plato* multa disseruit de anima, ita ut unam animam agnosceret veluti universalem, quae toti mundo inesset, eique impertiret vitam, harmoniam ac motum. Praeter eam animas particulares agnoscebat, quas omnes docebat a corpore esse independentes in eoque inclusas tamquam nauta in navi. — *Aristoteles* tandem hunc conceptum expolivit ac perfecit, denegando hanc animam universalem ceterasque omnes ideas universales, quas Plato tuitus erat, et experimentali rerum inquisitioni perspicacem navans operam, ostendit non existere nisi animas singulares in rebus singularibus, ex quibus intellectus noster conceptum animae universalem sibi comparat. Item docuit animam cum corpore unam constituere substantiam, et hominem non esse animam corpore utentem, sed unum animal rationale, quod proprie vivit, sentit, intelligit (2).

Ecclesiae vero Patres ac Scholastici, hunc animae conceptum

(1) Cfr. Siebeck, *Geschichte der Psychologie* I (Gotha 1880), p. 66...; Zeller, *Die Philosophie der Griechen* I (ed. 3) p. 56...

(2) Scite advertit Siebeck (l. c., p. 13), Aristotelem verum hominis problema rite statuisse, et etiam solvisse: « Mit dieser Bestimmung ist das lange gesuchte Wort des Räthsels gefunden. Nach ihm suchte in der That schon Plato, wenn er die Seele nicht als Idee fasste, wohl aber als Princip des Lebens für die Erscheinungswelt... Aristoteles findet das Wort, indem er auf Grund seiner feinsinnigen empirischen Beobachtung die Thatsache des organischen Lebens, des beseelten Leibes als ein Problem für sich erfasste... ».

multo accuratius perfecerunt, diversas animas viventium distinguentes, propriasque cuiusque rationes rite statuentes.

Profecto eorum doctrina communis omnibus erat, quousque recentiore aetate, auctore Cartesio, fundamentalibus principiis in dubium revocatis, nova ac disparata exorta sint systemata, quae praecipua ad idealismum seu phaenomenismum, ad pantheismum et ad materialismum reduci queunt. Hinc nostra aetate plurimi positivistarum addicti principiis, experimentis tantum inhaerentes, non agnoscunt nisi phaenomena, quae ipsi *psychica* vocant, ac respiciunt sive cognitionem, sive appetitum ac motum localem, respuentes omne principium substantiale simplex et incorporeum ex quo ipsa procedant. Hinc psychologiam definiunt *cognitionem phaenomenorum psychicorum*, ac statuere conantur elementa proxima, quibus viventia constant, et explicare, qua ratione ex ipsis phaenomena illa exoriantur, et quibus legibus eadem subdantur.

Eam proinde vocant psychologiam experimentalem, quam penitus amandant a metaphysicae campo, et ut scientiam excolunt ad scientias naturales pertinentem. Isti revera circa illam tantum psychologiae partem versantur, quae cognitionem et appetitum respicit, eam vero, quae vitam vegetativam spectat, ad biologiam remittunt.

3. **Pars experimentalis psychologiae.** — Ea ab Aristotele satis iam exculta fuit (1), et in pretio semper a Scholasticis habita, una tamen cum principiis rectae ratiocinationis, quae nimirum expostulant, ut omnis cognitio ac scientifica inquisitio prius incipiat a sensibus et ab experientia ac dein per analysim perficiatur.

Unde immerito prorsus ipsis exprobratur, penitus omisisse ac neglexisse partem experimentalem (2). Imo e converso potiori iure recentioribus exprobrandum est, quod ipsam ita excolant, ut unice in experimentis sistant, et eam, quam ipsi *rationalem* vel *metaphysicam* appellant, non modo negligant sed etiam aspernentur (3).

Hinc mirum non est si recentiorum psychologia pantheistica

(1) Hoc diserte testatur Ebbinghaus, *Précis de Psychol.*, I « Au IVe siècle avant notre ère Aristote avec sa puissance merveilleuse, a construit la psychologie comme un édifice susceptible de supporter la comparaison avec n'importe quelle autre science de notre époque ».

(2) Hinc liquet quam falsum sit iudicium, quod de antiquorum psychologia tradit inter alios Toulouse, *Techn. de Psych. exp.*, éd. 1904, p. 3: « Quel est le caractère dominant de cette doctrine? C'est d'être une recherche a priori des opérations de l'esprit: on commence par poser la nature de l'âme et l'on déduit par ce fin raisonnement tous les détails de son activité. Encore aujourd'hui c'est la méthode en honneur dans les milieux théologiques ». Ipse revera conatus est in altera editione hoc iudicium emollire, at semper falsum manet.

(3) Cfr. inter alios Th. Ziehen, *Leitfaden der Physiologischen Psychologie*

ac materialistica evaserit. Postquam enim Cartesius animam in actuali cogitatione collocaverit, Spinoza eam dixit, non esse nisi accidens seu modum, qui modificat ipsam substantiam cogitantem, quam ipse *unam*, nempe ipsum *ens* absolutum esse deduxit ex aequivoca substantiae definitione. Deinde Fichte, Schelling, Hegel, eorumque asseclae ipsam vitam nonnisi apparitionem vel evolutionem huius entis absoluti esse dixerunt.

Alii vero materiae unice attendentes, ex eius evolutione omnes viventium species ortas aestimarunt; auctoribus Lamark et Dadwin, et omnem animam ad varias materiae vires deduxerunt, quousque Häckel ad abnormem pantheismum materialisticum devenerit.

Item Spencer et Bain per viam experimentorum, prout ex conscientia depromuntur, in eandem devenerunt sententiam. Recentiores vero aliam iniverunt experientiam, phaenomenorum nempe ordinis cognoscitivi et appetitivi; quos inter eminent Weber, Fechner et Wund, in Germania, Th. Ribot, et Binet, qui omnino habentur tamquam principes huius scholae auctores in Gallia; quos plures dein secuti sunt tum in Gallia, tum alibi. Porro his omnibus commune est, ut unice et exclusive ex experimentis deducant naturam ac proprietates viventium. Et procul dubio non paucas detexerunt ac in dies detegunt physicas, vel *physiologicas*, ut aiunt, proprietates.

At vitio eis vertendum est, quod existiment per eorum experimentales investigationes omnem absolvi inquisitionem circa viventia, ac fieri satis cuicumque omnino quaestioni, quae circa eadem versari queat, ita ut nulla alia maneat causa inquirenda ac statuenda phaenomenorum, quae in viventibus deprehenduntur.

Revera fatendum est, etiam inter eos non deesse, qui aperte asserunt, se non posse per solas materiae vires omnia explicare viventium phaenomena, unde fateri coguntur, aliam incundam esse viam praeter *experientiam*, eam nempe, quae per *analysim* conceptuum, qui ex experientia exoriuntur, eo pervenit ut ultimam ac vere adaequatam rationem exhibeat omnium phaenomenorum. Et hoc munus illud est, quod per *psychologiam*, quam ipsi *rationalem* vocant praestandum est. Unde concludere licet cum Ebbinghaus : « Prorsus optandum est ne unquam psychologia experimentalis nexum ac relationem cum rationali amittat, quod quandoque accidit cum ingenti utriusque damno » (1), uti clare patebit

(1) *Précis de Psych.*, p. 23. Et concinit Ch. S. Myers: « Far from being independent, experimental psychology has arisen as a refinement of general

ex eius obiecto formali, quo eius definitio ac distinctio a psychologia experimentali constituitur.

1. **Psychologiae Definitio et Obiectum** - Psychologia ex vi nominis, uti vidimus, perinde valet ac « scientia de anima ». Nomine autem animae, ut innuimus, illud venit, quod est principium operationum immanentium, quibus gaudent corpora, quae vivere dicuntur. Ideoque haec scientia eo spectat, ut inquirat in hoc ultimum principium, prout est causa harum operationum. Hinc merito erui potest haec altera definitio, quae pressius aperit naturam huius scientiae : *Psychologia est scientia de corpore vivente, prout ab anima informatur.*

Dicitur « scientia » stricto sensu, prout est cognitio rei per causas ultimas sive intrinsecas sive extrinsecas, ut satis eruditio faciat desiderio illo sciendi omnibus ingenito, ex quo omnis scientia ortum habet : — « de corpore vivente »; ut exhibeatur eius obiectum materiale, et veluti genus proximum huius scientiae, quod proinde ei commune est cum omnibus scientiis naturalibus experimentalibus : — « prout ab anima informatur »: in quo determinatur eius differentia specifica, qua ab istis iisdem formaliter et specifice differt. Quoniam enim anima est « primum principium in his, quae apud nos vivunt » [1], spectando hoc principium, prout informat corpus, et causa est omnium phaenomenorum vitalium, probe determinatur et explanatur ultima ipsorum ratio vere sufficiens, quod est proprium huius scientiae munus.

Hinc plane eruitur, quodnam sit eius obiectum tum materiale tum formale.

Obiectum materiale est omne corpus animatum vivens, spectatum prout vitae opera exerit, quae proinde *psychica* seu *vitalia* nuncupantur, ut a physicis discriminentur.

Obiectum autem *formale* est hoc corpus spectatum, qua actuatur ac perficitur per illud principium, ex quo operationes vitales exoriuntur; seu est hoc intrinsecum princi-

psychology. Familiarity with the latter is essential to success in the former ». *Text. Book of exp. Ps.*, p. 1.

[1] *S. Theol.*, I p., q. 75, a. 1.

pium nempe anima, prout una cum corpore est causa ultima omnium phaenomenorum vitae.

In hac scientia igitur consideratur anima non in se sola sed prout actuat corpus, in quo suas exerit operationes; ac proinde omnes illae proprietates sive animae, sive corporis examinandae erunt, quae rationem sufficientem exhibent istorum phaenomenorum. Adverte tamen, nolle interim nos animum audientium praeoccupare, iam supponendo existentiam animae distinctae a corpore. Ideoque hic nomine animae unice intelligimus principium primum activitatis in viventibus, quod omnes agnoscant oportet. Et negotium nostrum in eo vertitur, ut inquiratur natura et propria ratio istius principii, necnon modus quo ex ipso omnia phaenomena vitalia gignantur (1).

5. **Psychologia et scientiae naturales.** - Hinc elucet discrimen inter psychologiam ac ceteras scientias de corporibus organicis. Istae enim proprie non spectant nisi structuram internam organismi, quae est proxima causa vitae: atque adeo inquirunt vel existentiam ac propriam rationem structurae, et habetur *Histologia;* vel propriam rationem diversarum partium seu organorum, prout ad invicem colliguntur et ad diversos fines sibi subordinatos diriguntur, et nascitur *Anatomia;* vel prout ipsae pedetentim evolvuntur, et erit *Morphologia;* vel quomodo ipsae agant, seu earum *fun-*

(1) Non desunt scholastici, qui statuunt solam animam ,tamquam materiale psychologiae obiectum, qui tamen quoad rem nobis conveniunt. Ita e. g. loquitur Suarez (Prooemium « De anima »). De sola hominis anima tractatum hunc inscribimus, non quia corporis cognitio omnino negligenda sit, sed ut significemus, intentionem nostram in animam ipsam per se et ut ita dicam directe dirigi, de corpore vero illa tantum delibanda esse, quae ad cognitionem animae et facultates eius, quae corpore ad functiones suas ut organo utuntur, fuerint necessaria ». Idem dicendum de iis, qui statuunt tantum hominem uti materiale obiectum.

Nobis vero praeferenda videtur definitio allata, quippe quae integrum et adaequatum huius scientiae obiectum exhibet; complectens nempe vitam tum vegetativam ac sensitivam, quae ab anima exeritur, una cum corpore, quod informat, tum intellectivam. Haec enim, quamvis a sola anima exerceatur, invenitur tamen in homine, tamquam in principio attributionis, *quod* operatur. Iamvero in psychologia proprie spectatur homo vivens, ac dein cum inquiratur ultima causa intrinseca, ostenditur, adesse in eo animam, quae informat corpus, a quo pendet intrinsece, quoad exercitium vitae vegetativae et sensitivae, et extrinsece quoad vitam intellectivam.

ctiones, ut aiunt, exerceantur, en *Physiologia*; vel quomodo partes laesae reparentur, et aequilibrium inter eas restituatur, si forte amissum erat; haec est *Medicina*... et ita porro. Quamobrem in omnibus istis scientiis semper mens sistit in consideratione materiae, quae iam supponitur organica sive in *semine* vel in *cellula*, sive in ultimo sui complemento. Ac proinde earum inquisitio nunquam eo pertendit, ut statuat intimam ac sufficientem causam istius cellulae, et praesertim illius vis ei insitae, qua valeat in talem organismum evolvi, et eas gignere operationes, quas in viventibus deprehendimus.

Mentio tandem facienda est de *psychologia experimentali* seu *empirica*, quae definiri solet « scientia positiva phaenomenorum psychicorum ». Eam ita describit Ribot (1): « Psychologia, de qua hic agitur, erit ergo pure experimentalis; ipsa pro obiecto non habebit nisi phaenomena, eorumque leges et causas immediatas », quae nempe sub experientia cadunt. Ideoque ipsa quoque negligit inquirere, utrum praeter has causas, alia adhuc intimior statuenda erit, ad plenam et adaequatam rationem horum phaenomenorum praebendam (2).

Hoc munus proinde ab alia scientia praestetur oportet, quae per viam analysis procedendo conatur pervenire ad ultimam illam causam sive intrinsecam sive extrinsecam, quae plena ac sufficiens ratio ontologica adsit, et ex qua ortum habent tum ipsa cellula eiusque vis et operatio vitalis atque adeo omnes organismi viventium, tum *cetera* phaenomena cognitionis et appetitus, quae psychica dicuntur. Haec item scientia naturam et proprietates huius ultimae causae rimari adnititur, ac rationem investigare, qua ex ea omnes vitales operationes ac phaenomena psychica gignantur. Unde merito haec scientia appellatur *psychologia rationalis*, vel *speculativa*, vel *metaphysica*, apprime distincta a psychologia quoque experimentali.

6. **Methodus procedendi.** — Recta procedendi metho-

(1) « La psychologie, dont il s'agit ici, sera donc purement expérimentale; elle n'aura pour objet que les phénomènes, leurs lois et leurs causes immédiates » *Psychol. anglaise*, 3e édit., p. 34.

(2) Hinc est quod quidam, e. g. Höffding eam definiant: « Psychologiam sine anima ». Sed ut bene advertit De La Voissière, *Eléments de psych.*, Paris 1912, p. 2. « Si l'on veut indiquer par cette expression que cette science ne s'occupe pas de la nature ontologique du « moi », rien de plus légitime; les lois positives de psychologie expérimentale se sont multipliées au point de rendre nécessaire la séperation des parties positive et métaphysique de la Psychologie, et il est aussi raisonnable ».

dus in omni scientia ea est, quae per viam experientiae et analysis procedit, quousque causae ac rationes sufficientes phaenomenorum omnium viventium, adinventae sint ut intellectus suo desiderio veri sciendi plene satis factum fuisse perspiciat, atque plane quiescere valeat: uti iam innuimus in Cosmologia n. 9.

Falsa methodus. — Hinc liquido patet, falsam ac reiiciendam esse eorum methodum, qui, praeconceptibus gratuitis imo etiam falsis praeoccupati, iam a priori statuunt, nolle ullam perfectionem in viventibus agnoscere, quae praetergrediatur sensilem cognitionem, nec curantur utramque illam, uti par est, adhibere viam.

Quocirca falsi sunt empiristae, qui sola innixi experientia, eas tantum perfectiones agnoscunt, quae innotescunt vel per experientiam internam, quae consequitur reflexionem in propriam conscientiam et constituit methodum, quam vocant *psychologicam*, quamque secutus est et laudibus extulit Guillelmus Wundt (1); vel per experientiam ex sensibus haustam, quae methodum constituit, quam *experimentalem* vel *physiologicam* vocant; eam secuti sunt Müller, Weber, Fechner, Helmholtz, Dubois-Reymond, H. Lotze, Volkmann, principiis inhaerentes St. Mill, Comte ac positivistarum omnium.

Item falsi sunt *idealistae* qui omni posthabita experientia, ex sola analysi conceptuum, omnes res explicare conantur, quos inter eminent Hegel, pantheistae idealos et ontologi. Hos omnes vehementer impugnavit Herbart, qui tamen deceptus est in determinandis principiis metaphysicis, quae analysi usui esse deberent, quaeque ipse ex mathesi depromenda esse putavit.

Experientia igitur sine analysi, sicut analysis sine experientia prorsus insufficientes sunt ad hanc imo ad omnem scientiam excolendam, ut etiam Wundt professus est (2). Siquidem, uti scite advertit S. Thomas, (3) « rei cuiuslibet perfecta cognitio haberi non potest, nisi eius operatio cognoscatur. Ex modo enim operationis et specie mensura et qualitas virtutis pensatur. Virtus vero naturam rei monstrat. Secundum hoc enim unumquodque talium est operari, quod actu talem naturam sortitur ».

Porro operatio, quae a recentioribus praepostero vocabulo appellatur *phaenomenon*, cognoscitur per experientiam; ex ea per analysim deducitur virtus et natura rei.

7. Fontes et principia psychologiae. — Modo prae-

(1) Confer *Philosophische Studien* IV, 292... *Ueber Selbstbeobachtung und innere Wahrnehmung; Hypnotismus und Suggestion*, p. 84.

(2) « Das Erfahrunglose Denken und die gedankenlose Erfahrung sind gleich ohnmächtig » *Menschen und Thierseele*, ed II, p. 9.

(3) *Contra Gentes*, L. II, c. 1.

stat media proponere, quibus utendum erit, ut utraque via rite perficiatur, seu breviter innuere fontes ex quibus experientia hauritur, ac principia quibus innititur analysis.

Primus fons est cognitio communis ac vulgaris illorum phaenomenorum, quae omnes facillime et iugiter experiuntur, utpote quae immediate omnium sensibus subduntur, omnibus usui sunt, et quibus omnes tamquam certis et indubiis semper utuntur et innituntur. Porro quoniam scientia non est creatrix sed investigatrix eorum, quae certo nobis innotescunt, ut eorumdem proprias rimetur causas ac rationes sufficientes, ipsa ex iis initium sumat oportet, quae per hanc communem ac facillimam cognitionem tam certo nobis patent.

Alter fons constituitur per experimenta exquisitiora, quae circa difficiliora phaenomena peraguntur ab iis, qui scientiis experimentalibus peculiarem navant operam. Ex iis igitur assumendae erunt conclusiones illae experimentales, quae *immediate* fluunt ex eorum experimentis. Quae si certo et indubie constat huiusmodi esse, ut tamquam exploratae haberi debeant, nefas est in dubium vocare, etiamsi forte cuidam metaphysico principio opponi videantur. Nam *contra factum non valet illatio*, ac proinde si reapse conclusio illa experimentalis certa et indubia cuidam opponatur principio metaphysico, potius huic utpote falso valedicendum erit, quam illam reiicere.

At sedulo adverte, nos loqui de conclusione, quae *immediate* fluit ex experimentis, et quae tantum *experimentalis* dicenda erit. Si quis autem alias deducit conclusiones analysis ope, ut haud raro faciunt cultores scientiarum physicarum, quum hoc in eorum commodum cedit, eas nos nequaquam ut fontes nostrae investigationis amplecti tenemur. Quinimmo nostrum omnino est, eas ad frutinam vocare, quippe quae fructus nostrae inquisitionis esse debent, et nonnisi in metaphysicae campo excolendae veniunt. Qua de re si forte in eos incidimus, qui has metaphysicas conclusiones uti certas adstruendas esse iactitant, non vi recti argumenti ab eis instituti, sed unice ratione auctoritatis, qua ipsi pol-

lent in campo scientiarum experimentalium, eis repetere fas sit : *sutor ne supra crepidam* (1).

Ita plane obtineri potest, ut *dando unicuique suum*, scientiae experimentales suum in dies augeant progressum, quem metaphysicus non modo nunquam denegare valet, sed potius approbat, et eo utitur ad profundiores et intimas peragendas investigationes, ut rerum naturas proprietatesque nobis aperire queat. Unde verum ac nobile foedus illud initur inter utramque scientiam, ex quo maximum consurgit hominibus emolumentum (2).

8. **Principia fundamentalia.** — Praeter hos fontes, quibus experientia iuvatur, agnoscenda sunt principia quaedam rationis, quae ad analysim conficiendam et argumenta ex ea extruenda prorsus necessaria sunt.

Et primo principia fundamentalia, quae in logica et metaphysica generali tamquam rata proposita sunt, in usum pleno iure vocanda veniunt, quin de eis dubium ullum moveri queat. Ea enim sunt semina rationis, quae rite exculta, et conclusionibus experimentalibus addita, mirum quantum iuvant ad uberes perferendos fructus in metaphysicae campo.

Praesertim uti certum habendum principium illud : quod *natura non fallit in necessariis* : nimirum, *illud quod exigitur ab aliqua natura necessario admittendum est*. — Siquidem natura nequit sibimetipsi contradicere, seu nequit involvere intrinsecam aliquam contradictionem. Atqui huiusmodi contradictionem natura certo involveret, si ad aliquid tenderet, quod non existeret. Tunc enim tenderet in impossibile, quod certe contradictionem exhibet. Tamquam certum igitur agnoscendum est illud, quod natura exigit, seu intrin-

(1) Unde recte monet etiam Volkmann, *Lehrbuch der Psychologie*, p. 45: « Vor zwei Fehlern ist jeder Beobachter psychischer Erscheinungen zu Warnen; vor der Einmischung theoretischer Ansichten in den Act des Beobachters selbst, und von der Sucht nach abnormen Seltsamem ».

(2) Ad rem iterum Volkmann, l. c., p. 41: « Die Berüksichtigung jener somatischen Organe und Funktionen, an welche als an ihre Vorbedingung die Seelenthätigkeiten verknupft sind, ist in gewissen Theilen der Psychologie nicht bloss erwünscht, sonderu geradezu unerlässlich...

« Die Zeit ist wohl für immer vorüber, wo man hierin eine verunreinigung der Psychologie erblicken konnte ».

secae eius exigentiae facit satis; ideoque ut indubium habendum est, quod *natura non fallit in necessariis*.

Quod omnium conscientia praesertim in vita practica clare et aperte testatur uti prorsus certum agnoscendum est. — Conscientia enim id testatur, quod in nobismetipsis accidit. Iamvero si omnium conscientia aliquid constanter testatur, ita ut illud in vita practica ab omnibus tamquam certum et omnino pro comperto habeatur, nemini integrum est illud in dubium vocare, vel tamquam illusorium aestimare. Praeterea ea, quae conscientia praesertim practica testatur, constituunt iudicia naturae sensus communis. Atqui haec iudicia uti prorsus indubia habenda sunt, quemadmodum exposuimus in logica critica Th. XXXIX, quippe quae prorsus infallibilia dicenda sunt. Ergo.

9. **Psychologiae praestantia**. — Sicut cosmologia praeeminet scientiae physicae et chimicae, ita psychologia ceteris omnibus scientiis naturalibus. Quare omissis rationibus illis, quas in cosmologia retulimus, aliquid manet adhuc addendum, ut appareat cur psychologia praestantior sit ceteris omnibus scientiis, quae de ente sensibili pertractant.

In ista enim scientia considerantur entia perfectiora, qualia sunt viventia, et praesertim ipse homo, qui princeps est et dominus mundi huius adspectabilis. Atqui, uti iam innuimus in ipso philosophiae limine, cognitio hominis et causarum eius est finis totius philosophiae: cetera vero non sunt nisi praeambula ac via ad ipsum, ut nempe melius cognosci possint ea omnia, quae ad ipsum perficiendum ducunt. Psychologia ergo quae directe de vita ac de homine pertractat, ceteris praestantior est. Quae tamen praestantia non modo non minuitur, sed potius augetur, si praesertim attenditur despectus, in quo eam recentiores athei ac materialistae habent. In psychologia enim quam maxime refulget necessitas principii simplicis, imo spiritualis ac per se subsistentis, quod necessario exposcit causam sui spiritualem ac supersensibilem. In hac philosophiae parte igitur quam maxime adlaborandum est, ut in luce ponatur existentia istius principii, quod novum mundum et alteram vitam nobis aperit, in qua Creator noster, Ens purissimum, in tota sua plenitudine nobis apparebit. Quapropter qui hoc studium negligunt aut parvi faciunt, etiamsi omnes scientias excoluerint, quae hominem aliqua ratione perficiant, ipsam veram et ultimam perfectionem ac felicitatem hominis pessumdant, similes viatoribus illis, qui quum laboriosum iter confecerint, ut patriam attingerent, antequam ad eam perveniant, sistunt, et caos ingens sibi effodiunt, et in eo conquiescere delectantur.

10. **Psychologiae partitio.** — Psychologia iuxta quosdam distingui solet ab *anthropologia*, quae directe circa hominem dumtaxat versatur, iuxta alios vero psychologia idem est ac anthropologia, in qua nempe spectatur triplex hominis vita, vegetativa, sensitiva et intellectiva, atque adeo simul etiam considerantur, quae in vita plantarum et animalium reperiuntur. Nos utilius ducimus, utramque simul coniungere, quam in tres dividimus partes.

In *prima* enim consideratur ipsa vita in genere una cum vita vegetativa, in qua proinde propria ratio plantarum, quae hanc unam vivunt, earumque distinctio a ceteris investigatur.

In *altera* consideratur vita sensitiva, quae animalis quoque dicitur, et ita animalium brutorum, quae hac etiam exornantur vita, natura determinatur.

In *tertia* tandem vita rationalis inspicitur, quae propria hominis est, quaeque magnam quaestionum segetem nobis praebet, quarum solutio tum difficilis, tum praesertim maximi omnino momenti nobis exhibetur.

CAPUT I.

DE VITA IN GENERE ET DE VEGETATIVA IN SPECIE.

11. Quaestionem de vita aggredientes, ab experientia incipiamus oportet, ut edoceamur, quaenam sint phaenomena quae a vita proceduut. Ex eis dein via aperitur ad inquirendum ac statuendum: *quid sit ipsa vita in se*: *unde ipsa sit*: et *quomodo exerceatur*. Quapropter totum caput in quinque distribuimus articulos.

I. In primis statuenda sunt ipsa phaenomena, quae in viventibus deprehenduntur, seu in tuto ponendum est discrimen inter viventia et non viventia, prout ex oppositis phaenomenis illud nobis innotescit.

II. Deinde natura principiorum vitalium et prius vitae vegetativae examinanda erit, ut causa vere sufficiens illorum phaenomenorum exhibeatur.

III. Hinc propria plantarum ratio instituenda occurit, in quibus sola vita vegetativa reperitur, et ideo constituit regnum illud vegetale, quod non modo a mineralibus sed etiam a ceteris viventibus discriminatur.

IV. Praeterea peculiari ratione origo istorum principiorum scrutanda erit. Ac proinde, propriam viventium productionem seu generationem explicando, quaestio de generatione spontanea solvenda quoque erit.

V. Tandem sententia transformistarum erit ad examen revocanda, ut appareat, utrum ea recte explicet vitae originem. Qua in re paulo plus immorandum erit, ut diversae sententiae rite examinentur; eas penitus reiiciendo, quae omnino falsae vel etiam absurdae apparent; et alias explicando quae quandam praeseferunt probabilitatem. Ac praesertim distinguendae veniunt quaestiones de intrinseca possibilitate, quae *de iure* dici possent, a quaestionibus de reali vitae origine ac transformatione, quae ex experimentis deducendae erunt.

ARTICULUS I.

DE VITA IN GENERE.

12. **Quid sit vita.** — Vita in se inspecta recte dici potest: *virtus se movendi*, et eius exercitium est *motus suipsius*. Viventia enim communiter ea dici solent, quae *movent seipsa* (1). Imo uti recte advertit S. Th. « quae videntur per se moveri, quorum motores vulgus non percipit, per similitudinem dicimus vivere, sicut aquam vivam fontis fluentis, non autem cisternae aut stagni stantis » (2). Iam ante praeiverat Plato asserens: « omne corpus, cui convenit ab extrinseco moveri, est inanimatum; cui autem ab intrinseco, huic a seipso, ipsum est animatum » (3). Cui concinit Arist., saepe repetens: *vivens movetur a seipso* (4). Hinc statim inquirendum occurrit, utrum vulgaris iste ac communis conceptus vitae propriam eius exhibet essentiam. Ipsam tamen inspicimus in ipsis viventibus in concreto, quia abstracta a nobis non cognoscuntur nisi per concreta, quae existunt.

Quamplurimae datae sunt vitae definitiones, quae inferius n. 53, quasi ad modum conclusionis, expendendas curabimus. Interim placet prius examini subiicere hunc communem ac vulgarem vitae conceptum, quum ex eo semper initium est faciendum, ut pedetentim ad illum perveniamus, qui propriam eius essentiam nobis aperit, iuxta principia a nobis saepe proposita (5).

(1) Eandem definitionem Suarez communi consensu philosophorum teneri affirmat (*De anima*, L. 1, c. 1, n. 3).

(2) C. *Gentes*, L. 1, c. 97.

(3) Phaedrus, *n.* 245. Πᾶν γὰρ σῶμα, ᾧ μὲν ἔξωθεν τὸ κινεῖσθαι ἄψυχον; ᾧ δε ἔνδοθεν, αὐτῷ εξ αὐτου, ἔμψυχον.

(4) Κινεῖται γαρ Ζῷον αὐτὸ ἀφ' αὑτοῦ ἔμψυχον e. g. in l. *Physicorum*.

(5) Huiusmodi conceptus vitam exhibet *dynamice* spectatam, qui proinde melius nobis viam sternit ad veram et intimam vitae rationem et essentiam dignoscendam, prout ea in omnibus viventibus reperitur etiam non corporeis.

Recentiores vero, qui initium sumunt a conceptu vitae *statice* spectatae, necessario coguntur descriptionem exhibere viventis corporei. Et tunc ipsi magis insistunt in descriptione ipsius corporis viventis, prout est *organicum*, seu constans diversis partibus harmonice compositis ac destinatis ad diversas exercendas functiones in *bonum totius* viventis. Porro haec descriptio etiam correspondet vulgari conceptui viventis, quod dicitur etiam *corpus organicum*, et potius accomodatur investigationibus scientiarum experimentalium, quam philosophicae inquisitioni de intrinseca natura viventis.

Thesis I.

Vivens recte definitur: substantia capax movere seipsam, seu immanenter agere.

13. **Explicantur termini.** — Motus proprie definitur: *actus entis in potentia prout in potentia;* i. e., actus, qui ita perficit aliquam potentiam, ut iterum sit in potentia ad alium actum (1). Et multipliciter accipi potest: *a) strictissimo sensu*, et proprie dicitur de *motu locali*. « Proprie, ait Arist. dicimus solum de localiter moto, quod movetur » (2); quia in eo primo et clarius apparet ratio motus: — *b) stricto sensu*, et tunc exhibet quamlibet *mutationem successivam* sive quoad quantitatem, sive quoad qualitatem, quippe cui proprie applicatur definitio tradita: — *c) latiori sensu*, prout contingit in quacumque *mutatione etiam instantanea*, nempe in omni transitu de potentia in actum, ut accidit e. g. in actu sentiendi intelligendi, volendi; quia habetur tantum actus entis in potentia: — *d)* iandem *sensu improprio* ac latissimo, et exhibet quamcumque operationem, quamvis fiat sine transitu de potentia in actum, sed a nobis concipitur cum quodam transitu propter analogiam cum operatione, quae accidit cum transitu. Illa autem operatio non contingit nisi in vivente perfectissimo, quod est purissimus actus, nempe Deus. Et hoc sensu dicitur etiam in Deo « intelligere et operari quoddam moveri. Secundum hoc ergo dicebat Plato, primum movens seipsum movere, quod intelligit se et vult vel amat se » (3).

Quocirca in praesenti sumimus motum omnibus istis sensibus, et asserimus, vivens esse id quod potest movere seipsum, quacumque ratione huiusmodi motus intelligatur.

Dicimus: *substantia;* cum enim ostendimus in Cosmologia (Th. I) agnoscendum esse corpus ut aliquam substantiam realiter existentem, merito nunc asserimus, vivens esse substantiam, sic enim determinamus genus, in quo conveniunt

(1) Cfr. explicationem datam in Cosmol., n. 245.
(2) *Physic.*, L. VIII, c. 9.
(3) S. Thomas, *c. Gentes*, L. I, c. 13.

tum corpus, tum vivens (1). Addimus : *capax movere seipsam*, ut determinetur differentia specifica, qua vivens constituitur in determinata specie distincta a substantia et a corpore non vivente. Dicimus tamen : *capax movere seipsam*, seu pollens virtute movendi se; et non, quod *movet seipsam*, quia in illa *capacitate* seu *virtute* movendi seipsam, iam absolvitur id quod intrinsece constituit perfectionem specificam essentialem substantiae viventis, seu, ut dici solet, *vitam in actu primo* i. e. ipsam substantiam viventem; ipsum autem *movere seipsum* constituit exercitium activitatis propriae entis viventis, ideoque est aliquid quod consequitur ipsam essentiam, seu est vita *in actu secundo*, i. e. eius propria operatio.

Insuper « movere seipsum » opponitur « moveri ab alio », et in eo proprie consistit, quod agens operando producat operationem, quae maneat in agente, ipsumque perficiat, quin adsit aliqua causa extrinseca physica, quae ipsum efficienter moveat de potentia ad actum operationis. Ita e. g. calefactio haberi nequit in corpore non vivente, nisi ab alio corpore calido ei extrinseco efficienter producatur; corpus autem vivum in semetipso habet virtutem se calefaciendi. Hinc sequitur, in ente, quod nequit se movere ac perficere, actionem esse semper *transeuntem*, seu ab uno incipere et transire ad aliud ab eo distinctum : in eo vero quod movet se in agendo, *actionem* esse *immanentem* ac perficere ipsum subiectum a quo incipit. Ideoque movere seipsum arguit peculiarem virtutem in agente, qua valet immanenter agere ac sese perficere, quae perfectior est ac virtus movendi alios ac tantum transeunter agendi. Et quamvis omnis substantia se movens, sit etiam immanenter agens, *semoventia* praecedit prioritate naturae *immanentiam* operationis, ac proinde me-

(1) Quare hic non definimus tantum vivens corporeum, sed omne vivens, sive sit corporeum sive incorporeum, quod utrumque esse debet in genere substantiae. Unde sequitur, imperfectas esse definitiones illas, quae respiciunt etiam corpus eiusque organismum tamquam partem essentialem viventis, ipsae enim non exhibent nisi tantum vivens corporeum. Nos vero inferius quum explicandam suscipimus propriam rationem ipsius operationis viventis, videbimus quomodo habetur corpus uti pars essentialis quorundam viventium, quae proinde viventia materialia nuncupantur. Et tunc investigandam et exhibendam curabimus propriam rationem organismi, quo corpus gaudeat oportet, ut diversas valeat exercere operationes proprias vitae vegetativae ac sensitivae.

rilo habenda est ut prima ratio ac virtus propria substantiae viventis (1).

14. **Probatur.** — I. *Ex communi hominum sensu.* — Omnes homines, ipsa natura duce, ea vivere dicunt, quae sese movent, ideoque immanenter agunt; et e converso ea appellant mortua aut non viventia, quae nequeunt se movere. Atqui hoc est evidens indicium, essentiam viventis in eo consistere, quod ipsum virtute polleat se movendi, seu capax sit se movere. Ergo.

II. **Ex intrinseca rei natura.** — Recta definitio viventis ea est, quae perfectionem exhibet constituentem ipsam viventis perfectionem. Atqui substantia capax movere seipsam huiusmodi exhibet perfectionem. Ergo. — *Pr. m.* — Et primo vivens est quaedam *substantia;* siquidem ipsum vel est forma in se subsistens et dicitur *spiritus*, vel est aliquod corpus. Atqui forma in se subsistens est certe substantia; omne corpus item est substantia. Ergo. Et hoc est genus, in quo vivens cum aliis substantiis convenit. Dein: *capax movere seipsam* constituit eius differentiam specificam.

Et sane ipsa in se constitui debet per perfectionem, quae *a*) omni et soli viventi convenit, *b*) et sit prima ex qua ceterae ut eius proprietates fluant. Atqui virtus se movendi ac perficiendi certe omni ac soli viventi convenit, ut omnes fatentur, item est prima ex qua omnes viventis perfectiones ut eius proprietates profluunt, ut inferius diserte monstrabitur. Ergo virtus *capax movendi seipsum* constituit differentiam specificam substantiae viventis.

Praeterea illa est perfectio essentialis viventis, quae exhibet principium formale substantiale proprium viventis, diversum a principio formali entis non viventis, quum omnis essentia constituatur in sui ratione per proprium principium formale. Atqui substantia capax se movere, seu immanen-

(1) Adverte tamen, quod hic nondum apparet, utrum haec actio propria viventium sit stricte immanens, sed tantum concludi potest, quod actio viventium est immanens, quatenus procedit et manet in eodem ente quod saltem *sensibiliter* apparet esse unum, prout ab ipsa natura procedit. Et ita viventia distinguuntur a machinis artificialibus. Inferius autem conabimur ostendere, cur vivens debeat esse unum per se, et tunc consequens erit, eius actionem propriam esse stricte immanentem.

ter agere, praeseferl huiusmodi principium formale, quia omnis agendi virtus est a principio formali, et quoniam virtus agendi immanenter est specifice diversa a virtute agendi tantum transeuntes, necessario arguit principium formale substantiale proprium viventis. Ergo.

III. Confirmatur *auctoritate physiologorum*. — Ipsi enim quum experientiae subiiciunt phaenomena entium viventium, primum quod in eis reperiunt, illud esse fatentur, quod vivens sese movet ac perficit, unde toti in eo sunt, ut hunc motum immanentem investigent et explicent. Hinc quoniam in prima cellula iam deprehenditur motus immanens quo ipsa sese perficit, statim arguunt eam esse ens vivum perfectum (1). Atqui hoc evidenter ostendit iuxta eorum quoque mentem, essentiam viventis in eo esse, quod capax sit movere seipsum. Ergo (2).

15. **Obiicies** I. Omnis natura habet in se principium sui motus. Atqui quod habet in se principium sui motus, movet se. Ergo movere se pertinet ad omnem naturam. — *R. D. M.*:... quod indiget causa extrinseca physica, qua efficienter determinetur ad actum transeuntem sui motus, *c.*: quod non indiget huiusmodi causa extrinseca, *subd.*: natura vivens..., *c.*: non vivens, *n.*

(1) « La vita, ait P. Wasmann, fisiologicamente considerata, è nei grandi come nei piccoli, una manifestazione del moto, le cui singole fasi sono tutte indirizzate al mantenimento dell'individuo e della specie. I moti interni, *i quali più propriamente si chiamano processi essenziali della vita vegetativa*, hanno per iscopo l'assimilazione di nuova sostanza e perciò l'accrescimento dell'individuo » *La Biol. moderna*, p. 90, vers. ital. di Fr. Agostino Gemelli. — Firenze, 1906.

(2) Ad rem *S. Th.*, I p., q. 18, a. 1: « Ex iis quae manifeste vivunt, accipere possumus, quorum sit vivere, et quorum non sit vivere. Vivere autem manifeste animalibus convenit. Dicitur enim in libro de vegetalibus (Arist. in l. I, De plantis, c. I), quod vita in animalibus manifesta est. Unde secundum illud oportet distinguere viventia a non viventibus, secundum quod animalia dicuntur vivere. Hoc autem est in quo primo manifestatur vita, et in quo ultimo remanet. Primo autem dicimus animal vivere, quando incipit ex se motum habere, et tamdiu iudicatur animal vivere, quamdiu talis motus in eo apparet, quod vero iam ex se non habet aliquem motum, sed movetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum, per defectum vitae. Ex quo patet, quod illa proprie sunt viventia, quae seipsa secundum aliquam speciem motus movent, sive accipiatur motus proprie, sicut motus dicitur actus imperfecti, idest existentis in potentia, sive motus accipiatur communiter, prout motus dicitur actus perfecti, prout intelligere, et sentire dicitur moveri, ut dicitur in III de anima; ut sic viventia dicantur, quaecumque se agant ad motum, vel operationem aliquam; ea vero in quorum natura non est ut se agant ad aliquem motum, vel operationem, viventia dici non possunt, nisi per aliquam similitudinem ». Cfr. etiam quae habet Suarez, *De Anima*, L. I, c. 1, n. 3.

— *Contrad. m...* Omnis natura est activa, ratione principii formalis, quo actuatur. Sed natura corporea non vivens, ita est activa ut non possit reduci ad actum secundum operationis, nisi determinetur ab aliqua causa physica extrinseca, quae eam efficienter reducat de potentia in actum, et ideo eius actio est semper transiens. Contra natura vivens potest ex seipsa determinari de potentia in actum, quin habeatur huiusmodi causa physica, quae efficienter influat in ipsam actionem viventem, quae proinde manet in ipso subiecto operante.

II. *Instas*: Etiam vivens determinatur ad actum ab aliquo obiecto extrinseco. Atqui quod determinatur ab alio non movet se. Ergo — *R. D. M.;...* tamquam a causa materiali, *c.;* tamquam a causa efficiente, *subd.;...* ad actum, qui praecedit actionem vitalem, *c.;* ad ipsam actionem vitalem. — *Contrad. m....* In actionibus viventis distinguendum est, quod praecedit actionem vitalem, ab hac actione propria viventis. Vivens enim debet determinari ab aliquo obiecto, ut incipiat actionem, et in hac determinatione obiectum efficienter influit in viventem. Sed posita iam hac determinatione, deinde incipit actio viventis, quae efficienter est tantum ab ipso principio interno viventis, et versatur circa illud obiectum, quod determinavit facultatem ad agendum, tamquam circa materiam. Ac proinde quando proprie actio viventis habetur, reapse vivens movet seipsum, quin alia causa proxima efficienter concurrat ad operationem. Et hinc est, quod actio vivens est immanens, inquantum ita manet in vivente, ut ab ipso efficienter procedat. Actio vero corporum non viventium, e. g. quaedam combustio chimica, vel mutatio physica, habetur, quatenus unum agens determinatur ab alio efficienter in ipsa actione, quae proinde est semper transiens, quia a priori in alterum transit.

III. Quaedam mineralia, ut e. g. *ignis*, *magnes...* ex sese determinantur ad operationem. Atqui ipsa non sunt viventia. Ergo. — *R. D. M.;...* ad operationem quae transit in aliud, *c.;* ad operationem immanentem, seu ad se movendum, *n.* — *C. m.....* Apud antiquiores difficultas haec haud faciliter solvi poterat, cum ipsi putarent ignem esse substantiam quandam in se existentem, quae opinio nunc amplius sustineri nequit. Ignis enim seu calor aut reducitur ad motum localem, aut ad vim quandam vibratoriam, quae prout magis vel minus celeriter in motu ponit diversas moleculas, maiorem vel minorem gignit calorem. Ita etiam vis magnetica non movet se, sed aliud corpus ad se attrahit: quare utriusque actio est semper transiens in obiectum extrinsecum, ac proinde dici nequit, quod haec determinentur ad operationem a seipsis, sed potius ab illo obiecto extrinseco: neque operatio manet in eodem subiecto, sed ad aliud transit.

IV. Admissa theoria de electronis, unaquaeque atomus ac molecula habet motum immanentem. Atqui iste non determinatur ab aliqua causa extrinseca. Ergo. — *R. D. M.;...* qui motus

constituit veram operationem, *n.;* qui constituit adhaesionem electronorum, qua primo constituitur ipsa atomus ac molecula, *c.* — *C. m.* — Quare talis motus dicendus esset essentialis illi moleculae, eam primo constituens ac conservans in esse. Vivens autem praeterea exhibet motum, qui est vera operatio, advenien post primum esse, ipsumque perficiens, uti experientia docet in ipsa nutritione et augmentatione.

V. Omne quod movetur ab alio movetur. Atqui vivens est aliquid quod movetur. Ergo ab alio movetur. — *R .D. M.;...* tamquam a causa prima, *c.;* tamquam a causa principali, *subd.;* si non habet in se principium sui motus, *c.;* si habet, *n.* — *Contrad. m.;...* habens in se principium sui motus, *c.;* non habens, n. — Omne quod movetur, in se dicit aliquam potentialitatem, uti patet, ac proinde necessario indiget ente actuali, a quo moveatur, seu a quo reducatur de potentia in actum actionis; et hoc ens vocatur causa prima, quae influit in omnes omnino actiones creaturarum. Sed id quod movetur, simul cum potentialitate, gaudere potest aliquo actu, qui saltem sub concursu causae primae potest movere subiectum mobile, ipsumque perficere per novum actum additum priori. Quare si huiusmodi actus invenitur in ipso *mobili*, quod erit simul activum et passivum, tunc ipsum *mobile* sese perficit, semper sub influxu causae primae, et ita est simul movens et motum, quod proinde se movet, et dicitur vivens. Ergo cum dicitur vivens movere seipsum, nullo modo excluditur concursus causae primae, a qua *primo* incipit omnis motus, seu omnis actio creaturarum.

VI. Nihil potest esse simul in actu et in potentia. Atqui si vivens moveret seipsum, esset simul in actu et in potenia. Ergo — *R. D. M.;...* circa idem et secundum idem, *c.:* circa diversa vel secundum diversas partes, *n.* — *Contrad. m.;...* Quare vivens ita est in actu secundum aliquam perfectionem, ut sit in potentia ad aliam; et illa perfectio,qua vivens est in actu, huiusmodi gaudet virtute, ut sub influxu causae primae possit gignere in ipso subiecto aliam perfectionem, ad quam est in potentia. Et certo non repugnat, idem subiectum secundum aliquid esse in potentia, et secundum aliud in actu; quamvis tamen requiratur diversitas partium, ut videbimus in thesi seq.

16. **Scholion.** — *De distinctione inter actionem immanentem ac transeuntem.* — Actio transiens ea est, quae per motum stricte dictum exercetur, quae proinde non distinguitur ab ipso motu, sed simpliciter appellat *motum prout incipit ab aliquo*. Ideo vocatur *actio*, a verbo *agere*, quod semper praesefert impulsum externum unius in aliud corpus, ipsum movendo. — Actio immanens melius dicitur *operatio*, et ponitur in praedicamento *qualitatis*. Nam actio im-

manens non importat de se motum stricte dictum nempe successivum, sed de se haberi potest etiam per motum instantaneum, idest per simplicem transitum de potentia in actum, ut apparet praesertim in vita intellectiva. Et in vita vegetativa ac sensitiva, quamvis admisceatur quidam motus successivus, qui in parte sensitiva est minimus omnino, iste tamen est potius aliquid praerequisitum ad ipsum actum vitalem, quatenus eo spectat ut ponat conditiones praerequisitas ad hoc, ut vivens actum ponat, quo sese perficit. Ergo operatio immanens de se dicit in vivente simplicem transitum de potentia in actum alicuius perfectionis, quo actuatur. Atqui iste transitus non exhibet nisi aliquam qualitatem, quae ipsum vivens afficit ac perficit. Ergo merito actio vel melius *operatio immanens*, quae est vitalis, ponitur in praedicamento qualitatis (1).

Quapropter ipsa operatio vitalis, sicut distinguenda est ab eis, quae praerequiruntur, ita pariter non est confundenda cum effectibus externis, qui possunt consequi ad hanc actionem vitalem. Ita e. g. quando moveo brachium, aut digitos ad pulsandum organum, duplicem habeo actionem: *immanentem* unam, per quam ego transeo de potentia ad actum operationis, seu pono in brachio et in digitis ipsum *actum operationis*, atque adeo me perficio, nam omne operans, eo ipso quod operatur, sese perficit: — alteram, quae ad hanc meam operationem immanentem sequitur, quaeque tendit ad aliquod extrinsecum perficiendum per motum stricte dictum, et est actio transiens (2). Hinc elucet actionem

(1) Ad rem S. Doctor: «Duplex est actio. Una, quae transit in exteriorem materiam; ut calefacere et secare. Alia, quae manet in agente, ut intelligere, sentire et velle. Quarum haec est differentia: quia prima actio *non est perfectio agentis*, quod movet, sed *ipsius moti;* secunda autem actio, *est perfectio agentis.* Unde quia motus est actus mobilis, secunda actio, in quantum est actus operantis, dicitur motus eius, ex hac similitudine, quod sicut motus est actus imperfecti, scilicet existentis in potentia, ita huiusmodi actio est actus agentis: licet motus sit actus imperfecti, scilicet existentis in potentia; huiusmodi actio sit actus perfecti, idest existentis in actu». I p., q. 18, a. 3, ad 1m. Nimirum actio immanens ea est, quae primo ac per se perficit ipsum agens, a quo procedit, quamvis forte producere queat effectum etiam ad extra; actio vero transiens unice tendit ad perficiendum aliud ens distinctum ab agente.

(2) Ad rem P. Liberatore, *Cosm.* c. III, a. 2, n. 146: «In exemplis allatis (pictoris tabulam coloribus ornantis, ac citharistae citharam pulsantis) binas distingui oportet actiones; immanentem unam, alteram transeuntem. Prima per-

immanentem arguere in vivente virtutem perfectiorem. Quod potest enim se movere ac novam sibi addere perfectionem, perfectiori virtute polleat oportet, ac agens, quod indigeat moveri ab alio nec valeat ullo modo sese perficere. Merito igitur ab hac operatione deducimus propriam viventis rationem specificam.

Sed nunc inspiciendum est, utrum haec operatio, ipsam intrinsecam essentiam viventis constituat, vel potius sit accidens proprium, quod ab ea exigitur, et cuius essentiam nobis manifestat. Huic quaestioni ita respondemus:

Thesis II.

Operatio immanens est vita in actu secundo, realiter distincta a vita in actu primo, quae est ipsa essentia substantialis viventis.

17. **Vita in actu secundo.** — Ea perinde est ac *ipsum actuale exercitium vitae*, ac proinde est ipsa operatio vitalis immanens; vita in actu primo est ipsa substantia vivens, seu actus in se subsistens (sive purus, sive componens cum potentia), qui virtute gaudet immanenter operandi. Ad rem S. Th., « Vita dicitur dupliciter. Uno modo ipsum *esse* viventis. Alio modo dicitur vita ipsa operatio viventis, secundum quam principium vitae in actum reducitur; et sic nominamus vitam activam, vel contemplativam, vel voluptuosam; et hoc modo vita aeterna dicitur ultimus finis » (1).

Iamvero vita, quae primo a nobis cognoscitur, est vita in actu secundo, quam multi recentiores non rite distinguentes a vita in actu primo, existimant in ea absolvi etiam viventis essentiam.

18. **Adversarii** — Hinc multi exorti sunt adversarii, qui diversas ob rationes phaenomenismum vel idealismum professi sunt. Ortum ipsi ducunt a Cartesio, qui statuens celebre illud principium: *cogito, ergo sum*, tamquam immediate et intuitive certum, iam coepit confundere vitam in actu secundo, quae exhibetur in cogitatione, cum vita in actu primo, seu cum ipsa substantia existente. Imo deinceps nil aliud agnoscit nisi exten-

ficit agentem quoad aliquam sui partem, puta manum vel digitos; atque haec propterea est actio vitalis. Secunda perficit materiam externam, tabulam nempe aut citharam, in qua recipitur; et haec..., cum nec tabulae nec citharae quidquam vitalitatis impertiat, vitalis nullo modo est ».

(1) S. *Theol.*, I-II p., q. 3, a. II, ad Im.

sionem, quam identificat cum substantia corporea, et cogitationem, in qua reponit totam naturam substantialem animae.

Locke vero eius assecla, sub influxu Fr. Baconis et Hobbesii, ad empirismum inclinat et confundens intellectum cum sensu, ostendere conatur omnes nostras ideas ex sensationibus oriri. Per eas autem quum non percipiantur nisi tantum qualitates accidentales, infert nos ignorare substantias rerum, quas tantum agnoscit, uti ignotum quoddam subiectum qualitatum sensibilium.

Berkeley per eandem incedens viam, ulterius progreditur, negando etiam existentiam huius subiecti, et asserit nos non percipere obiecta externa sed tantum nostras impressiones. Ac proinde nequeunt agnosci qualitates extra nos existentes, sed eae non sunt nisi perceptiones vel ideae in mente nostra, ac tandem concludit: *Esse est aut percipere aut percipi.*

Dein Hume omnium pariter cognitionem ad solam sensationem reducens, omnes conceptus universales denegavit, et praesertim principium causalitatis, non agnoscens nisi solam phaenomenorum successionem, ac proinde nullo modo valuit adstruere conceptum substantiae, quem asseruit gratuitum esse, imo etiam repugnare. Ideo etiam nostrum *ego* ab eo reducitur ad *fasciculum perceptionum.*

Tandem Kant asseruit nos non percipere nisi sola phaenomena; noumena vero esse nobis prorsus ignota.

Hinc sequitur iuxta eorum doctrinam, totam vitae rationem, saltem prout a nobis cognoscitur, absolvi in operationibus illis immanentibus, quae per sensus percipiuntur quaeque vitam in actu secundo constituunt. Et quoniam ab eis vel denegatur, vel saltem dicitur ignorari ipsum subiectum substantiale harum operationum, consequitur, totam viventium naturam reduci ad puram successionem harum operationem, prout a nobis eae percipiuntur, seu ad successionem horum phaenomenorum.

Alii vero, praesertim Hegel et eius asseclae, nullo modo sensibus fidentes, ac tantum mentis cogitationes spectantes, omnia reducunt ad puram cogitationem, et asserunt non modo homines ac viventia omnia, sed omnia omnino entia reduci ad unam mentis cogitationem, ac proinde inferunt; *esse est cogitare et cogitari*, ac purum putumque idealismum, vel monismum idealisticum profitentur. Et haec doctrina nostra aetate praesertim defenditur, tamquam reactio contra materialismum, a Neohegelianis. Imo dici potest velut ultima conclusio puri idealismi, quae a multis spectatur tamquam ultimum postulatum verae scientiae modernae (1).

19. **Prob. I p.** — eodem modo ac alia thesis generalior, in qua defenditur distinctio omnis operationis a suis vi-

(1) Cfr. quae exposuimus in log. crit. Th. IV; necnon in praenotionibus ad thesim II.

ribus ac multo magis ab ipsa substantia (1). — Sed iuvat nunc iterum hoc directe confirmare.

Ipsa operatio vitalis certe praesupponit existentiam subiecti viventis, tamquam causam sui, quum operatio sit aliquis effectus, qui causam sui efficientem exposcit, et causa operationis vitalis immanentis est praecise ipsum subiectum vivens. Atqui omnis effectus realiter distinguitur a causa sui efficiente. Ergo. — Praeterea istud subiectum, saltem quoad principium formale, in se idem semper manet, uti evidenter in ipso homine liquet. Operatio autem vitalis dicit aliquid quod iugiter mutatur, quum praesertim in vita vegetativa, semper unam consequatur alia. Atqui principium, quod semper idem manet, distinguitur realiter a principio quod mutatur. Ergo.

Prob. II p. — Vita in actu primo dicit principium illud permanens, quod vi gaudet immanenter operandi: et quod proinde primo constituit vivens in specie distincta a corpore non vivente. Atqui hoc necessario constituit ipsam essentiam substantialem viventis. Ergo.

Haec pars revera nullam patitur difficultatem aut controversiam, quum potius sit terminorum declaratio. Iuvat tamen, ut ea plenius perspiciatur, aliquid aliud addere de distinctione ipsius principii substantialis ab eius viribus operativis.

20. **Corollarium I.** — *Ipsum principium substantiale vitae videtur realiter distingui a suis viribus operativis.* — Haec assertio implicite continetur in altera universaliori de distinctione potentiarum ab essentia substantiali, de qua in cosmologia sermo est; ac proinde iisdem argumentis suadetur, quae ibidem exponuntur. Hinc elicitur quod ipsa vita in actu primo potest adhuc dupliciter spectari; nempe in *actu primo remoto*, et est ipsum principium substantiale vitae, vel in *actu primo proximo*, et est principium illud substantiale simul cum suis viribus seu potentiis, quibus proxime ordinatur ad operationes exercendas. — Alia corollaria, quae sequuntur, sunt maioris adhuc momenti.

(1) Cfr. quae innuimus in Metaph. generali, Th. XLI et XLII.

II. *Ergo tantum vita in actu secundo* de se est sensibilis, *et vita in actu primo non est de se sensibilis* sed tantum intelligibilis. — Vita enim in actu secundo ea est, quae sensus nostros percellit, quatenus ipsae operationes a sensibus percipiuntur: atque ita nos sensibiliter seu experimentaliter distinguimus viventia a non viventibus. Atqui ipsa vita in actu primo, sive *proximo* sive *remoto*, distinguitur a vita in actu secundo. Ergo non est de se sensibilis. Attamen intellectus, qui accipit obiectum suae cognitionis a sensibus, plane valet ex illis operationibus vitalibus deducere ipsum principium substantiale cum suis viribus, innixus principio causalitatis ac nexus intrinseci, qui inter causam et effectum necessario intercedit. Atque adeo vita in actu primo dici debet per accidens sensibilis, sed de se tantum intelligibilis.

III. *Ergo vita in actu secundo est proprium obiectum scientiarum experimentalium, vita in actu primo est proprium obiectum metaphysicae.* — Scientiae enim experimentales, uti saepe innuimus, in eo semper versantur, quod examini subiiciant phaenomena, quae per sensus deprehenduntur, ut inquirant tum eorum propriam naturam, semper prout a sensibus percipitur, tum eorum causas proximas iterum sensibiles, ut ordinem inter eadem statuant, et scrutentur, quomodo unum phaenomenon ab alio producatur et cum eo connectatur. Et hoc praesertim praestant scientiae experimentales *theoreticae*, ut dici solent. Metaphysica vero istis experimentalibus conclusionibus ratihabitis, ad altiora procedit, et causas ultimas inquirit ac rimatur sive intrinsecas sive extrinsecas, ut plenam ac vere sufficientem rationem earundem exhibeat.

Quamobrem physiologi omnes, qui sibi adblandiuntur per suas inquisitiones et conclusiones totam absolvi scientiam de viventibus, praesertim de homine: quique proinde vel nullam aliam causam supersensibilem agnoscunt, vel de ea perperam loquuntur, revera ii sunt, qui *quod ignorant, blasphemant*. Ipsi in alienum campum excurrunt, quin arma gerant, vel quin sciant ipsa, uti par est, rite adhibere ut fructus illos peregrinos, ac vere aptos ad vitam intellectualem pascendam, excerpere aut praegustare valeant. Et tunc non modo repetunt *cum culpe* illa « nondum matura est, nolo

acerbam sumere », sed audacter etiam autumant: nihil habetur, quod comedamus; et alii eis credunt!...

At simul etiam improbandi sunt philosophi illi, qui metaphysicam excolentes, maiorem quam oportet navant operam ad quaestiones etiam experimentales explanandas, non certe sine magno ipsius metaphysicae discrimine, quum *pluribus intentus minor sit ad singula sensus*. — Iterum ergo, *unicuique suum*, et hac servata iustitia, veritas plene ac perfecte suum agit triumphum.

Sed ad nos redeamus. Inquirendum modo est, quid requiratur, ut habeatur vita sive in actu secundo sive in actu primo.

Thesis III.

Omnis vita requirit in vivente distinctionem saltem rationis inter partem moventem et motam; si autem exercetur dependenter a materia, exigit etiam organismum seu partes dissimilares.

21. **Ordo rerum.** — Hic proprie sermo est de vita prout exercetur in creaturis, quae nempe semper transeunt de potentia in actum operationis, ac proinde praescindimus a vita ineffabili ac perfectissima, qua Deus in uno purissimo actu semper in se gaudet, quin ulla potentialitas vel nova perfectio in ea admisceatur. — At distinguimus vitam immaterialem, quae nempe exercetur sine intrinseco concursu materiae, uti in quaestione de vita intellectiva, ac vitam materialem, uti est vita vegetativa ac sensitiva. Porrò in omni vita semper requiritur aliqua distinctio inter partem moventem et eam, quae movetur. Et dicimus: *saltem rationis*, quia in vita immateriali non apparet necessitas distinctionis realis. Siquidem non repugnat quod aliqua virtus spiritualis secundum aliquem respectum sit movens et secundum alium sit mota, quin in ea adstruantur duae entitates realiter inter se distinctae.

Quid Organismus. — At in vita materiali, quoniam requiritur intrinsecus concursus materiae, asserimus necessarium quoque esse aliquem organismum, prout pars movens aliquam in se habeat perfectionem diversam a perfe-

ctione partis motae, ac proinde diversas qualitates ac dispositiones materiales exhibeat, quae realiter inter se distinguantur oportet.

Organismus est « corpus aliquod naturale, partibus constans dissimilaribus, quoad compositionem chimicam et structuram physicam ac technicam, quae inserviunt diversis operationibus ad invicem dependentibus in bonum totius individui ». Hinc habetur elementum materiale, quod *staticum* vocant, et elementum formale, *dynamicum* a modernis appellatum. — *Prius* elementum potissimum a biologis ac physiologis examini subiicitur, ut investigetur diversa ratio structurae, compositionis et originis diversarum partium: nos aliquid de eis attingemus inferius in n. 30, et postea loquendo de vita vegetativa in nn. 55-59, eius originem ac structuram breviter delibabimus; nec amplius in eo immorandum videtur. Alterum vero elementum nobis directe ac diserte expendendum incumbit: quippe quod intimam ac propriam naturam et essentiam viventis constituit. Et proinde illud iam in thesi in luce ponendum curavimus, et deinceps videbimus, quomodo ex eodem hanc essentiam determinare valeamus.

22. **Prob. I p.** — In omni motu, qui habetur per transitum de potentia in actum operationis, pars mota est subiectum potentiale, quod perficitur, et pars movens est actus, qui ipsum perficit, aut saltem causa, quae producit actum istum perficientem. Atqui omne subiectum potentiale distinguitur tum ab actu, qui ipsum perficit, tum a causa, quae actum illum producit; et quando vivens movet seipsum, in eo habetur tum subiectum quod movetur, tum causa quae movet. Ergo in eo adstruenda est distinctio inter partem moventem et partem motam.

Prob. II p. — Motus vitalis, qui exercetur dependenter a materia, eo spectat, ut una pars aliam perficiat, nempe aut adiuvet ad exercitium operationis, ut in vita sensitiva aut conservet, ac restauret, vel simpliciter generet, ut in vita vegetativa. Atqui istae partes debent necessario esse dissimilares. Ergo. — *Prob. m.* — Ipsae enim diversum habent munus ac diversum finem proprium, ac proinde di-

versam exercent activitatem. Sed ex diversa activitate recte arguitur diversitas naturae principiorum, *saltem accidentalis*, et hoc praecise contingit, quum in vivente partes habeantur dissimilares, quae ideo quendam organismum constituunt. Ergo...

Dixi: *saltem accidentalis;* quia partes illae, quamvis diversam exerceant activitatem, omnes tamen ad unum communem finem substantialem reducuntur. Ac proinde omnes unam constituunt substantiam, ut inferius demonstrabitur, quae tamen oppositas habet perfectiones accidentales, iuxta quas dividitur in diversas partes dissimilares, ut multiplices exerat operationes, unde exoritur corpus organicum.

« Dicitur corpus organicum, ait S. Th., quod habet diversitatem organorum. Diversitas autem organorum necessaria est in corpore suscipiente vitam propter diversas operationes animae. Anima enim, cum sit forma perfectissima inter formas rerum corporalium, est principium diversarum operationum; et ideo requirit diversitatem organorum in suo perfectibili... Inter animas autem anima plantarum imperfectior invenitur; unde in plantis minor est perfectio organorum quam in animalibus » (1).

At si quis determinare vellet, quemnam organismum unumquodque vivens requirit, hoc tantum a posteriori effici potest, quod est proprium munus physiologorum.

28. **Dices.** I. Vivens est id, quod movet seipsum. Atqui si in eo distinguitur pars movens et mota, non habetur amplius id, quod movet seipsum. Ergo. — *R. D. M.;* quatenus idem est subiectum, quod movet et movetur, *c.*; eadem quoque sit pars, quae movet et movetur, *n.* — *Contrad. m.;* non habetur idem subiectum, *n.;* non eadem pars, *c.* Ut iam explicavimus in difficultate superiore (n. 15, VI), eatenus idem subiectum vivens potest movere seipsum, quatenus secundum aliquid est in potentia et secundum aliud in actu, quod proinde necessario requirit aliquam partium diversitatem, quarum altera sit movens, altera mota.

II. Non repugnat, ut aliquod ens secundum aliquid sit in potentia, et secundum aliud in actu. Atqui tunc nulla requiritur partium distinctio in vivente. Ergo. — *R. D. M.;*... ita ut saltem requiratur distinctio rationis inter utrumque, *c.*; neque haec distinctio requiratur, *n.* — *Contrad. m.;* non requiritur distinctio

(1) *De An.*, L. II, l. 1.

rationis, *n.;* non requiritur distinctio realis, *subd.;* si motus vitalis est spiritualis, *c.;* si est dependens a materia, *n.* — Quod saltem requiratur distinctio rationis inter illud, secundum quod ens est in actu, et illud, secundum quod est in potentia, evidens omnino est (1). Quoad distinctionem realem dicimus, eam non requiri in motu spirituali, sed necessario esse admittendam in motu, qui fit dependenter a materia. Ibi enim adstruenda est pars materialis, quae movet, et pars, quae movetur, utraque inter se distincta, quamvis pertineant ad eandem omnino substantiam.

III. Eadem voluntas est simul movens et mota. Atqui ibi nulla potest haberi distinctio. Ergo. — *R. D. M.;...* secundum idem, *n.;* secundum diversa, *c.* — *Contrad. m.;* si esset movens et mota secundum idem, *c.;* si secundum diversa, *subd.;* non datur distinctio realis, *c;* neque distinctio rationis, *n.* — Voluntas enim, ut suo loco explicabitur, inquantum actu appetit finem, movet se ad appetenda media ad finem, et ideo non est secundum idem movens et mota.

IV. Partes dissimilares sunt diversae naturae. Atqui in uno vivente nequeunt haberi partes diversae naturae. Ergo. — *R. D. M.;...* diversae naturae accidentalis, *c.;* substantialis, *subd.;* quamdiu manent in uno vivente, *n.* quando corrumpitur vivens, *c.* — *Contrad. m.* Revera partes illae quousque manent in vivente eandem exhibent naturam substantialem propriam viventis, et distinguuntur secundum perfectiones eis superadditas, quae proinde accidentales sunt. Quum autem aut ipsae separantur a vivente, aut vivens ipsum corrumpitur, tunc induunt novam naturam substantialem propriam correspondentem illi perfectioni, quae proinde alia et alia est iuxta diversas partes.

Thesis IV.

Ergo omne corpus organicum est vivens, et corpus anorganicum est non vivens.

24. **Status quaestionis.** — Vidimus vivens esse substantiam quae est capax movere seipsam ac novas sibi addere perfectiones, ex hoc igitur desumendum est medium ad dignoscendum, utrum omnia corpora etiam nempe anorganica vivant, necne.

Profecto quod in omni corpore motus quidam reperiatur, evidens omnibus est. Quinimo motus quoque corporum anorganicorum analogiam praesefert cum motu corporum, quae vivere dicuntur, ut ipse quoque Aristoteles iamdiu adverterat aiens : « Motus qui est in materia, quasi est vita eius » (2), et quoniam omnem

(1) Cfr. quae de distinctione rationis disseruimus in metaph. gen. nn. 108-110.
(2) *Phys.*, L. 8, c. I.

motum calor comitatur, hunc quoque vitam corporum appellat (1). Quaestio igitur huc redit, ut ostendatur, utrum, et qua ratione motus proprius viventium distinguatur a motu communi, qui reperitur etiam in corporibus anorganicis. Quapropter si apparet motus vitalis perfectiones praeseferre, quae nullo modo inveniuntur in motu corporum anorganicorum, iure inferre valemus, haec non posse dici viventia.

Praenotiones historicae. — Haec quaestio perantiqua est, et iam a graecis philosophis agitata; Aristoteles eam solvit, prorsus ratum habens, reapse existere corpora non viventia praeter viventia, et ea organis carere eorumque discrimen ex eo infert, quia ipsa carent operatione seu motu vitale: « lapidem, ipse ait (2), ali non posse invenimus ». Eum scholastici omnes uno ore sequuntur, nec videntur ullo modo solliciti, hoc discrimen diserte vindicare, tam ratum et indubium omnibus erat.

Unde iure potuit Suarez asserere: « Suppono inter substantias corporeas quasdam esse viventes, alias non viventes, quae divisio communi sensu quasi per se nota recepta est ex his, quae sensibus patent » (3).

At non defuerunt etiam inter antiquos, qui omnem materiam etiam anorganicam vita praeditam esse autumarent, quorum sententia *hylozoismus* vel *panpsychismus* appellari solet.

Sed praecipue nostra aetate post periodum renascentiae ea plurimos nacta est patronos, praesertim quum post *Giordano Bruno* († 1609) et Vanini († 1609) eo pervenerit, ut totum universum cum ipso Deo identificaret, et per iuges ipsius transformationes diversas rerum species ortas esse comminisceretur. Ex quo ortum habuit monismus pantheisticus, qui docet, omnes species oriri ex iugi materiae transformatione, et iugiter adhuc inter se transformari.

Quare modo nobis hoc unum praestandum est, ut ostendamus, corpus, quod nullum praesefert organismum constantem partibus dissimilaribus, nulla gaudere vita seu operatione immanente, qua seipsum moveat atque perficiat.

25. **Prob. I p.** — Quae facile ab omnibus admittitur. — Et primo *a priori* ita suaderi potest. Corpus organicum illud est, quod constat partibus dissimilaribus, quae diversa gaudeat virtute, ac in diversam tendunt operationem, unde ad invicem sese perficere queant per reciprocam actionem, quae proinde manet in toto composito. Atqui in hoc stat propria ratio vitae seu operationis immanentis, propter quam ens dicitur vivens. Ergo.

(1) *De generatione animalium*, L. 3, c. 10.
(2) *De Anima*, L. 2, c. 1.
(3) *De Anima*, L. 1, c. 1, n. 3.

Item in natura nihil est frustra. Atqui organismus partium dissimilarium frustra esset in vivente, nisi inserviret ad operationes diversas, quarum una influit in aliam, ut sese ad invicem perficiant, in quo stat propria viventis operatio. « Omnis enim res propter suam operationem esse videtur: operatio enim est ultima perfectio rei » (1). Ergo omne corpus organicum vivit.

A *posteriori* confirmatur, *a*) tum quia experientia docet, omne corpus organicum reapse vivere; *b*) tum quia analysi subiiciendo partes dissimilares cuiuscumque organismi, elucet, eas non adesse nisi propter diversas operationes, quibus sese ad invicem perficiunt, atque adeo immanenter agunt. Ergo.

Prob. II p. — et primo contra *Mechanicistas* et *Pantheistas*. — Qui putant etiam corpora anorganica esse viventia, innituntur vel in eo, quod omnis operatio vitalis reducatur ad actionem chemico-mechanicam, vel in eo, quod totus mundus corporeus sit una substantia vivens diversis obnoxia mutationibus. Atqui primum est falsum, ut inferius diserte monstrabitur, alterum est absurdum, contradictionem involvens et contra evidens cuiusque conscientiae testimonium, uti in Theodicea aperte demonstratur. Ergo.

Secundo contra eos qui putant in anorganicis reperiri phaenomena vitae. — Operatio propria viventis in eo est, quod ipsum sese moveat atque adeo immanenter operetur ac semetipsum perficiat. Atqui nullum corpus anorganicum hac gaudet perfectione operandi. Ergo.

Pr. m. 1) a priori ex ipsa carentia organismi. Organismus enim ad hoc praecise inservit ut diversae partes ad invicem perficiantur in bonum totius corporis, in quo consistit operatio immanens seu vitalis. Ergo ubi deest organismus, ipsa quoque operatio vitalis desit oportet. — 2) Prima operatio vitalis ea est, qua vivens sese nutrit, auget ac generat. Atqui in nullo corpore anorganico huiusmodi deprehenditur operatio. Multo minus autem in eis reperitur operatio vitae cognoscitivae et appetitivae, quippe quae neque in omnibus adest viventibus, et nonnisi in illo vivente

(1) S. Thomas, *C. Gentes*, L. III, c. 113.

corporeo reperitur, in quo iam adsit prior operatio vitalis. Ergo in anorganicis nulla omnino adinvenitur operatio vitalis.

Hoc idem confirmatur auctoritate plurium biologorum (1) et ex geologia (2).

26. **Dices:** I. Multa corpora anorganica, uti crystalla, augentur ac multiplicantur. Ergo vivunt. — *R. D. M.;...* per intussusceptionem seu veram nutritionem, *n.*, per appositionem novae materiae ab extrinseco advenientis, *c.* Porro eo ipso quod crystallorum augmentum habetur per huiusmodi appositionem, non ipsa se perficiunt, sed ab aliis perficiuntur. Nullum habetur igitur augmentum vitale.

II. Carentia vitae est imperfectio. Atqui mundus etiam anorganicus est perfectus. Ergo. — *R. D. M.;* est imperfectio negativa, *c.*, privativa, *subd.;* in iis in quibus vita nata est esse, *c.;* in omnibus entibus materialibus, *n.* — *D. m.;* est perfectus in suo ordine, quatenus non caret perfectione sibi debita, *c.;* in omni ordine, ita ut nulla perfectione careat, *n.* Porro vita non est prima perfectio, quae omnibus entibus inesse debet, quum plane intelligi possit ens perfectum ex eo quod *sit* et *operetur* saltem transeuntur, uti praecise sunt entia materialia. Ideoque quum vita ipsis non sit necessario debita, eius carentia est imperfectio tantum negativa. Nec ullum incoveniens est in eo quod mundo haec imperfectio tribuatur, cum et in ipsis quoque viventibus aliae adsint imperfectiones.

III. Viventia perficiuntur a corporibus anorganicis. Atqui non possent perfici ab eis, si vitae perfectionem non haberent. Ergo. — *R. D. M.;...* tamquam a causa materiali, *c.*, tamquam a causa efficiente vel formali, *n.* — *Contrad. m....* Revera quamvis viventia immanenter agant, eorum actio potest versari circa obiecta externa etiam non viventia, quae proinde sunt materia, circa quam actio versatur; ideoque sunt causa materialis actionis vitalis. Sed causa efficiens est ipsa vis vitalis, quae in vivente inest tamquam forma eius propria. Profecto causa materialis nullo modo habere debet perfectionem, quae circa eam producitur a causa efficiente. Et quaerenti: quomodo ex materia anorganica cognitionem ac scientiam haurimus, si illa hac vita carent? Respondemus cum Tullio (3): « Et ego quaero unde orationem, unde numeros, unde cantus? Nisi vero loqui solem cum natura putamus, quum propius accesserit, aut ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat. Naturae ista sunt non artificiose ambulantis, ut ait Zeno, sed omnia cientis et agitantis

(1) Cfr. quae habent hac de re Reinke, Virchow... et alii.

(2) Nam, ut asserit P. Wasmann, l. c., p. 233. « L'istante del primo apparire degli organismi collima geologicamente colla fine dei periodi azoici e con il principio dei paleozoici ».

(3) L. III *De Not. deorum*, c. 11.

motibus et mutationibus suis ». Ac proinde haec omnia non sunt nisi materia scientiae, quam facultas nostra cognoscitiva efficienter gignit in ordine intentionali, uti videbimus.

IV. Ubi adest actio ordinata tendens in determinatum finem, adest vita. Atqui in corporibus anorganicis haec actio adest. Ergo. — *R. D. M.;...* adest vita vel in illo eodem quod agit, vel in alio quod ipsum ordinate dirigit in finem, *c.;* necessario in illo quod agit, *n.*, vel, *subd.*, si sese dirigit in finem, *c.;* si ab alio dirigitur in finem, *n.* — *Contrad. m.;...* ita ut ipsa sese dirigant in finem, *n.;* ita ut dirigantur in finem, *c.* Scite ad rem S. Th. (1): « *motus est actus mobilis a movente*; et ideo virtus moventis apparet in motu mobilis: et propter hoc in omnibus quae moventur a ratione apparet ordo rationis moventis, licet ipsa quae a ratione moventur, rationem non habeant: sic enim sagitta dirigitur tendit ad signum ex motione sagittanis, ac si ipsa rationem haberet dirigentem: et idem apparet in motibus horologiorum et omnium ingeniorum humanorum, quae arte fiunt. Sicut autem se habent artificialia ad artem humanam, ita comparantur omnia naturalia ad artem divinam. Et ideo ordo apparet in his, quae moventur secundum naturam, sicut in his, quae moventur secundum artem ». Et ita omnino ruit tota argumentatio, qua Schopenhauer ostendere conatur adesse in ipso mundo anorganico veram voluntatem, quamvis imperfectam, ideoque veram vitam intellectivam. « Si acuto oculo intime naturae anorganicae phaenomena contemplamur, inter alia ipse ait, (2).... haud est difficile absque magna imaginatione, in eis nostram naturam invenire: illud idem, sicut in nobis, ductum per rationem tendit ad suos fines... et hoc elementum in nobis et ibi debet appellari voluntas, quae est unica natura rerum in mundo et radix omnium phaenomenorum ». Porro si ipse rite agnovisset sapientiam ac voluntatem auctoris naturae extrinsece dirigentis omnia in fines suos, omnia phaenomena adhuc melius explicasset. « Necesse est, ait iterum S. Th., quod omnia, quae carent ratione, moveantur in fines particulares ab aliqua voluntate rationali, quae se extendit ad bonum universale, scilicet a voluntate divina » (3).

V. In corporibus anorganicis est appetitus. Atqui appetitus supponit cognitionem et vitam. Ergo. — *R. D. M.;...* appetitus naturalis, *c.;* appetitus ordinis intentionalis, *n.* — *Contrad. m.;* appetitus intentionalis, *c.*, naturalis, *subd.;* cognitionem in ipso appetente, *n.;* in eo qui est auctor huius naturae, *c.* Porro appetitus naturalis non est nisi determinata tendentia insita omnibus entibus, qua ista moventur in finem ab auctore naturae statutum. Ac proinde iste finis debet cognosci ab auctore quidem naturae non autem ab ipso appetente. Scite S. Th. ibid.: « Quando

(1) *S. Th.* I-II, q. 13, a. 2 ad 3.
(2) *Die Velt als Wille*, I, p. 773.
(3) *S. Th.*, I-II, q. 1, a. 2 ad 3.

homo per se ipsum agit propter finem, cognoscit finem; sed quando ab alio agitur vel ducitur, puta quum agit ad imperium alterius, vel quum movetur altero impellente, non est necessarium quod cognoscat finem; et ita est in creaturis irrationalibus».

27. **Corollarium.-** Ergo in viventibus aliae quoque agnoscendae sunt proprietates, sive in ordine physico sive in ordine chimico, quibus ea a non viventibus distinguuntur. — Et sane proprietates in ordine physico eae sunt, quae diversas molecularum dispositiones respiciunt. Atqui vivens quum necessario quodam organismo gaudere debeat, determinatas quoque partium dispositiones sibi vindicat. Ergo. — Item viventia peculiarem habent activitatem, quum immanenter agant. Atqui peculiaris activitas proprias ac determinatas affinitates chimicas gignit sive ratione originis, sive ratione finis, sive modi, quo ipsae exercentur. Ergo.

Thesis V.

Ergo viventia a non viventibus specifice differunt.

28. **Status quaestionis.** — Hoc assertum, utpote evidenter fluens ex eorum oppositis characteribus modo expositis, vera demonstratione non indigeret, sed ob iuges ebortos errores, qui refutandi occurrunt, praestat aliquantulum in ea immorari. Et primo occurrunt *monistae*, qui ad suum tuendum systema, ut legem statuunt plane indubiam, non adesse ullam vim in mundo hoc adspectabili, quae non sit motus mechanicus vel mechanico-physicus. Hinc ipsi inferunt nullam haberi specificam entium differentiam, et hoc pacto viam sibi sternunt ad monismum evolutionisticum ac materialisticum suadendum.

Alii vero monismum minime profitentes, et aliquam entium specificam differentiam agnoscentes, non omnia tamen viventia a non viventibus specifice differre existimant, et praesertim operationes vitae vegetativae ad mechanicas, physicas et chimicas reduci posse autumant. Iamvero horum assertum inferius ad frutinam vocandum erit, quum examini subiicienda erit propria ratio vitae vegetativae. Quum ea infimum constituat vitae gradum, si ostenditur ipsa specifice differre a non viventibus, evidenter sequitur omnia viventia

a non viventibus specifice differre. Sufficit modo thesim vindicare a posteriori ex iis, quae iam exposita sunt.

29. **Probatur I.** — I. Viventia ea sunt, quae immanenter agunt, non viventia tantum transeunter. Atqui actio immanens specifice differt a transeunte. Ergo. — *Pr. m.* — Actio immanens exigit in agente talem vim, qua, posito obiecto circa quod versatur, agens sese moveat ad operandum. Actio transiens hanc vim nullo modo exigit, quum ipsa determinetur ab actione agentis extrinseci (v. n. 16). Atqui actio, quae procedit ab aliqua vi peculiari, specifice differt ab ea, quae hanc non exhibet. Ergo. — Insuper per hanc actionem vivens sese perficit, dum non vivens nequit sese perficere. Atqui agens quod valet sese perficere proculdubio specifice differt ab eo, quod se perficere nequit. Ergo.

II. Illa specifice differunt, quae proprietates et praesertim operationes praeseferunt specifice diversas. Atqui omnia viventia proprietates ac operationes praeseferunt specifice diversas ab iis, quae in non viventibus reperiuntur. Ergo.

Pr. m. Proprietates, quibus gaudent viventia, sunt constantes, ac semper, solis et omnibus viventibus conveniunt: ideoque eae sunt, quae apparent fluere ex ipsa propria viventium ratione et essentia. Insuper eae, quae in ordine chimico et mechanico reperiuntur, peculiarem exhibent activitatem specifice diversam ab ea, quae non viventibus inest. Eae vero, quae sunt in ordine physico, quamvis non omnes hanc exhibeant activitatem, cum iis tamen apparent ita connexae, ut ratione ipsarum adsint, nimirum ut eas iuvent ad propriam exercendam activitatem. Omnes igitur clare ostendunt in viventibus adesse peculiarem activitatem, ideoque peculiares vires activas eis proprias, quae in non viventibus plane desiderantur. Atqui activitas ac vires specifice diversae necessario exposulant essentiam specifice diversam, quum essentiae nonnisi per vires, quae ex eis dimanant, dignoscantur. Ergo.

30. **Evolvitur argumentum.** — Et sane ex huiusmodi proprietatibus praecipuae duae recensentur in ordine physico, tres in ordine chimico, atque duae ratione propriae activitatis ac finalitatis.

1) *Interna structura.* — Mineralia enim nullam vindicant peculiarem sibi structuram, sed partes prorsus similares et homogeneas habent, hinc etiam *anorganica* appellantur. Viventia vero diversarum partium aptam ac determinatam exposcunt structuram ad unum finem obtinendum, quae proprium eius organismum constituunt. Hinc diversa enascuntur organa, quae ad peculiarem sibi proprium finem ita determinantur, ut omnia simul ad unum eundemque communem finem dirigantur. Ac proinde partes distinguuntur heterogeneae seu dissimilares, quae tamen necessario concurrunt ad unitatem totius compositi, atque adeo ad eandem naturam specificam substantialem pertinent, sed diversam sibi vindicant naturam accidentalem.

2) *Forma sive figura.* — Corpora mineralia de se nullam exposcunt determinatam figuram, nisi ea tantum excipiantur, quae ex crystallizatione exoriuntur, quae etiam nonnisi regularem figuram et unam tantum in unaquaque habere valeant, eademque species eandem semper induit et omnes figurae ad sex typos revocantur. In viventibus autem magna adest figurarum varietas, praesertim inter diversas species, imo quoad partes secundarias etiam inter individua eiusdem speciei.

Proprietates in ordine chimico rem melius evincunt.

3) *Primo recensetur chimica constitutio.* — In corporibus mineralibus omnia quidem reperiuntur elementa chimica, sed in unoquoque eorum paucissima sunt, ita in uno composito minerali non inveniuntur plus quam tria vel quatuor, et raro pertingunt ad habenda quinque vel sex elementa. Hinc sequitur quod chimicae differentiae inter diversa mineralia sint multae et intimae; quum saepe in ea reperiantur diversa elementa et chimicae affinitates. Viventia contra, sive plantae, sive animalia, constant pluribus sed eisdem fere elementis, quae diversimode ad invicem componunt, semper tamen in numero limitato. Paucissima sunt exclusiva huius vel illius viventis; praecipua sunt oxigenium, hydrogenium, carbonium, azotum.

4.) *Origo.* — Mineralia originem sui habent ex viribus molecularum praesertim affinitatis chimicae et valentiae, per synthesim vel analysim substantialem diversorum cor-

porum, iuxta definitas leges multiplorum, et semper manent in eodem statu, in quo primo orta sunt. Viventia oriuntur per generationem proprie dictam, quae incipit ab aliqua cellula foecundata, producta a vivente eiusdem speciei et paullatim evolvitur in organismum perfectum; haec autem evolutio fit per multos gressus, atque ita incipiunt determinari diversae partes organicae inter se distinctae, quae proinde ad perfectum statum perducuntur. Haec omnia fiunt per vim insitam ipsi cellulae et per intussusceptionem, ut inferius explicabitur.

5.) *Duratio.* — Corpora mineralia semper durant in esse, eodem modo ac producta sunt, nisi agens aliquod extrinsecum ea corrumpat; et hinc est, quod etiam ad longum tempus ea durare queunt. Viventia nequeunt in esse perstare nisi nutriantur, ut novae partes assimilentur ad organismi conservationem, quibus iactura aliarum, quae veterascunt ac pereunt, restauretur. Hinc etiam fit, ut post aliquid temporis integer renovetur organismus, qui tamen progressu temporis debilitatur, quousque vires deficiunt et morti occumbitur. Quare dici potest in viventibus mors ei advenire ex intrinseco, in mineralibus tantum ex extrinseco, in quibus etiam non dicitur haberi mors, sed potius corruptio.

Hinc apparent discrimina ratione activitatis ac finalitatis. In viventibus enim habetur:

6.) *Nutritio* et *augmentatio.* — Per eas enim vivens et reparat, et auget partes cellulares easque conservat ad statum perfectum. Ac proinde viventia activitatem praeseferunt multo perfectiorem quam mineralia, quae hac proprietate destituuntur.

7.) *Reproductio.* — Viventia sese multiplicant virtute propria, quum vi gaudeant cellulas producendi, quae ab eis dissecantur et in nova individua eiusdem speciei succrescunt; et ita non modo reparant aliorum mortem sed numerum etiam augent. Ideo S. Th. ad tres reducit praecipuas operationes vitae vegetativae, quae communis est omnibus viventibus, et haec primo a non viventibus secernit (1). « Tres sunt potentiae vegetativae partis. Vegetativum enim,

(1) *S. Th.*, III, q. 1, a. 2 ad 1.

ut dictum est, habet pro obiecto ipsum corpus vivens per animam, ad quod quidem corpus triplex animae operatio est necessaria. Una quidem, per quam esse acquirat, et ad hoc ordinatur potentia generativa. Alia vero, per quam corpus vivum acquirat debitam quantitatem; et ad hoc ordinatur potentia augmentativa. Alia vero, per quam corpus viventis salvetur et in esse et in quantitate debita: et ad hoc ordinatur vis nutritiva ».

Omittimus interim alias proprietates vitae sensitivae et intellectivae, utpote quae non omnibus viventibus communes. Sed ex his omnibus oppositis proprietatibus, quas experientia docet reperiri inter omnia viventia et non viventia, iam evidentissime elucet viventia etiam inferiora a non viventibus essentialiter differe.

31. **Dices:** I. Omnis operatio vivens exercetur per easdem vires ac operatio non vivens. Ergo. — *R. D. A.* Omnis operatio etiam cognoscitiva, *n.;* vegetativa, *subd.;* per easdem omnino vires in iisdem circumstantiis per eadem media et quae debent moveri ad actum ab aliis viribus extrinsecis, *n.;* per quasdam vires proxime easdem sed in diversis circumstantiis et quae non debent moveri ad actum a viribus extrinsecis, ideoque exigunt in ipso vivente aliam vim remotam perfectiorem, quae istas determinat, *c.* — Videlicet vita vegetativa, quum tota versetur circa immutationem physicam materiae, exercetur per vires physicas et chimicas, seu, ut ait S. Th. (1), per qualitates activas et passivas. Sed circumstantiae ac media, quibus hae vires utuntur, tam diversae sunt, ut manifesto ostendant eadem agere ut instrumentum alicuius virtutis substantialis perfectioris, quae inest in vivente, ut valeat effectum illum producere, quem vires corporum nonnisi in circumstantiis maioris prorsus intensitatis ac mediis prorsus validioribus gignere valent. Ita e. g. calor, quo vires vitales immutant cibum, est fere minimus in comparatione illius, quo eundem effectum aliae vires producere queant. Et praeterea neque omnis effectus per has vires produci potest, praesertim praecipuus, qui est productio cellulae vitalis, ut incassum huc usque conati sunt eam producere recentiores chimiae scientiae cultores (2).

II. Vires viventium et non viventium discriminantur per

(1) In L. II, *De An.*, l. 7.

(2) Hoc aperte fatetur Claudius Bernard « Les êtres vivants présentent des phénomènes qui ne se retrouvent pas dans sa matière brute, et qui par conséquent leur sont spéciaux. J'admets que les manifestations vitales ne sauraient être élucidées par les seuls phénomènes physico-chimiques comme dans la matière brute » (*Introd. à l'étude de la médec. expérim.*, p. 2, ch. 1, s. 5).

maiorem vel minorem intensitatem. Atqui magis et minus non mutant speciem. Ergo. — *R. D. M.;*... per solam hanc diversam intensitatem, *n.;* per talem diversam intensitatem, ut plane ostendant requiri in vivente aliquam virtutem substantialem superioris ordinis, *c.* — *Contrad. m.* — Recole quae in probatione theseos exposuimus, et ratio distinctionis clare patebit.

III. Corpora non viventia habent in se principium sui motus sicut et viventia Ergo. — *R. D. A.;* quod principium indiget virtute extrinseca, qua efficienter determinetur ad agendum transeunter, *c.;* quod valeat per solam suam virtutem agere ac se perficere, *n.* — Quare non negamus omnia corpora habere in se virtutem substantialem activam et non tantum principium passivum sui motus. Sed hoc principium indiget determinatione alterius virtutis extrinsecae, quae efficienter influat in actionem transeuntem in aliud, quin unquam valeat se perficere. Ac proinde est in minimo gradu activitatis.

IV. Instas: etiam viventia indigent causa extrinseca qua determinantur ad actum. Ergo. — *R. D. A.;* causa materiali vel finali, *c.;* efficiente, *n.;* vel, *subd.*, tantum causa prima, *c.;* etiam secunda, *n.* Porro non viventia non modo indigent materia seu obiecto circa quod eorum actio versetur, sed etiam virtute extrinseca, quae efficienter influat in actionem transeuntem, viventia vero tantummodo indigent subiecto seu causa materiali, a qua determinantur ad ponendum hunc potius quam alium actum, ita ut hac determinatione proposita, ipsa per solam suam virtutem intrinsecam operationem producant, quae in ipsis maneat viventibus; cfr. responsionem datam in n. 15, II.

Thesis VI.

Certissime agnoscendi sunt in viventibus tres vitae gradus essentialiter inter se diversi, vitae nempe vegetativae, sensitivae et intellectivae.

32. **Status quaestionis.** — Modo inquirendum occurrit, utrum et ipsa viventia unam vel plures constituant species. Hoc autem facile dignosci potest, inspiciendo diversam rationem, qua corpora, quae ab omnibus vivere dicuntur, sese movent ac perficiunt. Et contendimus tres modos in eis reperiri, ita inter se diversos, ut tres gradus inter se essentialiter diversos constituant.

Profecto propria et intima omnium horum graduum ratio inferius comparatur, cum intima cuiusque natura suis locis investigatur. Hic sufficit huiusmodi conceptum eorumdem statuere, ex communi experientia depromptum, ut satis appareat eos essentialiter inter se differre.

Iam age vita *vegetativa* communiter ab omnibus in eo reponitur, quod viventia nutriuntur, crescunt per intussusceptionem et assimilationem eorum, quibus nutriuntur, et generantur ad

invicem, gignendo viventia sibi similia; haec vita in omnibus reperitur, quae vivere dicuntur, in *plantis*, *brutis*, *hominibus*.

Sensitiva autem in eo est, quod per quasdam facultates corporeas, quae *sensus* appellantur, percipiantur obiecta materialia extra existentia: ex quo peculiaris exoritur appetitus circa ista, qui proinde *sensitivus nuncupatur*. Cui accedit facultas etiam locomotiva, quasi medium aptum ad facilius et uberius haec obiecta percipienda et appetenda. Huiusmodi vita certo reperitur in brutis et in hominibus.

Intellectiva tandem ea est, qua cognoscuntur obiecta non modo materialia sed etiam immaterialia, abstracta, universalia; fiunt etiam iudicia, ratiocinia per facultates, quae *intellectus* et *ratio* vocantur, unde proprius exoritur circa eadem *appetitus*, qui proinde *intellectivus* dicitur, qui imo ita in ea tendit, ut circa plurima *libere* sese determinet. Haec est vita propria hominis.

Praenotiones historicae. — Distinctio inter hos tres vitae gradus aperte proponitur ac defenditur ab Aristotele. Enm praeiverat Plato, qui triplicem in homine distinguens animam, iuxta hos vitae gradus, iam pro comperto habebat, eas essentialiter inter se differre, et hanc ob rationem tres expostulabat animas distinctas, quae essent proprium ac diversum cuiusque vitae principium. Quae doctrina communiter ab omnibus Scholasticis extra omnem controversiam ut prorsus evidens agnita fuit. « Constans est, ait Suarez (1) omnium philosophorum sententia, tres tantum esse animarum gradus ».

Recentiores vero post Baconem et Cartesium antiquorum doctrinae valedicendo, ac novam rationem instituendo ad rerum naturas investigandas ac distinguendas, nonnisi accidentales differentias inter diversas rerum essentias adesse autumarunt atque adeo viam aperuerunt universali materialismo ac transformismo, de quo diserte inferius sermo nobis erit. Alii ex adverso omnem vitam ad ordinem tantum intentionalem transferentes, eam in cognitione tantum et appetitu reposuerunt, quousque ad purum idealismum devenerint. Et quoniam deinceps eorum omnium commenta fuse expendenda erunt, sufficit modo communem nostram vindicare sententiam, argumentis depromptis ex principiis et experimentis certis et omnibus notis.

33. **Prob. I.** — Tot vitae gradus essentialiter diversi agnoscendi sunt, quot operationes vitales essentialiter diversae deprehenduntur. Atqui tres huiusmodi operationes deprehenduntur, nempe *vegetativae*, *sensitivae* et *intellectivae*. Ergo. — Maior evidens est, nam sicut essentia viventium et omnium rerum ex operationibus a nobis dignoscitur, ita pa-

(1) *De An.*, L. I, c. 7, n. 3.

riter eorundem diversitas essentialis per operationes essentialiter diversas diiudicanda est.

Pr. m. — Operationes specificantur et inter se distinguuntur per diversa obiecta formalia, circa quae versantur. Atqui obiecta formalia horum viventium essentialiter inter se distinguuntur. Nam *a*) obiectum operationis vegetativae est ipsum corpus vivum nutriendum, augendum ac multiplicandum per generationem. Unde operatio vegetativa est materialis nutritio, augmentatio ac generatio viventis. — *b*) Obiectum vitae sensitivae sunt res materiales ac concretae distinctae ab ipso sentiente, quae ab eodem percipiuntur et appetuntur, ut realiter possideantur. — *c*) Obiectum vitae intellectivae sunt item res, quae ab eo apprehenduntur et appetuntur, sed tum materiales tum immateriales, tum concretae ac singulares tum universales; et horum cognitio comparatur etiam per iudicia ac ratiocinia, ut magnam illam segetem scientiarum et artium progignat, quantam ex hominum ingenio partam iugiter conspicimus. Et appetitus, qui enascitur, libertate quoque arbitrii gaudet, ex quo oriuntur actiones bonae ac malae, praemio ac poena dignae, virtutes ac vitia, iura et officia... et ita porro, uti suo loco fuse monstrabitur. Atqui huiusmodi obiecta in immensum differunt inter se. Quod ex eo etiam confirmatur, uti suo loco probabitur, quod vita intellectiva exerceri debet sine organo intrinsece cooperante, vita sensitiva dependenter ab organo, sed in ordine intentionali, vegetativa, tantum in ordine physico ac materiali. Ergo.

II. Praeterea vivens est illud quod movet se, operationem exercendo quam in se recipit. Ergo secundum diversum modum, quo viventia se movent et operationem in se recipiunt, merito diversi gradus viventium dispescuntur. Atqui si inspicitur tum modus, quo se movent, tum modus, quo motum seu operationem in se recipiunt tres vitae gradus essentialiter diversi agnoscendi sunt. Ergo.

Pr. m. quoad 1^am^ *p.* — In omni motu vitali tria spectanda veniunt, *forma*, seu principium motus, *finis* et *executio*. Iamvero *a*) in vita vegetativa *executio motus* est ab ipso vivente, sed sive forma sive finis, non pendent ab ipso, et unice determinantur ab auctore naturae. — *b*) In vita sensitiva,

tum *executio motus*, tum *forma*, sunt ab ipso vivente. Quatenus in eo habetur cognitio, ex qua diversa genera operationum vitalium exoriuntur, secundum diversas formas seu cognitiones habitas. *Finis* vero nullo modo ab eo pendet. — *c*) In vita intellectiva tandem etiam *finis* determinatur ab ipso vivente, quia cognoscit fines rerum et media ad finem. Quo fit, ut possit diversimode etiam agere secundum diversum, quem sibi praestituit finem, et secundum diversa media ad ipsum assequendum. Atqui evidens est, hos vitae gradus essentialiter inter se diversos esse. Ac proinde qui habet tantum executionem motus, est in infimo vitae gradu; qui potest sibi praestare etiam diversas formas, gradum vitae nobiliorem sibi vindicat; qui tandem ipsum quoque finem sibi praestituere valet, gradum vitae adhuc nobiliorem consequitur, ac sese perficere et iugiter progredi valet. Ergo.

*Pr. m. quoad 2*am *p.* — Actio vitalis eo magis est immanens, quo minus exercetur circa obiectum externum. Ideoque secundum diversum modum, quo ipsa pendet ab obiecto externo diversus vitae gradus distinguitur. Atqui *a*) operatio vitae vegetativae fere tota versatur circa alimentum extrinsecus receptum, et tantum in termino actionis nutritivae, quum nempe illud sibi assimilat, versatur circa ipsum subiectum vivens; dum contra in actione generativa tantum in initio operatur immanenter, sed in termino tendit ad ponendum extra se semen in se efformatum. — *b*) Operatio viventis sensitivi indiget actione agentis extrinseci ut determinetur ad agendum, sed tota actio completur in ipso agente et manet in ipsa facultate a qua procedit. — *c*) Operatio tandem vitae intellectivae, quamvis in primo transitu de potentia in actum indigeat determinari ab obiecto extrinseco, potest tamen deinceps supra se reflectere et plures actus gignere, qui manent in ipsa facultate intellectiva, sine ulteriori actione agentis extrinseci. Atqui immanentia huius operationis est superioris ordinis ac immanentia operationis sensitivae, et ista iterum est superioris ordinis ac immanentia operationis vitae vegetativae. Ergo (1).

III. Idem evincitur ex diversa immaterialitate actio-

(1) Cfr. *S. Th.*, I p., q. 78, a. 1.

num. Nam actio vitalis eo magis est immanens, quanto minus pendet a materia, quia in ente immateriali actio vitalis manet in eodem omnino subiecto, a quo procedit. Atqui *a*) operatio vegetativa est tota materialis, quum unice versetur circa transmutationem materiae: *b*) operatio sensitiva est tota in ordine cognitionis, in quo res attinguntur et assimilantur cognoscenti intentionaliter non autem materialiter. Nihilominus indiget tum physica immutatione organi facta ab obiecto, tum intrinseco concursu organi materialis: — *c*) operatio autem intellectiva non modo pertinet ad ordinem intentionalem, sed neque indiget immutatione physica neque intrinseco concursu organi, ideoque est intrinsece prorsus immaterialis. Ergo (1) arguunt tres vitae gradus essentialiter diversos.

34. **Dices:** I. Tot gradus viventium agnoscendi sunt, quot sunt genera potentiarum. Atqui haec sunt quinque. Ergo. — *R. D. M.;*... quot sunt genera proxima, *n.;* quot sunt genera remota, *c.* — *Contrad. m.* — Iamvero illos gradus viventium distinguimus, qui constituunt diversas substantias specificas viventium. Ac proinde inspicienda sunt principia remota substantialia ex quibus diversa genera operationum dimanant. Et quoniam ex eodem principio remoto substantiali fluere possunt diversa principia proxima seu genera potentiarum, perperam ex istis desumeretur distinctio diversorum graduum viventium.

II. Melius duplex tantum distinguitur viventium genus i. e. vitae naturalis seu vegetativae et intentionalis seu cognoscitivae. Ergo. — *R. D. A.;*... si ipsa vita cognoscitiva non exhiberet duplicem modum operandi apprime diversum, *c.;* si hunc duplicem exhibet, ut ostendimus in demonstratione theseos, *n.* (2).

35. **Corollarium.** — Ergo quatuor gradus entium apprime inter se diversi in hoc mundo distinguuntur nempe *regnum minerale*, *vegetale*, *animale* ac *species humana.* — Isti enim gradus, ut vidimus, talem ac tantam inter se praeseferunt diversi-

(1) Apposite *S. Th.*, I, q. 78, a. 2: «Est ergo quaedam operatio animae, quae tantum excedit naturam corpoream, quod neque etiam exercetur per organum corporale: et talis est operatio animae rationalis. Est autem alia operatio animae infra istam, quae quidem fit per organum corporale, non tamen per aliquam corpoream qualitatem et talis est operatio animae sensibilis... Infima autem operatio animae est, quae fit per organum corporeum et virtute corporeae qualitatis. Supergreditur tamen operationem naturae corporeae (i. e. non viventis). Omne enim animatum aliquo modo movet seipsum, et talis est operatio animae vegetabilis».

(2) Cfr. Suarez, *De An.*, L. I, c. 7, n. 3.

talem, ut nullo modo commisceri queant. Et quamvis inter genus imperfectissimum pertinens ad gradum superiorem et perfectissimum pertinens ad ordinem inferiorem magna adsit affinitas, ita ut appareant esse veluti in confinio horum graduum, ac proinde quasi sese tangere, aperta tamen elucet distinctio graduum, qui plane inter se secernuntur. Imo in tribus prioribus gradibus, multae agnoscuntur differentiae inter individua, quae ad ipsos pertinent, quaeque proinde diversas constituunt species. Et idcirco ipsi *regna* vocantur. Individua humana vero, quum eandem praeseferant speciem, gradum constituunt, qui non regnum sed *species humana* vocari solet.

At quoniam vita in actu secundo in omnibus istis viventibus exerceatur per diversas potentias, praestet statim proponere criterium quodnam generale ad eas inter se discernendas. Inferius vero magis in individuo designantur, quae et quot sint huiusmodi potentiae pro unoquoque vivente.

Thesis VII.

Potentiae in se specificantur immediate per actus et mediate per obiecta.

36. **Status quaestionis.** — Loquimur hic de potentiis, qua potentiae sunt, nempe prout ordinantur ad operationem exercendam. Nam, ut scite advertit Caietanus « de potentiis animae possumus dupliciter loqui. Uno modo inquantum *potentiae sunt*, et sic est totus sermo praesens. Alio modo inquantum proprietates sunt *talis naturae;* et sic non loquimur. Sic enim distinguuntur iuxta diversitatem naturarum, quibus insunt » (1). — Hinc elicitur, duplicem specificationem potentiarum spectari posse: *alteram* prorsus intrinsecam, quae in eis enascitur ex ipsa substantia cui insunt, et ita dispescuntur, in materiales ac spirituales, in simplices et non simplices; *alteram*, quae enascitur ex fine, ad quem ipsae naturaliter ordinantur, quaeque est partim intrinseca partim extrinseca : nam finis est quidem extrinsecus rei, quae in ipsum ordinatur, sed simul importat in ipsa aliquid intrinsecum, per quod aptatur et ordinatur in finem. Et hanc ob rationem specificatio, quae sumitur ex fine, est etiam intrinseca. « Obiectum, ait S. Th., licet sit extrinsecum, est tamen principium vel finis actionis. Principio autem et fini proportionantur ea, quae sunt intrinseca rei » (2). Praeterea dicimus : « potentiae *in se specificantur* », quia hic non spectatur specificatio potentiarum prout a nobis dignoscitur. Nos enim primo inspicimus obiecta, circa quae operationes versantur, et ex obiectis deducimus naturam

(1) Comm. in S. Th., p. I, q. 77 a 3.
(2) S. Th., p. I, q. XI, art. II ad 2.

operationum, ex istis vero naturam potentiarum. At contra potentiae in se prius ordinantur ad operationes ac deinde ad obiecta; ergo in se immediate debent specificari per operationes seu actus, et his mediantibus per obiecta.

37. **Prob. I p.** — Omne agens agit propter finem, uti ostendimus in Metaph. gen., thesi LI, seu omne agens *naturaliter* ordinatur in finem. Atqui haec *naturalis* ordinatio necessario ingreditur naturalem constitutionem entis, quod in finem ordinatur. Ergo omne ens intrinsece constituitur ac specificatur ratione finis, ad quem ordinatur. Atqui finis potentiarum sunt operationes seu actus earum. Ergo...

Prob. II p. — Eodem pacto. Nam sicut operationes sunt finis potentiarum, ita obiecta sunt finis operationum, ac proinde constituunt earum specificam differentiam. Atqui operationes immediate specificant potentias; ergo ipsa etiam obiecta, mediantibus operationibus, specificant potentias. — Adverte tamen quod obiecta debent sumi non *materialiter* sed *formaliter;* nempe secundum illam formalem rationem, secundum quam *primo et per se* a potentiis attinguntur. Nam praecise hac ratione ipsa sunt finis, in quem operatio tendit. Ita e. g. actio visiva primo et per se tendit ad *colorem*, non autem ad album vel nigrum, et alia id genus; actio auditiva ad sonum; actio gustus ad saporem... etc. Ergo color est obiectum formale facultatis visivae, sonus auditivae... etc. Et iuxta huiusmodi obiecta specificantur operationes et potentiae (1).

38. **Obiicies** I. — Nulla res habet duplicem specificationem.

(1) Ad rem S. Th. « Potentia secundum illud, quod est potentia, ordinatur ad actum. Unde oportet rationem potentiae accipi ex actu ad quem ordinatur; et per consequens oportet quod ratio potentiae diversificetur, ut diversificatur ratio actus. Ratio autem actus diversificatur secundum diversam rationem obiecti... Sed tamen considerandum est, quod ea quae sunt per accidens non diversificant speciem. Quia enim coloratum accidit animali, non diversificantur species animalis per differentiam coloris, sed per differentiam eius, quod per se accidit animali... Sic igitur non quaecumque diversitas obiectorum diversificat potentias animae, sed differentia eius ad quod per se potentia animae respicit; sicut sensus per se respicit passibilem qualitatem, quae per se dividitur in colorem, sonum et huiusmodi; et ideo alia potentia sensitiva est coloris, scilicet visus; et alia soni, scilicet auditus » S. Th., I p., q. 77, a. 3.

Atqui potentiae iam specificantur ex subiecto, cui insunt. Ergo. — *R. D. M.;* si est substantia, *c.;* si est accidens, *subd.;* si spectatur sub una et eadem ratione, *c.;* si sub diversa ratione, *it. d.;* si haec duplex specificatio ad invicem non subordinatur, *c.;* si subordinatur, *n.* — *C. m.*... Nam omnis res in se constituitur ac specificatur a causa extrinseca ratione finis, ad quem ordinatur, cum finis sit prima omnium causa. Nunc autem si illa res habet esse in se, hanc unam specificationem simpliciter habet. Si contra habet esse in subiecto, tunc ordinatur tum *ad essendum* in subiecto, tum *ad modificandum* ipsum, seu ad reddendum *tale vel tale.* Ita inquantum est in subiecto induit naturam, dependentem a natura subiecti, inquantum vero modificat ipsum, tunc dicit propriam rationem, quam ei affert, et haec propria ratio specificatur etiam a fine, in quem tendit illa perfectio. Iamvero quando istae specificationes ad invicem ordinantur, ita ut una alteri non repugnet, tunc nil prohibet, quominus eadem res hanc duplicem habeat specificationem.

II. Id quod specificat, debet praecedere rem specificatam. Atqui actus non praecedit potentiam. Ergo. — *R. D. M.;* quod specificat ut *forma*, *c.;* quod specificat ut *finis*, *subd.;* debet praecedere in intentione, *c.;* in re, *n.* — *Contrad. m.;* non praecedit in re, *c.;* in intentione, *n.* — Forma. quae specificat rem in ratione causae formalis, debet certe eam praecedere, sed finis sufficit quod praecedat in intentione illius nempe, qui ita specificat rem. Hinc recte ait S. Th., « actus, licet sit posterior potentia in esse, est tamen prior in intentione et secundum rationem, sicut finis in agente » (1). Tunc enim agens ita intrinsece constituit hanc rem, ut ea apta sit ad suum finem.

III. Una potentia saepe attingit obiecta contraria. Atqui tunc nequit argui differentia potentiarum. Ergo. — *R. D. M.;*... quae non conveniunt in aliqua ratione communi superiori, *n.;* quae in illa conveniunt, *subd.;* ita ut primo et per se attingat illam rationem communem superiorem, *c.;* ita ut primo attingat rationem propriam contrariorum, *n.* — *Contrad. m.*... Ad rem S. Th « Si potentia aliqua per se respiceret unum contrariorum sicut obiectum, oporteret quod contrarium ad aliam potentiam pertineret. Sed potentia animae non per se respicit propriam rationem contrarii, sed communem rationem utriusque contrariorum; sicut visus non respicit per se rationem albi, sed rationem coloris; et hoc ideo quia unum contrariorum est quodammodo ratio alterius, cum se habeat sicut perfectum et imperfectum » (2).

IV. Sensus communis attingit omnia obiecta sensuum externorum. Atqui ista non conveniunt in aliqua ratione communi. Ergo. — *R. D. M.;*. nempe attingit ipsas sensationes sensuum externorum, *c.;* attingit ipsa obiecta, *subd.;* primo ac directe, *n.;*

(1) I p., q. 77 a 3 ad 1um.
(2) Ibid., ad 2um.

implicite et indirecte inquantum conveniunt in hac formali ratione, quod *sentiantur a sensibus externis*, *c.* — *Contrad. m.;* ipsa obiecta in se, *c.;* prout *sentiuntur* et reduplicative qua talia, *n.* — Nam obiectum proprium sensus communis interioris est ipsa sensatio sensuum externorum, quae ideo unam importat formalem rationem. In ipsa vero implicite inveniuntur obiecta; quae sentiuntur. Et hoc sensu recte admitti potest responsio S. Th. « Potentia superior per se respicit universaliorem rationem obiecti quam potentia inferior; quia quanto potentia est superior, tanto ad plura se extendit. Et ideo multa conveniunt in una ratione obiecti, quam per se respicit superior potentia; quae tamen differunt secundum rationes, quas per se respiciunt inferiores potentiae. Et inde est quod diversa obiecta pertinent ad diversas inferiores potentias, quae tamen uni superiori potentiae subduntur » (1).

39. **Corollarium** I. — Ergo merito distingui possunt quinque genera potentiarum animae, nempe *vegetativum*, *sensitivum*, *intellectivum*, *appetitivum*, *motivum secundum locum*. — Quod sic declarari potest cum S. Th. (2) « Genera potentiarum animae distinguuntur secundum obiecta. Quanto enim potentia est altior, tanto respicit universalius obiectum, ut supra dictum est (quaest. praec. art. 3 ad 4). Obiectum autem operationis animae in triplici ordine potest considerari. Alicuius enim potentiae animae obiectum est solum corpus animae unitum; et hoc genus potentiarum animae dicitur vegetativum: non enim vegetativa potentia agit nisi in corpus, cui anima unitur. Est autem aliud genus potentiarum animae, quod respicit adhuc universalius obiectum, scilicet omne corpus sensibile, et non solum corpus animae unitum. Est autem aliud genus potentiarum animae, quod respicit adhuc universalius obiectum, scilicet non solum corpus sensibile, sed etiam universaliter omne ens. Ex quo patet quod ista duo secunda genera potentiarum animae habent operationem non solum respectu rei coniunctae, sed etiam respectu rei extrinsecae. Cum autem oporteat operans aliquo modo coniungi suo obiecto, circa quod operatur: necesse est extrinsecam rem, quae est obiectum operationis animae, secundum duplicem rationem ad animam comparari. Uno modo secundum quod nata est animae coniungi, et in anima esse per suam similitudinem: et quantum ad hoc sunt duo genera potentiarum, scilicet *sensitivum* respectu obiecti minus communis, quod est corpus sensibile; et *intellectivum* respectu obiecti communissimi, quod est ens universale. Alio vero modo secundum quod ipsa anima inclinatur et tendit in rem exteriorem. Et secundum hanc etiam comparationem sunt duo genera potentiarum animae:

(1) Ibid. ad 3um.
(2) *S. Theol.*, I p., q. 78, a. 1.

unum quidem, scilicet *appetitivum*, secundum quod anima comparatur ad rem extrinsecam ut ad finem, quod est primum in intentione; aliud autem *motivum secundum locum*, prout anima comparatur ad rem exteriorem, sicut ad terminum operationis et motus. Ad consequendum enim aliquod desideratum et intentum omne animal movetur ».

II. **Ergo patet appetitum intentionalem distingui a naturali et constituere diversum genus potentiarum.** — Nam, ut scite advertit S. Th. ibid. ad 3um, « quod appetitus naturalis est inclinatio cuiuslibet rei in aliquid ex natura sua. Unde naturali appetitu quaelibet potentia desiderat sibi conveniens. Sed appetitus animalis consequitur formam apprehensam: et ad huiusmodi appetitum requiritur specialis animae potentia, et non sufficit sola apprehensio. Res enim appetitur, prout est in sua natura. Non est autem secundum suam naturam in virtute apprehensiva, sed secundum suam similitudinem. Unde patet quod visus appetit naturaliter visibile solum ad suum actum, scilicet ad videndum. Animal autem appetit rem visam per vim appetitivam, non solum ad videndum, sed etiam ad alios usus. Si autem non indigeret anima rebus perceptis a sensu nisi propter actiones sensuum, scilicet ut eas sentiret: non oporteret appetitivum ponere speciale genus inter potentias animae, quia sufficeret appetitus naturalis potentiarum ».

10. **Vita in actu primo.** — Nunc accedamus ad vitam in actu primo investigandam, quae est ipsa substantia corporea. Porro ea duplici constat principio, materiali et formali. Ergo et substantia vivens ex his duobus principiis coalescere debet. Imo pro viventibus novum et evidentius extat argumentum, uti deinceps monstrabitur, quo existentia huius duplicis principii clarius suadetur; quocirca si cui res adhuc plane evidens non sit pro corporibus anorganicis, certa tamen et evidentior esse debet pro corporibus viventibus.

Sed antequam rationem intrinsecam horum principiorum investigemus, ipsum compositum in se inspiciamus oportet. Iamvero ratum habendo, ut innuimus in th. I, vivens esse aliquam substantiam; nunc quaeritur: *quando primo habetur aliqua substantia vivens*? Nimirum, quoniam haberi potest substantia vivens, quae sit *unum per accidens*, ac *proinde aggregatum substantiarum viventium*, *quaeritur*: quando habetur substantia vivens, *quae sit individuum per se unum*?

Ratio dubitandi ex duplici oritur capite: 1° ex eo quod vita proprie habeatur in cellula, ita ut in organismo pluri-

cellulari, vita videatur esse resultantia operationum vitalium singularum cellularum; 2° ex eo quod vivens praeseferat continuum eterogeneum, quod videtur esse contiguum.

Hinc oppositae exortae sunt sententiae, ad quas rite intelligendas ac solvendas, necesse est singillatim utrumque dubitationis caput expendere. Et quoad primum asserimus:

Thesis VIII.

Omne vivens, quod uno gaudet organismo, est individuum per se unum. non autem colonia cellularum, quae vita propria et independenti gaudeant.

41. **Status quaestionis.** — Supponimus modo tamquam certa quae physiologi docent de vita cellularum, ut inferius explicabimus. At immerito inde infertur, non dari in vivente pluricellulari unum individuum, nec proinde in eo admitti potest veluti colonia cellularum, quae essent totidem distincta individua, vita propria ac independenti praedita (1). Hanc enim conclusionem contendimus nullo modo inferri posse ex physiologorum experimentis, imo positive refragari tum eisdem experimentis, tum certo et communi hominum conscientiae testimonio.

Quare nostram sententiam, quae est communis inter scholasticos, modo vindicare satagimus, argumentis desumptis ex ipsis physiologorum principiis, directe refellendo ea, quae iidem ipsi ex adverso opponunt.

Praeterea hic loquimur de vivente, quod *uno gaudet organismo*, et ita effugimus argumenta, quae desumuntur ex animalibus annulosis, ex plantis, et ex animalibus spongiariis Haeckelii,

(1) Ita asserit e. g. Milne-Edwards in opere cui titulus *Leçons sur la Physiologie*, tom. 14, p. 266. « Le corps d'un animal, du même que le corps d'une plante, est une association de parties qui ont chacune leur vie propre, qui sont à leur tour autant d'associations d'éléments organisés et qui constituent ce que l'on appelle des organites. Ce sont des individus physiologiques unis entr'eux pour constituer l'individu zoologique ou botanique, mais ayant une indépendance plus ou moins grande, une sorte de personnalité ». Idem ait cl. Carnoy « Plusieurs savants vont plus loin en morphologie: ils n'hésitent pas à considérer les cellules comme des individualités indépendantes, comme des organismes élémentaires. Cette notion apparait nettement pour la première fois dans l'ouvrage de Turfin, dont le titre même porte: Observations sur chacune des vésicules composantes du tissu cellulaire, considerées comme autant d'individualités distinctes ayant leur centre vital particulier de végétation et de propagation, et destinées à former par agglomération l'individuale composée de tous les végétaux dont l'organisation de la masse comporte plus d'une vésicule ».

de quibus inferius. Nomine vero unius organismi intelligimus complexum illarum partium, quae nequeunt vivere, nisi simul colligentur et secundum diversas, quas exerunt, operationes ad invicem adiuventur ad unum eundemque finem totius viventis consequendum. Quare dicimus, omnes illas partes, quae concurrunt ad constituendum unum organismum viventis, unam quoque substantiam constituere. Unde si quae partes in aliquo vivente reperiuntur, quae ad unitatem organismi non pertinent, neque vitae rationem exhibent, vel forte, et hoc est sane attendendum, *alium sibi vindicant organismum*, istae possunt esse substantiae distinctae. Istis praestitutis veritas theseos faciliter suadetur.

42. **Prob.** I. — In omni individuo vivente apparet unum principium substantiale operationum. Atqui quando hoc principium est unum, habetur substantia quae est per se una, quia unitas substantialis constituitur praecise ab unitate principii formalis. Ergo. — *Pr. M.*, in quae est tota vis argumenti. — Re quidem vera, tria praesertim deprehendimus in omni individuo vivente: — *a*) quamvis multiplicitas habeatur operationum, quae propriae sunt diversis partibus, omnes tamen mirifice ad invicem ordinantur, ita ut una alteri inserviat, et omnes ad unum eundemque finem dirigantur. — *b*) Insuper huiusmodi ordinatio ac directio in unum finem est ex ipso *naturali* et *interno principio activitatis;* — *c*) et hoc principium *primo constituit vivens* in aliqua determinata specie. Propter quod viventia distinguuntur a machinis artificialibus, quae habent directionem ad unum finem a principio extrinsece adveniente partibus iam existentibus, quod proinde non est naturale neque internum. Atqui ubi adest *naturalis* et *interna* ordinatio activitatis diversarum operationum ad invicem et in *unum* finem, in quem istae *primo* ac *de se* diriguntur, semper respondeat oportet unitas causae intrinsecae, dirigentis omnia in finem. Haec autem causa intrinseca debet esse *forma*, quia est principium activitatis, et etiam *substantialis*, quia *primo* ponit vivens in rerum natura ,ipsumque constituit in specie determinata. Ergo.

Omnis organismus vitalis oritur naturaliter ex aliqua vi intrinseca ipsius cellulae matris; ex eadem quoque habet specificationem partium dissimilarium, quae activitatem ita diversam sibi vindicant, ut ad invicem ordinentur et adiu-

ventur, et eam exerere non valent, nisi sint partes illius organismi, ac proinde unus est finis omnium activitatum, nempe bonum totius substantiae organicae. Atqui huiusmodi partes organicae nequeunt dici substantiae distinctae, quae vita propria et independenti gaudent, secus enim omnis pars esset finis suipsius, et vivere posset etiam separata ab aliis. Ergo inspecta ipsa genesi, et natura organismi eiusque activitatis, apparet unum organismum ex uno principio vitali et ex una substantia efflorescere.

Placet idem confirmare hoc argumento proposito a Virchow, magnae sane auctoritatis in physiologiae scientiis, nec ullo modo addictus scholasticorum principiis. « Plantae et animalia, ipse ait, primo et ante omnia existunt propter semetipsa, et quidquid ipsa evadunt ex hoc habent... Intrinseca singularitas constituit eorum essentiam, et externa eorum figura, quae immediate ex ea consequitur, si nos valemus hoc percipere et explicare, fideliter nobis manifestat hanc intrinsecam essentiam. Integra evolutio individui, quae nobis apparet, usque ad terminum sui secum fert *sigillum unitatis*. Quamvis multae ac diversae sint partes, inveniuntur tamen ipsae in communi unione reali, in qua una pars ad alteram refertur, una altera indiget et nulla suam plenam evolutionem consequitur nisi in toto simul. Omne vivens operatur, ut ait Arist., iuxta aliquem finem, et iste finis, ut Kant explicite advertit, est finis intrinsecus: *vivens est finis suipsius* (1)... Finis intrinsecus est una simul mensura quoque externae structurae, iuxta quam nempe vivens in sui evolutione non transgreditur determinatos limites... Et ita vivens in se habet suum finem et suam mensuram, et in se ostendit *realem unitatem*, quae respondet unitati, quam nos cogitamus esse in atomo » (2).

(1) Haec propositio, ut a Kant statui videtur, admitti nequit. Ipse enim videtur excludere omnem alium finem extrinsecum, quod certe falsum est, ut alibi ostendimus. At si praesupponitur iam finis extrinsecus, tunc verum est quod *vivere*, nempe totum individuum *est finis suipsius*, i. e. dirigit omnes suas ac diversas operationes ad bonum totius individui. Et hinc merito deducitur unitas principii intrinseci, has operationes elicientis ac in unum finem dirigentis, uti antea explanavimus.

(2) « Pflanzen und Thiere sind zunächst und vor allem für sich, und alles was sie werden, das werden sie aus sich, wenngleich nicht immer durch sich. Die Besonderheit des Innerlichen macht ihr Wesen aus, und, die äussere

Praeterea confirmatur ex conscientia hominum. — Unusquisque enim in se experitur se unum eumdemque esse, qui omnes operationes exerit, quae ab eo procedunt, nempe eumdem esse, qui intelligit, sentit, vegetat, aegrotatur, patitur... et huiusmodi. Atqui hoc clarum conscientiae testimonium est evidens indicium unitatis substantialis, ex qua procedunt omnes operationes. Sed si in homine omnes istae operationes sunt ex uno principio, multo magis operationes viventium ordinis inferioris ex uno procedere debent. Ergo...

Tandem accedere possunt argumenta illorum physiologorum, quos inferius, n. 59, 3°, et 60, referemus, qui asserunt necessitatem alicuius principii vitalis a materia distincti, quod debet esse unum in toto organismo. Atqui ubi habetur unum principium formale, unum quoque enascitur individuum. Ergo concludamus oportet, etiam physiologice re inspecta, omne vivens, unum habens organismum, unam quoque substantiam constituere. Nunc vero ad trutinam revocanda sunt argumenta eorum, qui oppositum tuentur, quae iterum ex experimentis physiologicis desumuntur.

43. **De animalibus spongiariis.** — Contra hoc argumentum opponi solent ab Haeckel individua spongiaria. Nam haec individua, ut e. g. Olynthus Halisarca globularis, partes habent, quae vivunt prorsus separatae ac proinde certissime diversa constituunt individua, et omnes tamen harmonice concurrunt in unum finem communem toti spongiae, quae tota evolvitur quasi unum individuum in cuius bonum convertuntur omnes operationes vitales illarum partium. Atqui iste finis est primus ac na-

Gestalt, welche unmittelbar daraus folgt, offenbart uns getreulich, wenn wir sie zu begreifen und zu deuten vermögen, dieses innere Wesen. Die ganze Erscheinung des Individuums auf der Höhe seiner Entwicklung trägt das Gepräge des Einheitlichen an sich. So viel und mannigfaltig die Theile sein mögen, so befinden sich alle in einer wirklichen Gemeinschaft, in der ieder auf die andern sich bezieht, einer des andern bedarft, keiner ohne das Ganze seine volle Bedeutung gewinnt. Das Lebendige wirkt, wie Aristoteles sagt, nach einem Zweck und dieser Zweck ist, wie Kant genauer ausführt, ein innerer, das Lebendige ist sich selbst Zweck... Der innere Zweck ist auch zugleich, ein äusseres Maass über welches die Entwicklung des Lebendigen nicht hinausreicht... So trägt das Individuum in sich seinen Zweck und sein Maas; so erweist es sich zu der bloss gedachten Einheit des Atoms als virkliche Einheit». *Vier Reden über Leben und Kranksein*, S. 59. — Confer. etiam P. Pesch, *Die grossen Welträthsel*, Erster B. n. 245.

(3) Confer *Civiltà Cattolica* serie XII, vol. XII, p. 278, ubi breviter et clare exponitur hoc Haeckelii argumentum.

turalis, in quem tendunt illae partes, quae certe sunt individua distincta. Ergo. — *Resp.* — Existentia istorum animalium nullo modo refragatur thesi, prout a nobis proponitur. Nos enim non dicimus; ubicumque adest unitas finis naturalis diversarum actionum, ibi adest unitas principii formalis substantialis. Nam totus mundus habet unum finem naturalem, et omnia astra coelorum cum suis diversis operationibus in unum finem tendunt, nec tamen expostulant unum principium formale operationis. Sed aliae adhuc requiruntur conditiones: primo, *unitas organismi*, quatenus eius partes nequeunt suas vitales operationes exercere, nisi in illo organismo et dependenter a vita ipsius. Secundo quod *primo* ac *naturaliter* tendant in bonum totius organismi. Atqui utrumque vel saltem alterutrum desideratur in animalibus spongiariis Haeckelii. Ergo nihil ex eis arguitur.

44. **De Hydris et de plantis insitis.** — Eodem modo solvitur alia difficultas ex hydris desumpta. In istis animalibus enim hoc phaenomenon contingere potest, videlicet si quis plura ex eis in multas partes secat et ex unoquoque sumit aliquam partem diversam, et deinde has omnes simul arcte coniungit, brevi tempore efflorescit unum compositum animal vivens vita propria illius animalis in partes divisi. Hoc phaenomenon dupliciter explicari potest. Aut enim illae partes tali ornantur organismo, ut unaquaeque in se possit sufficienter suae vitae exercitium explicare, et tunc revera illud animal est compositum per adhaesionem partium ex multis substantiis individuis, eodem pacto ac corpus minerale maioris molis est compositum ex multis moleculis quae simul adhaerent. Et haec explicatio videtur prorsus probabilior, et forte etiam certa. Sin autem talis organismus in singulis illis partibus desideratur, tunc totum illud, in quo tantum ipse reperitur, est unum individuum, conflatum ex illis partibus et actuatum proinde per unam formam substantialem.

Idem dicendum quoque est de *plantis insitis in aliis*. Ipsae enim videntur omnino sibi vindicare proprium principium formale, diversum a principio formali plantae principalis, uti praesertim apparet ex diversitate fructuum, qui producuntur. Et ordinatio actionum est prorsus extrinseca, quum unaquaeque planta ordinetur proprie ad bonum sui; item dependentia, in eo tantum est, quod per lympham ab humo alimenta ad plantam insitam remittuntur. Praeterea advertendum est, quod huiusmodi insertio nequit fieri nisi in parte illa, in qua novus surculus e planta germinaret, ita ut nova planta insita in ea vivat eodem modo ac proprius surculus eiusdem plantae viveret (1).

(1) Hoc idem ait P. Salis-Seewis, (eph. *Civiltà Catt.*, serie XII, v. XII, p. 274), qui, quamvis dicat probabilem sententiam, quae asserit istas plantas constituere unum individuum, hanc nostram sententiam melius respondere factis experimentalibus: « Imperocchè, dovendosi credere che la natura del principio vitale corrisponda alla natura e all'attitudine degli organi che

45. **Obiicies I.** — In organismo pluricellulari multae habentur cellulae specifice inter se diversae, quae propriis limitibus terminantur et diversa texta constituunt. Atqui istae certe non possunt in unam individuam substantiam coalescere. Ergo. — *R. D. M. quoad* 1^am^ *p.;* quatenus cellulae habent diversas formas quae superveniunt primae formae substantiali, *c.;* quatenus habent formam substantialem diversam, *n.* — *D.* etiam 2^am^ *p.;...* quae simul *colligantur* per textum coniunctivum et fibrosum, *c.*, quae nullum ad invicem exhibent ligamen, *n.* — *Contrad. m.* Si istae cellulae haberent primam formam substantialem diversam, et nullo modo inter se colligarentur, *c.;* secus, *n.* — Ad habendam distinctionem specificam, per se sufficit distinctio diversi principii formalis. Sed si istud primo actuat materiam et est substantiale, constituit diversitatem et multiplicitatem substantiarum. Sin vero advenit priori, et ideo est accidentale, habentur in *una substantia* plures perfectiones accidentales diversae. Atqui perfectiones diversarum cellularum alicuius viventis, supponunt principium aliquod primum, a quo in unum finem naturalem primo diriguntur. Ad alteram vero partem dicimus, omnes cellulas etiam diversas unius organismi esse semper inter se coniunctas per fibras et filamenta, quae satis omnino sunt ut omnes una forma substantiali actuentur, uti videbimus in thesi sequenti.

II. Cellulae in organismo pluricellulari eodem modo operantur, sese nutriunt, crescunt..., sicut monerae et organismi monocellulares. Atqui in istis unaquaeque molecula est substantia vivens ab aliis independens. Ergo etiam in illis. — *R. D. M.;* .. si inspicitur materialiter ipsa operatio et solus finis proximus eiusdem, *c.;* vel *transeat*, si inspicitur etiam finis remotus, *n.* Scilicet si consideratur sola operatio materialis uniuscuiusque viventis, tunc *forte* (1) concedi potest, quod ipsa eadem sit in singula monera et in organismo pluricellulari; sed magnum reperitur discrimen, si inspicitur diversus finis remotus, in quem tendunt. Monerae unice tendunt ad sui conservationem, ut ipsae solae vivant. Cellulae in organismo pluricellulari tendunt ad

informa, non si può ragionevolmente ammettere che il principio vitale, il quale informa il tronco di una pianta di limone e nei suoi rami approda alla formazione del frutto suo proprio, sia atto ad informare il ramo innestatovi di un cedro ed in esso produrre legname, foglie, fiori e frutti di genere diverso; e per mezzo dei semi formati quivi, generare nuovi individui di natura estranea alla natura sua propria.

Nè si oppone a sì giusta sentenza l'apparente coordinazione delle funzioni al mantenimento del composto e di tutte le sue parti, la quale indicherebbe per sè l'esistenza di un unico principio di vita... ».

(1) Adverte tamen quod si hoc concedi potest quoad cellulas, quae dicuntur fixae, nullo modo valet quoad illas, quae in diversa texta transformantur, in quibus omnem suam independentiam ac individualitatem amittunt, ut patet ex iis quae antea exposuimus

conservationem totius individui et vitam habent *ita* dependentem a vita totius, *ut nonnisi in illo toto vivere queant.* Atqui hoc est evidens signum quod haec vita cuiusque cellulae procedat ab uno principio toti individuo communi, uti ostendimus. Ergo.

III. Tota histologia, ut ait Perrier, innititur in hoc principio, quod vivens est aggregatum cellularum, quae vita independenti gaudent. Atqui hoc principium nequit esse falsum. Ergo. — *R. D. M.;...* prout inspicit materiale vitae exercitium et eius finem proximum, *c.;* prout spectat formale principium huius activitatis et finem eius remotum, *n.* et *nego suppositum*, nempe quod hoc debeat spectari a physiologo. — *Contrad. m.:* nempe inquantum statuit exercitium materiale et finem proximum vitae, prout experientia docet, *c.;* inquantum excludit principium formale et finem remotum, *n.* — Solutio facile patet ex iis, quae saepe innuimus esse distinguenda, inter scientias experimentales et metaphysicam (1).

IV. Dantur quaedam animalia, quae multiplicantur in eadem specie per solam divisionem partium. Atqui in istis debet admitti multiplicitas substantiarum. Ergo. — *R. C. M.;* et *D. m.;* supposita multiplicitate organismi, *c.;* ea non supposita, *n.* — Hanc difficultatem non omnes solvunt eodem modo. Quidam enim putant, illa animalia ante divisionem esse unum per se ac proinde uno organismo constare: quod confirmari potest etiam auctoritate Arist. et S. Th. qui aiunt in istis animalibus sicut etiam in plantis animam esse unam actu et multiplicem in potentia (2). Et haec responsio, quae plane solvit difficultatem, non videtur repugnare, uti explicabimus in scholio inferius. Attamen quoniam diximus in cosmologia, satis esse admittere unitatem substantialem in molecula pro corporibus non viventibus, ita quoad ista animalia et quoad plantas sufficit agnoscere unitatem substantialem in illis partibus, quae organismo constant, sufficienti ad vitales operationes *proprias* exercendas. Quare si supponitur unaquaeque pars tali organismo ornari, ea dici potest substantia independens ab aliis, et hoc nullo modo est contra thesim nostram, uti in principio innuimus. Imo nobis potius arridet haec altera explicatio, quam nostra aetate tuitus est etiam cl. Farges.

(1) Ad rem P. Salis-Seewis in ephem. *Civiltà Cattolica*, anno 1885, serie XII, v. X, p. 549, loquens de doctrina, quam asserit Perrier esse fundamentum histologiae, asserit hoc esse falsissimum. « Cosa falsissima: perchè l'istologia occupandosi della struttura dei tessuti e dei loro principali elementi che sono le cellule, determina bensì il proprio modo di svolgimento delle cellule di ciascun tessuto, e le funzioni vitali esercitate da loro, ma nè presuppone, nè può dedurre che ciascuna cellula abbia un suo principio vitale proprio ed indipendente. Codesto abbaglio è nato dal non fare una considerazione sulla quale non si suole generalmente insistere, appunto per la sua evidenza; ed è che il principio vitale di un organismo complesso, verbigrazia dell'umano, com'è *semplice* in sè, così si vede essere *molteplice*, per abitudini e per virtù ».

(2) Cfr. e. g. op. *De Anima*, L. II, l. 4, et testimonia allata in scholio n. 59.

qui existimat hanc sententiam convenire cum principiis Arist. et S. Th., quum asserant animam esse unam actu et multiplicem in potentia. Quare tota quaestio in eo est, quod difficile est ostendere, quando ipsa evadat multiplex actu, praesertim quum haec multiplicatio videtur accidere, quin intercedat mors prioris viventis vel aliqua realis separatio. Et hoc, ipse addit, scimus contingere in quibusdam vermiculis, et maxime in plantis, in quibus, ut etiam Buffon ait, *calyx* vel *globulus*, qui foras emittuntur sunt « parva arbor, quae ceteris adiungitur ». Imo Claudius Bernard asserit: « Unaquaeque cellula corporis polypi hydrae constituit, ut ita dicam, ovum vel globulum, qui capax est sese evolvendi in integrum organismum » 1). Et hoc concedi potest dummodo asseratur ibi distinguendos esse diversos organismos saltem *embryonales* ac proinde diversas substantias 2). Quam conclusionem eo libentius amplectimur, ut facilius nostram sententiam tueamur independenter ab hac quaestione.

46. **Scholion. - De Sanguine et Lympha.** — Maiorem difficultatem videtur praeseferre quaestio de sanguine, utrum nempe actuatus sit ab eadem anima vivente vel non. Antiquiores existimabant, sanguinem non pertinere ad ipsam substantiam viventem, neque exercere operationes vitales, sed esse complementum aliquod requisitum ad vitae exercitium. Hinc deducebant, sanguinem non esse actuatum ab anima (3). Nostra autem aetate physiologi fere uno ore profitentur existentiam operationum vitalium in ipso sanguine. Et re quidem vera *a*) sanguis est textum quoddam corporis viventis exortum ex cellula germinativa eodem modo ac alia texta, ideo etiam a quibusdam appellatur *caro liquida; b*) praeterea ipse nutritur et suas habet cellulas, quae vivunt eodem pariter modo ac alia texta; *c*) ac praesertim istae cellulae multiplicantur et generantur, sicut omnis cellula vitalis. Ergo sanguis vivit sicut et omnis alia corporis pars.

(1) « Chaque cellule du corps d'un polype hydraire constitue donc pour ainsi dire un œuf ou un bourgeon, qui est capable de développer l'organisme total ». *Rapport sur les progrès*, p. 101.

(2) Cfr. etiam hac de re Farges: *La vie et l'évolution des espèces*, p. 103-104.

(3) Unde ratione opposita putabant capillos et ungues informari ab anima quia, ut ait S. Th. « nutriuntur et augentur, et sic patet quod aliqua operatione participant, quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectae » IV S. D. 44, q. 1 a. 2m. — Sed revera capilli et ungues non nutriuntur nisi in sola radice, quae ideo revera vivit. Partes illae externae, quae foras mittuntur, non sunt nisi effectus huius nutritionis, et in se nec nutriuntur nec augentur. Ergo sufficit dicere, quod ipsa cellula, quae constituit eorum radicem, sit viva et informata ab anima.

Dices. — Sanguis videtur esse simplex vehiculum cellularum corruptarum, quae expellendae sunt; et alimentorum, quae tantum quum assumantur a diversis corporis partibus, evadunt partes vitales.

Resp. — In massa illa liquida, quae per venas transcurrit, triplex genus cellularum distingui potest: *a*) earum, quae, iam corruptae et ex partibus vitalibus organismi decisae, expellendae sunt: *b*) earum, quae ex alimentis accurrunt, sed nondum plene transformatae sunt in perfectam cellulam viventem: *c*) earum, quae vere vivunt in sanguine vitam propriam harum cellularum. Profecto nos nonnisi de istis ultimis dicimus vivere uti veras partes organismi. Praeterea hic patet ab adversariis confundi munus secundarium sanguinis cum eo, quod primo eius naturam constituit. Sanguis enim in se est compositum cellularum viventium sicut omnia alia texta, et haec est eius natura; munus autem eius est, ut istae cellulae per totum corpus transcurrant, quae deinde in combinationem veniunt, mediante quadam combustione cum cellulis aliorum textuum, et ita ista reficiuntur et repărantur (1).

Lympha vero potius videtur non esse animata, quum ope-

(1) Ad rem P. Salis-Seewis, l. c. serie XII, v. XI, p. 420, 421, cuius verba placet hic transcribere, ob eius auctoritatem, et ut appareat nostram sententiam nullo modo esse novam: « Da tutto ciò si pare manifesto che il sangue in ragione del suo elemento principale anzichè un liquido amorfo è un sistema di parti, aventi forma definitiva, paragonabili, per l'ufficio che compiono, a veri organi erranti nel plasma, e dotati di vita quanto qualunque altra cellula dell'organismo. Vi si aggiunga per ultimo che anche le cellule sanguigne derivano come le altre dalla primitiva cellula embrionale: sicchè e l'analogia e la stessa origine persuade che esse, non altrimenti che le cellule collegate in tessuti stabili, siano vere parti dell'individuo, informate dalla sua anima e viventi della sua vita. Ed invero chi ripensa all'unità che collega tutte le parti dell'organismo in un solo essere e in una sola vita, non gli si può sembrare ripugnante che precisamente nelle nostre vene si annidi un popolo di viventi, non sapresti dire se animali o piante, generati dalla nostra stessa sostanza e incaricati di un ufficio per noi capitale, pel quale la natura non ci avrebbe dato in noi stessi nessun organo proprio. Certo è che anche alla filosofia antica, quando si trattasse di parti incorporate coll'individuo, bastava il palesarsi in esse un indizio di vita, per conchiudere che elle sono informate dall'anima del tutto, e non già da un principio vitale, distinto da essa!

Venuta pertanto in chiaro la vitalità del sangue nel suo elemento principale che sono le cellule, potremmo conchiuderne senz'altro che esso pure è informato dall'anima e compreso nell'unità dell'individuo; il che dovremmo conseguentemente asserire eziandio della sua parte liquida, cioè del plasma in cui quelle vanno travolte. In tal caso però, ritenendo sempre per impossibile, com'è di fatto, che una sola anima informi giammai più parti a vicenda sconnesse, dovremmo ammettere che una bastevole connessione possa aversi fra le parti di un liquido e fra più cellule immerse in esso, ancorchè il liquido si muova per interno rimescolio. E qui tornerebbe citare di nuovo l'opinione degli antichi, i quali nel corpo vivente, non ravvisano una perfetta continuità, ma piuttosto un collegamento di parti ».

rationes vitales nullas exerceat, et nihil contineat nisi elementa, quae a cellulis vitalibus segregantur necnon ea, quae a quibusdam assumuntur. Item in plantis lympha est humor, qui e radicibus ascendit per truncum et ramos ut alimenta necessaria eis afferat. Hinc elicitur, quod ii qui asserere vellent, sanguinem non esse nisi vehiculum alimentorum, videntur potius istum cum lympha confundere.

Thesis IX.

Unitati substantiali viventis nullo modo officit heterogeneitas et imperfecta continuatio partium dissimilarium.

47. **Status quaestionis.** — Nunc alterum punctum discutiendum venit: utrum nempe heterogeneitas partium et earum imperfecta continuatio opponatur unitati substantiali viventis. Nonnulli scholastici recentiores contendunt, contra S. Thomam, ad individuam ac substantialem unitatem tuendam, necessarium esse, agnoscere in unoquoque vivente unum quoque continuum, quinimo nonnulli fundant ipsam unitatem viventis in unitate continui, saltem tamquam in medio, quo illa unitas dignoscitur. Hinc consequenter isti conantur refellere argumenta physiologorum, quae praesertim ostendere videntur discontinuitatem partium viventis, et earum eterogeneitatem unice repetunt ex diversis qualitatibus, quae in diversis reperiuntur partibus.

Nos contra, distinguentes inter continuum stricte et late dictum, contendimus, per se nullo pacto requiri ad unitatem substantialem tutandam prius continuum, sed plane sufficere alterum. Quare ultro concedendo adversariis, in viventibus haberi non continuum stricte dictum, sed late dictum, tuemur hoc nullo modo refragari unitati viventis.

48. **Quid continuum late dictum.** — Est illud, cuius partes ita inter se colligantur, ut saltem ad sensum uno copulentur termino, quamvis in re habeatur, ut ait S. Th. (1), *magis quaedam colligatio partium, quam perfecta continuatio*. Dum vero continuum stricte dictum est illud, cuius par-

1) In *physicor.*, L. VIII, l. 7.

ies uno termino reali ontologico continentur. Iamvero multa habentur corpora, quae communiter continua appellari solent, quorum tamen partes non uno continentur termino reali, ea proinde nequeunt dici continua stricte dicta, sed merito vocantur continua *ad sensum*, vel continua late dicta: ita e. g. domus vocari posset *continuum artificiale ad sensum*, item omne vivens dicendum videtur *continuum naturale ad sensum*.

Praeterea idem S. Th., distinguens *totum* seu *continuum heterogeneum* a toto homogeneo asserit quod illud *est multitudo*, quod proinde nequit esse continuum stricte dictum. Ait enim « duplex est totum: quoddam *homogeneum* quod componitur ex similibus partibus; quoddam vero *heterogeneum* quod componitur ex dissimilibus partibus. In quolibet autem toto homogeneo, totum constituitur ex partibus habentibus formam totius; sicut quaelibet pars aquae est aqua, et *talis est constitutio continui ex suis partibus*. In quolibet autem toto heterogeneo qualibet pars caret forma totius. Nulla enim pars domus est domus, nec aliqua pars hominis est homo. Et *tale totum est multitudo* » (1). Sed totum quod est multitudo, uti patet, non constituit continuum stricte dictum.

Quare modo ostendere curabimus: sufficere hoc continuum ad unitatem viventis servandam, quam proinde facilius defendere valemus contra adversariorum impetus. Nam, ut etiam P. Urraburu testatur, « si quis porro causas percontetur, quae tot viros naturalium scientiarum peritos in sententiam communi hominum sensui tam contrariam traxerit (i. e. quod vivens non sit unum individuum), duae potissimum occurrunt: prima desumitur ex ipsa organismi compage contextuque, qui totus quantus ex innumerarum conglobatione cellularum existit, ita functiones exercere pergentium: unde asserere non dubitavit Perrier totam histologiam huic inniti fundamento doctrinae, quae cellulis in organismo vitam propriam, eamque independentem, asserit » (2). Si quis igitur eis ostendit vivens semper constituere

(1) *S. Th.*, I p., q. XI, a. II, ad 2um
(2) *Psych.*, L. I, D. I, c. 4, a. 1, n. 56

unam substantiam etiam quadam admissa discontinuitate cellularum, quae saltem continuum constituunt late dictum, facile ipsi ex hoc quoque capite recederent a sua sententia. Et ipsi enim concedere debent, istas cellulas, primo ac per se ad eundem finem dirigi, ideoque unum exposcere principium actionum, uti ostendimus thesi praecedenti 1).

49. **Prob.** — Et primo *a priori*. — 1. Unitas substantialis individua corporis efflorescit ex iis principiis, quibus intrinsece constituitur eius essentia substantialis. Atqui quantitas ideoque continuum est entitas accidentalis quae non constituit essentiam substantialem corporis, sed ei advenit iam constitutae in sua essentia individua. Ergo nulla adest necessitas continui realis ad unitatem substantialem corporis servandam.

2. Pariter essentia substantialis corporea in sua intrinseca natura nullam importat extensionem, sed eam tantum exigit ut sibi adveniat, postquam constituta sit in suo primo

(1) Placet hic afferre auctoritatem P. Salis-Seewis, qui simul ostendit, vivens non esse continuum at semper unum per se, actuatum nempe per unum principium formale. En eius verba, ex *Civiltà Cattolica*, anno 1885, serie XII, v. X, p. 554. « Che le parti del corpo animale non formino un tutto andante e continuo nello stretto senso della parola, ma siano attualmente distinte, *oltre ad essere un fatto a cui scorgere basta un occhio non cieco, è anche una verità professata in antico per ragioni filosofiche*. Onde S. Tommaso scriveva: *In animalibus. . est magis quaedam colligatio partium, quam perfecta continuatio*. Distinzione adunque quanta se ne può volere, ma distinzione di parti collegate senza interruzione. Un esempio bellissimo di siffatto collegamento l'abbiamo nelle cavità e nei canali sottilissimi delle ossa; *lacunae et canaliculi ossium*, come li chiamano gli anatomisti. Se si esamina col microscopio un osso, egli si vede tutto solcato da siffatti canalicoli che fanno capo alle piccole cavità o lacune sparse pel sodo della sostanza ossea. Or bene; in ciascuna cavità sta appiattata una cellula nucleata, che dalla sua sede procede alla formazione del deposito solido e alla sua distribuzione; ma ella non vi sta romita e separata in tutto dalle altre; chè il suo protoplasma ridondando nei canalicoli, e questi riallacciandosi coi canalicoli delle cellule circonvicine, vi stabiliscono quella comunicazione che pur ora dicevamo, e che tanto più evidente si scorge nei tessuti interamente molli.

Ora se usando il microscopio noi vedessimo i tessuti decomporsi in un popolo di cellule separate fra loro, nè collegate da nessuna sostanza intermedia che possa essere informata dall'anima concessa, l'attività vitale di ciascuna di quelle sarebbe certamente da attribuirsi ad un principio suo proprio, che ne facesse un individuo indipendente. Ma finchè l'istologia ci mostra cellule distinte bensì, ma collegate a vicenda così strettamente, il caso non è diverso da quello in ogni tempo conosciuto dei diversi tessuti abilitati a diverse funzioni, non da diversi principii vitali, ma dalla molteplice attitudine di una medesima anima che tutti li informa ».

esse. Atqui absonum est dicere, quod aliqua substantia individua non possit constitui in suo primo esse nisi dependenter a quodam accidente, quod advenire nequit nisi postquam ea iam in suo esse constituta sit. Ergo heterogeneitas partium et imperfecta earum continuatio nequit officere unitati substantiali viventis.

Dices. Argumentum nimis probat; sequeretur enim quod neque requireretur continuum ad sensum ad habendum individuum corporeum. — *Resp. Dist.*: Non requireretur ad constituendum in se individuum substantiale corporeum *c*; neque ad exercitium activitatis formae corporeae, unde etiam exsurgit pro nobis criterium sensibile ad distinguendum unum ab altero *n*. — Et revera, criterium quo primo utimur ad individua corporea inter se discernenda desumitur a continuo: quamvis intellectus postea aliis utatur argumentis vere scientificis, ut videbimus. Unde dici potest continuum non requiri in ordine *ontologico* ad constituendum individuum substantiale, sed tantum in ordine *logico*, relate ad nos, ut per sensus distinguamus unum individuum ab altero: ad hoc autem prorsus sufficit, ut diximus, continuum ad sensum.

3. Magis *directe*. Heterogeneitas partium non impedit quominus earum diversae operationes fluere possint ab uno principio substantiali, a quo etiam in unum finem dirigantur. Atqui tunc plane adesse potest principium unum substantiale, quod constituit unam substantiam, simul cum partibus heterogeneis seu dissimilaribus. Ergo.

4. Insuper heterogeneitas partium est qualitas, quae primo et per se afficit quantitatem et non substantiam. Atqui substantia fit per se una non ratione quantitatis continuae sed ratione formae substantialis; et forma substantialis per se una recte haberi potest, quando ei advenit accidens quoddam diversas habens qualitates, uti esset quantitas heterogenea. Ergo.

Hoc argumentum autem ut melius intelligatur recolendum est, quod materia individuatur quidem ratione determinatae exigentiae quantitatis, ut alibi diximus, sed hinc minime sequitur, quod illa quantitas sit continua stricte dicta. Nam ratio, cur exigentia quantitatis individuat mate-

riam, ex eo repetenda est, quia quantitas est situm habens, ac proinde materia exigens hanc quantitatem habentem hunc situm, fit *haec* et potest recipere *hanc* formam. Atqui ad hoc nullo pacto requiritur, quod quantitas ista sit stricte continua. Nam etiamsi sit lato sensu continua, potest semper aliquem situm determinare, et ita materia exigens huiusmodi quantitatem fit *haec*, recipit *hanc* formam et ratione *huius* formae, quae est una et simplex constituitur haec substantia, quae erit *una per se*. Ergo nulla omnino ratione suaderi videtur necessitas adstruendi strictum continuum, ad unitatem substantialem viventium in tuto ponendam. Et hoc eo magis elucet, quia ipse S. Th., qui aperte tuetur materiam individuari ratione exigentiae quantitatis, simul etiam docet, totum heterogeneum, quod est in viventibus, non esse continuum, sed *multitudinem* vel *colligationem partium*. Et ii etiam, qui ratum habent, omne corpus unum per se debere esse continuum, addunt tamen, sufficere *continuitatem imperfectam* (1); quamvis vero non satis explicent quid ipsa sit.

50. **Corollarium.** — *Ergo nullum corpus organicum est continuum stricte dictum.* — Et sane praeter ea quae in demonstratione theseos allata sunt, confirmari potest hoc alio argumento Arist. et S. Thomae, ita ut appareat hanc esse ipsam sententiam istorum philosophorum. En verba S. Th., qui mentem Arist. explicat (2). « *Nullum continuum movet seipsum*: gravia autem et levia sunt continua: ergo nihil horum movet seipsum. Quod autem nullum continuum seipsum moveat, sic probat: quia movens ad motum se habet sicut agens ad patiens. Cum autem agens sit contrarium patienti, necesse est quod *dividatur* id quod est aptum natum agere, ab eo quod est aptum natum pati. Secundum

(1) Accipe quae habet P. Urraburu, qui ad probandum, vivens esse unum individuum, praecipue utitur argumento ex continuitate organismi in *Psych.*, L. I, D. I, c. 4, a. I, n. 56; et addit « Ut superius notabamus, et fatentur nobilissimi Physiologi (sed plures adhuc contradicunt) atque ipsa experientia testatur, *organismus praebet continuitatem veram* saltem *imperfectam* ». Quinimmo si inspicitur notio individui, quam idem auctor egregie antea in n. 54 statuerat, iterum apparebit nullam esse necessitatem continui stricte dicti.

(2) *Phys.*, L. VIII, l. 7.

ergo quod aliqua sunt non contacta ad invicem, sed sunt omnino unum et continuum, et quantitate et forma, secundum hoc non possunt pati ab invicem. Sic ergo sequitur, quod nullum continuum moveat seipsum : sed necesse est, quod movens dividatur ab eo quod movetur; sicut apparet cum res inanimatae moventur ab animatis, ut lapis a manu. Unde et in animalibus, quae movent seipsa, *est magis quaedam colligatio partium, quam perfecta continuatio;* sic enim una pars potest moveri ab alia; quod non invenitur in gravibus et levibus ». Et hic adverte quod tota vis argumenti stat praecise in hoc, quod pars, quae movet debet *dividi* a parte, quae movetur, sicut agens a patiente. Quare inepte quis argueret, ad hanc distinctionem habendam sufficere distinctionem diversarum qualitatum, nam per istas agens non dividitur a patiente. Tandem hic S. Th. cum Arist diserte asserit quod « nullum continuum movet seipsum », et ideo grave et leve non possunt movere seipsa. Atqui si partes viventis distinguerentur tantum propter diversas qualitates, tunc certe efformarent continuum stricte dictum. Et revera intelligi numquam potest, quomodo *sanguis*, *caro* et *ossa* possint unum constituere continuum stricte dictum, nam tunc veracitati sensuum renuntiandum esset.

51. **Obiicies** I. Unius substantiae unum est accidens eiusdem rationis. Atqui continuum tale dictum non est unum accidens sed multiplex. Ergo. — *R. C. M.* — *D. m.;*... si nulla unitate copuletur, *c.;* si saltem unitatem imperfectam praeseferat, *n.* — Et sane sistendo in ipso exemplo allato a S. Th., forma domus est *unum* accidens, et tamen non est in una substantia. Nam quantitas dupliceem habet individuationem, ut alibi diximus. Quare quum substantia corporea aliquam exigit ac recipit quantitatem, eam unam ac individuam reddit ratione unius substantiae, in qua reperitur (1). Sed ipsa secum affert suam quoque individuationem, suum habens situm. Nunc quid vetat, quod partes illae quae unum situm extensum habent, sint perfecte vel imperfecte continuae? Et certe si partes imperfecte continuae possunt in se subiectare unam formam accidentalem e. g. *do-*

(1) Hic adverte: aliud est, corpus *individuari*, seu *fieri* unum, aliud est *esse* individuum, seu *factum esse* unum. Ut corpus individuetur, seu ut *fiat* unum, requiritur aliquid quod reddat formam individuam; et hoc diximus in th. XXXIV *metaph. gen.* esse materiam quantitate signatam. Cum corpus iam est individuum ac proinde iam habet unam formam sibi propriam, tunc forma est, quae deinde actu constituit et conservat illud individuum.

mus, statue,... etc.; cur una substantia non eas in se subiectare valet? Praeterea unitas substantiae pendet ad unitate formae: quare, sicut potest eius simplex per se unum suum applicare virtutem pluribus corporibus, quae aliquo modo copulantur, ita forma substantialis per se una actuat materiam, quamvis habentem partes non stricte continuas.

II. Ubi est multiplicitas actionum, nulla datur unitas substantialis. Atqui in vivente adest multiplicitas actionum. Ergo. — *R. D. M.:* si istae actiones non subordinantur ad invicem primo ac per se ad unum finem ab ipsa natura intentum, *c.;* si ordinantur, *n.* — *Contrad. m...* Et idcirco ex unitate finis, ad quem omnes actiones viventis ab ipsa natura primo ordinantur, merito deducitur unitas principii substantialis. Et sane sicut forma accidentalis, quae constituit aliquam domum, navim et alias machinas, quaeque advenit materiae iam existenti est una; ita una debet esse forma substantialis viventium, quae primo actuat materiam, ut omnes partes et eius actiones ad unum finem naturalem primo dirigere valeat.

III. Operationes substantialiter diversae requirunt diversa principia substantialia. Atqui operationes viventium sunt substantialiter diversae. Ergo. — *R. D. M.;...* operationes, quae habent diversum principium *quod* operationis, requirunt diversa principia substantialia, *c.;* quae habent diversum principium *quo* operationis, *subd.;* si ista principia sunt prima, *c.;* si supponunt aliud principium primum, *n.* — *Contrad. m.;...* si spectantur prout fiunt extra ipsum vivens atque adeo prout habent diversum principium *quod* operationis, *c.;* si prout sunt in ipso vivente et subiectantur in uno principio remoto operationis, *n....* — Principium operationis est forma. Quare si ista primo actuat materiam, tunc ipsa erit substantialis et constituit principium *quod* operationis, quod ideo substantialiter distinguitur ab alio principio operationis. Si vero invenitur in materia iam actuata a forma substantiali, tunc non constituit novum principium *quod* operationis, sed novum principium *quo* proximum, subordinatum proinde principio remoto. Porro hoc accidit in viventibus, in quibus diversum principium *quo* proximum operationis reperitur, ita ut haec omnia principia subiectentur in uno principio remoto substantiali, ac proinde nequeunt dici substantialiter diversa.

IV. Ubi est diversa materia et diversa forma quae eam actuat, habetur diversitas substantialis. Atqui in vivente est diversa materia, quum sit discontinua, ac diversa forma quae eam actuat. Ergo. — *R. D. M.* Ubi habetur diversa materia et diversa forma substantialis, *c.;* si est diversa accidentalis, quae huic advenit, *n.* — *Contrad. min.;* est diversa materia, quae actuatur per eandem formam substantialem, *c.;* per diversam formam, *subd.;* substantialem, *n.;* accidentalem, *c.* Materia prima constituitur eadem vel diversa ratione formae substantialis. Quare si

ipsa una erit, una quoque materia et substantia habetur, quia idem est principium essendi et principium unitatis. Ac proinde etiamsi materia quantitatem habeat discontinuam et qualitates diversas, quum istae sint accidentia, quae adveniunt materiae iam constitutae in suo primo et *unico* esse, non constituunt multitudinem substantiarum, sed plane adesse possunt in una individua substantia.

V. Si in uno vivente non datur continuum perfectum, tunc posset una forma actuare diversas partes inter se distantes, dummodo aliquomodo colligatas. Atqui hoc videtur repugnare. Ergo. — *R. D. M.;*. si partes illae sint naturaliter inter se colligatae, *c.;* secus *n.* — *Contrad. m.* — In hoc enim distinguitur corpus naturale ab artificiali; quod illud partibus constet iuxta *naturalem exigentiam* colligatis, ac proinde in sui prima ac naturali constitutione, prout exigitur a forma, a qua ipsae primo actuantur et constituuntur in sui naturali essentia. Alterum vero supponit partes iam constitutas ideoque completas, quae si coniunguntur, *unum per accidens* constituunt. Quocirca si priores partes ita inter se distant, ut sint et operentur independenter ab invicem, tunc sunt substantiae completae, quae diversis informantur formis, uti partes animalis annutosi, quae dicendae sunt separatae inter se. Si vero ita inter se distant, ut existere et operari nequeant, nisi colligatae reperiantur in aliquo toto, uti cellulae sanguinis in organismo viventi, tunc ab una actuantur forma. At si ipsae a toto separantur, sicut cum membra quaedam organismi ab eo disiunguntur, nequeunt amplius ab eadem actuari, cum hoc sit contra eius exigentiam naturalem.

VI. Si non adstruitur continuum stricte dictum in individuo *uno per se*, non habetur criterium ontologicum ad ipsum distinguendum ab ente *uno per accidens*. Ergo. — *R. Nego Ant.* — Criterium enim ontologicum desumendum est ex illis proprietatibus et operationibus, quae nobis exhibent intrinsecam naturam substantiae corporeae: quum nonnisi per eas substantia a nobis cognoscatur. Porro quando examini subiicimus corpus aliquod, si deprehendimus eius operationes necessario exspostulare unum principium formale substantiale, omnes eius partes actuans, necessario deducimus ipsum esse unum individuum substantiale. Hoc autem facile eruitur, si inspicitur finis proprius *proximus* et *immediatus* in quem operationes illius corporis tendunt, iuxta *primam* et *naturalem* inclinationem, ita ut partes illae agere nequeant, neque participare naturam propriam totius corporis, nisi sint cum aliis colligatae, quae in illis reperiuntur. Tunc profecto inferendum est, partes illas omnes actuari ab una forma substantiali, a qua primo constituuntur in sui propria natura, et in exercitio propriae activitatis diriguntur in finem illum proximum, proprium et adaequatum illius corporis in quo ipsae colligatae reperiuntur. Quinimmo si in hoc corpore, ut accidit in viventibus, distingui possunt partes,quae ita agunt, et in hunc finem

conspirant, aliae vero quae, vel in ipsum amplius non tendunt (uti sunt cellulae demortuae), vel in ipsum adhuc non tendunt, (uti alimenta ante transformationem) merito deducimus, eas non constituere cum toto organismo unum per se. Profecto hoc est clarum scientificum criterium ad dignoscendum individuum corporeum unum per se, desumptum ex ipsa intrinseca et specifica constitutione individuae substantiae. Aliud vero, quod desumitur ex continuitate partium, est vulgare et tantum sensibus inserviens, at saepe fallax.

Conclusio. — Re igitur a priori inspecta, dicendum esse videtur, nullam esse rationem, quae suadeat necessitatem continui mathematici ad habendum corpus individuum, quod sit unum per se. Imo unitas individui corporei in se neque constituitur neque dependet a continuo; istud exigitur tantum ut forma valeat exercere suam activitatem, et pariter ut nos valeamus per sensus nostros discernere unum individuum ab altero. Porro utrumque satis superque obtinetur per continuum naturale ad sensum, quod sit vera colligatio partium. Ac proinde assertum omnino demonstratum dicendum est; quod simul viam penitus claudit physiologorum argumentis contra unitatem viventis.

52. **Corollarium.** — *Ergo operatio vitalis est stricte immanens.* — Illa operatio est stricte immanens, quae manet in eadem substantia, a qua procedit. Atqui operatio vitalis manet in eadem substantia vivente, a qua procedit, quae est una per se. Ergo... — Quare quum in initio dicebatur, vivens movere seipsum, ac proinde habere operationem immanentem, nondum probatum erat, utrum haec actio esset *stricte*, aut *late immanes*, seu tantum sensibiliter. Et sane, illa actio immanens, quae tunc asserebatur, deducebatur ex sola experientia communi. Atqui haec experientia nondum ostendebat, utrum illa actio esset stricte immanens vel non: unde eodem modo dicitur planta viva, aqua viva, ignis vivus, machina viva... inquantum omnia movent seipsa. Ergo necesse erat ex *alio principio* deducere substantiam viventem esse per se unam, ex quo sequeretur tamquam *conclusio*, quod operatio vitalis est stricte immanens. — Qua de re perperam videntur probare unitatem substantialem viventis, ii omnes, qui eam deducunt ex operatione immanente viventis, quin tamen antea probassent, eam esse stricte immanentem (1).

53. **Scholion. — De Definitione essentiali vitae.** — Ex iis, quae hucusque explanavimus, facile deduci potest definitio essentialis vitae; ea nempe est « *substantia cui convenit secundum suam naturam movere seipsam seu immanenter agere ac sese perficere* ». In hac definitione, *substan-*

(1) Unde multo melius P. Liberatore in opere « Del Composto Umano » prius ostendit unitatem naturae viventis in homine, ac deinde explicat actio

tia est genus, reliqua verba sunt differentia specifica. In ipsis enim innuitur id quod distinguit substantiam viventem a non vivente, id quod convenit omni substantiae viventi, et est origo prima et intrinseca omnium perfectionum, quae in ea reperiuntur. Haec omnia facile patent, si in memoriam revocantur ea, quae antea exposuimus.

In aliis definitionibus a physiologis traditis, ut recte advertit P. Tongiorgi, propriam vitae rationem frustra quaeris. Cum enim hi accuratissimi sint et maxime perspicaces in vitae phaenomenis mechanice explicandis, eiusque instrumentis describendis, quando tamen de ipsa vitae notione agitur, eam cursim, obscure, atque adeo inaccurate exponunt, et, quod inde consequitur, cum magna opinionum varietate. Sufficiat celebriores memorare.

a) Iuxta Georgium Ern. Stahl vita (1) : « *nihil est aliud formaliter quam conservatio corporis in sua mixtione corruptibili, sine omni corruptionis istiusmodi actuali eventu* ». Ast haec definitio in primis ex vi verborum aptari posset cuicumque chimico composito facile dissolubili, sed caute custodito ne citius dissolvatur. Deinde non amplectitur nisi vitam vegetativam, et in hac attingit potius effectum quendam actuum vitalium, quam essendi modum, a quo ipsi procedunt, qui est vita. Demum convenire potest etiam cadaveribus incorruptis, sive per aromata, sive per miraculum.

b) Ex hac Stahlii definitione, suam desumpsisse videtur celeber ille alter physiologus Bichat, iuxta quem vita est : « *complexio functionum quae morti resistunt* ». (2).

nem immanentem viventium. Et allato testimonio S. Th., quod antea retulimus n. 7, addit. « Onde si vede che quando il senso comune attribuisce la vita alle piante, implicitamente attribuisce loro un movimento *ab intrinseco*... E l'analisi *filosofica* conferma questo giudizio del volgo; attesochè come più *sopra vedemmo*, la pianta in ciò si distingue dai minerali, che rappresenta *una vera totalità*, ossia un composto di molte parti, concorrenti a costituire un solo individuo con *un sol fine* e con operazioni varie bensì, ma tutte al medesimo fine subordinate », p. 57. Ergo prius ostendit unitatem viventis, ex qua philosophice infert actionem vitalem esse stricte immanentem.

(1) Stahl medicus Berolinensis, librum scripsit, cui titulus: *Theoria medica vera*, Hallae 1708.

(2) « On cherche dans les considérations abstractes la définition de la vie: on la trouvera, je crois, dans cet aperçu général: "La vie est l'ensemble des fonctions, qui resistent à la mort" ». (*Recherches physiol. sur la vie et la mort*, 1 p., a. 1.

Quae quidem descriptio, quamquam vitia quaedam superioris definitionis devitet, in illud tamen gravissimum incidit, quod vitam explicat per mortem, nempe quod reale est per eius privationem. Praeterea vitam solummodo entium corruptibilium spectat, immo vero unum ex eius effectibus, eumque non primum nec praecipuum.

c) Communior est definitio Richerandii, qui vitam vocari dicit: « *complexionem phaenomenorum quae sibi succedunt in corporibus organicis intra limitatum temporis spatium* ». In qua praeter defectum notatum in praecedentibus, quod nempe de vita solum organica loquatur, illud etiam habetur incommodi, quod nominalis potius definitio est quam realis.

d) Magis probanda videtur definitio Lamarkii, aientis: « *vita est status ille rerum, qui eis motus organicos permittat, hi motus autem, qui constituunt vitam activam, proficiscuntur a causa quadam excitante, quae illos provocat* ». Haec definitio, quamvis nimis indeterminata, si tamen applicatur tantum vitae materiali, videtur admitti posse, saltem physiologice inspecta. Nam motus illi organici ii sunt, quos *immanentes* vocamus, et causa excitans debet esse aliqua res intrinseca viventi, quam animam dicimus.

e) Fere idem iudicium ferendum videtur de definitione, quam tradit Cuvier, qui unam spectat vitam vegetativam, « in qua, ipse ait, deprehenduntur effectus vitales simpliciores, et quae consistit in facultate, quam habent quaedam combinationes corporeae, ut durent certo tempore et sub quadam forma determinata, iugiter attrahentes in sui compositionem partes substantiarum circumstantium, et ex eis efficientes diversas partes propriae substantiae » (1). Hic describitur ipsum exercitium vitae vegetativae, quod aperte praesupponit motum immanentem in huiusmodi substantiis, et facultatem illum exercendi.

f) Tandem mentio facienda est definitionis vitae, quam tradit Spencer, quippe qui fuse eam evolvit: ita clare eam

(1) *Le régne animal. Introduction*, p. 13. — Similiter loquitur Schopenhauer: « Leben ist Zustand jenes Köpers, darin er unter dem beständigen Wechsel der Materie seine ihm wesentliche Form allzubehält » (*Parerga u. Parlip*, II, ed. 1ª, 172).

exponit P. Urraburu (1): « Spencer requirit ad vitam, ut comprehendat: α) plures *mutationes et simultaneas et successivas subiecti*, quod idem substantialiter permaneat; β) easque non homogeneas, sed *heterogeneas et varias*, quaeque γ) sint *aliae aliis consertae* atque invicem *connexae et ordinatae* ita, ut alia ab aliis dependeant, quare vita non est utcumque *series*, sed *combinatio* mutationum: nec δ) combinatio quaelibet, sed *definita* ac certo modo fixo determinata; nam etiam in non viventibus et in decompositione cadaverum passim cernuntur series mutationum non tamen definitae, sed indefinitae. His nondum contentus Spencer ε) requirit ad rationem vitae, ut definita huiusmodi mutationum combinatio *correspondeat*, phenomenis ac mutationibus medii circumstantis ». — Iamvero et haec definitio respicit solum vitam, quae exercetur dependenter a materia ac praesertim vegetativam. Imo non exhibet nisi descriptionem quorundam phaenomenorum vitae, quin ullo pacto ostendatur prima radix ac sufficiens ratio eorundem.

54. **Conclusio.** — Initio ducto a communi vitae conceptu, vidimus omnes eam reponere in eo, quod vivens moveat seipsum, seu in operatione immanenti. Hinc conati sumus proprium conceptum huius operationis assequi, prout ea ab actione transeunte distinguitur. Dein progressi sumus ad ostendendum, hanc operationem non constituere ipsam essentiam viventis, sed esse potius eius proprietatem essentialem, seu, ut aiunt, *vitam in actu secundo*, ex qua per viam analysis intellectus manuducitur ad essentiam substantialem viventis agnoscendam, quae iure appellatur *vita in actu primo*, et est in se subiectum illud substantiale, permanens in successione phaenomenorum vitalium et constituit proprium psychologiae rationalis obiectum.

Ideo nostrum erat naturam huius substantiae investigare ac scrutari, et ita adinvenimus, eam primo necessario requirere organismum, adeoque omnia viventia esse organica, dum contra omnia anorganica certo non sunt viventia. Inde aliae enascuntur proprietates viventium, in ordine physico et chimico, in ratione activitatis et originis, quibus omnia viventia a non viventibus specifice differre manifesto apparent.

Tunc ulterius progrediendo, vidimus tres gradus essentialiter diversos in viventibus adesse, vitae nempe vegetativae, sensi-

(1) L. c., cap. I, a. 1, n. 11, 70. — Omittimus definitiones recentiorum, quippe quae fere unice constitutionem organicam viventium respiciunt, ut innuimus in n. 12, in nota 5.

tivae et intellectivae. Praeterea quoniam diversa activitas entium viventium necessario expostulat diversas facultates seu potentias, quae hanc exercent activitatem, opportunum visum est inquirere, quomodo huiusmodi potentiae in se specificentur et ad invicem distinguantur, et statuimus eas specificari per actus et obiecta.

Postremo, ne tanta varietas potentiarum et actionum et praesertim heterogeneitas partium in errorem induceret circa unitatem substantiae viventis, eam vindicare conati sumus. Et ostendimus hanc unitatem plane haberi posse in organismo praedito diversis potentiis et partibus dissimilaribus, quamvis continuum late dictum habeatur et multae adsint cellulae propriam exercentes actionem. Quum enim ipsae primo et naturaliter omnes in unum finem toti composito communem suas dirigant actiones, necessario actuantur per unam formam substantialem, unamque proinde efformant substantiam.

Ita facilis occurrit definitio essentialis viventis, ex qua elucet vivens esse veram substantiam perfectiorem corpore anorganico, eiusque perfectionem in eo esse, quod ipsa activitate gaudeat sese movendi ac perficiendi.

Ex ea via aperta manet ad singulos viventium gradus singillatim investigandos, et cuiusque propriam rationem inquirendam et intrinsecorum principiorum naturam in luce ponendam. Prius ergo de vita vegetativa.

ARTICULUS II.

DE VITA VEGETATIVA.

55. **Quid vita vegetativa.** — Vita vegetativa ea dicitur, qua vivens nutritur, augetur ac generatur, quae proinde tota absolvitur per activitatem, cuius exercitium est prorsus dependens a materia. Quamobrem ad eius naturam investigandam ac propriam rationem principiorum huius activitatis statuendam, prius inquirendum erit, quid requiratur in materia, ut ipsa exerceri queat, ac dein quodnam principium formale adstruendum sit, quod intrinsecam eiusdem rationem referat.

Prima pars, uti patet, debet resolvi per experientiam, quum tota experimentalis sit, ideoque potius pertinet ad scientias positivas; altera vero est proprie metaphysica. Igitur quoad primam partem breviter recensenda sunt ea, quae in illis scientiis docentur, ut appareat quid certi sit, quid tantum probabile. Ita melius paratur via ad alteram

rite solvendam, et errores refutandos, qui circa vitam eiusque originem circumferuntur.

Iam age, corpus vivens debet esse organicum; videndum igitur est, quomodo huiusmodi organismus intrinsece constituatur. Iamvero postquam Th. Schwan († 1882) celebrem illam sententiam statuit (1839), omnes organismos ex cellulis esse compositos, quae sint ultimae morphologicae et physiologicae organismorum unitates, ratum evasit apud omnes physiologos, organismum regulariter ortum habere ex *cellula*, quare ut rationem geneticam organismi perspiciamus, prius videndum est, quid sit huiusmodi cellula in se; et hoc eo vel magis, quia histologi iam in ea deprehendunt fere omnia vitae phaenomena. Anno enim 1801 Bichat in lucem protulit suam « anatomiam generalem » in qua, simul ad ordinem redegit ea quae sui praedecessores Ruysch, Swammerdam, Fontana ac nonnulli alii adinvenire conati fuerant circa intimam structuram organismi, atque ita ostendit intimum nexum inter eam et functiones vitales. Hinc factum est, ut vires cultorum istius scientiae huc converterentur, et in organismi structuram ita inquirerent, ut scientia histologica multos consequeretur progressus. Ultima ac praecipua conclusio fuit haec, prout a Schwan statuta fuit: « Organismus animalis originem ducit a simplici cellula, et ab iisdem elementis (cellulae) aliae quoque partes organicae oriuntur magis complexae ». Hanc conclusionem confirmarunt, ac melius illustrarunt recentiores, e. g. Schultze, Krause, Frey, Reale, Virchow, Häckel et alii. Cellula definiri potest ad mentem histologorum: « corpus minimum, variabilem habens naturam, quod primo incipit vivere, et ex quo completus organismus viventium evolvitur ».

Quare sicut in corpore anorganico molecula est illa, in qua primo salvatur ratio seu essentia alicuius corporis, ita cellula est illa, in qua primo reperitur ratio alicuius naturae viventis. Hoc tamen adest discrimen, quod molecula iam dicit *plenam* ac *perfectam* naturam, cellula vero, praesertim in viventibus perfectioribus, eam dicit tantum in statu *inchoativo*, vel partiali, ac proinde necessario tendit ad sui evolutionem, ut cum aliis integrum constituat organismum cuiusque viventis. Cellula generatim circa 10 μ (1 μ = 00001 ^{mm}. millesima pars-millimetri) magnitudinis habet, in ea plures distinguuntur partes: *membrana*, quae est externum quoddam involucrum (1), *protoplasma*, quod est substantia quaedam pene liquida, seu glutinosa structuram et constitutionem habens nullo modo simplicem: in quo includuntur *nucleus* ac *nucleulus*, qui sunt corpuscula granulosa.

(1) Haec membrana praesertim reperitur in plantis ea, a protoplasmate producta, ipsum protoplasma tuetur et firmat. Animalium autem cellulae vel nullam vel tenuem tantum habent.

Pars praecipua est *protoplasma*, quod (ex graeco verbo πρῶτος et πλάυυω) quasi *primo format vitam*: quum in eo deprehendantur omnes *functiones*, ut aiunt, vitales, nempe *nutritionis*, *reproductionis* atque adeo *augmenti*, et quandoque etiam *locomotionis* vi suae contractilitatis. Ita ut quando hoc protoplasma has suas *functiones* amplius non exerit, cellula habetur tamquam mortua.

Quando cellula vivit, eo semper tendit, ut aliae ex ea producantur, ex quibus integer efflorescit organismus, et ipse organismus intantum vivit, inquantum omnes et singulae cellulae vivunt. Quare cellula est tum primum principium ex quo oritur organismus, tum eius pars constitutiva. Inquantum est primum principium organismi viventis, ipsa seiungitur ab ovario materno et quando iam foecundata est, habet *naturam intrinsecam viventem*, ita ut possit vivere etiam separata a generante, adeoque naturalem refert determinationem ad reproductionem organismi, ac propriae naturae specificationem, ut producat hunc specificum organismum et non alium.

56. **Quid cellula vitalis.** In huiusmodi cellula vita inveniri potest etiam in statu *latente*, ut aiunt, saltem apparenter, inquantum phaenomena vitae vegetativae sunt in gradu tam minimo, ut exterius percipi nequeant, ut praesertim apparet in seminibus plantarum. Ad hoc vero ut actu vivat, debet inveniri in conditionibus requisitis ad exercitium suae vitae, et in contactu cum illis elementis, quae necessaria sunt ad nutritionem. Praecipua conditio est determinatus quidam calor in corpore circumstante, qui dicitur *optimus*, quando est in tali gradu, ut facile reddat vitae exercitium, dicitur *maximus* vel *minimus*, quando pervenit ad extremos illos gradus, ultra quos nequit consistere vita. Elementa necessaria ad vitam sunt praesertim aqua et oxygenium. Cellula igitur nutritur, sibi assumendo proportionaliter ex istis elementis partem aliquam necessariam ad exercitium suae vitae, eamque sibi assimilat, emittendo id quod inutile sibi manet. Ita cellula augetur, minuitur aut sistit in eodem statu, secundum quod pars assumpta sit maior, minor, aut aequalis ac pars quae deperditur. Quando cellula augetur et pervenit ad maximum sui augmenti, tunc ipsa in duas partitur et ita multiplicatur. Huiusmodi divisio fit vel *directe* vel *indirecte*, uti docent cytologi; in omni tamen divisione, hoc semper habetur quod *cellula-mater*, ut dicitur, in duas partitur, in quarum utraque adest proprium protoplasma cum proprio nucleo. Hac multiplicatione peracta, quandoque istae duae cellulae ad invicem separantur et propriam vitam exercent, et habentur substantiae *monocellulares*, quandoque vero manent simul coniunctae, ita ut simul formen unum per se vivens ac multiplicantur, unde enascuntur substantiae *pluricellulares*.

In istis cellulae ita multiplicantur, ut simul constituant di-

versas specificas partes illius substantiae, seu gaudent vi *differentiationis*, ut aiunt, et cellulae ita distinctae diversa efformant *texta* (tessuti de quibus *histologia* agit (ἱυτός = textum). Ex ipsis vel singulia vel varie continuatis *organa* extruuntur. Istorum diversitas determinatur ex diversitate finis, cui cellulae inserviunt, ex qua sequitur diversitas activitatis in transformando naturam sibi assumptam, secernendo eam, quae est necessaria pro cuiusque propria constitutione, et pleno exercitio propriae activitatis. In hac cellularum multiplicatione, quaedam servant diu, forte etiam per totam vitam, eosdem characteres morphologicos, seu eandem figuram, et idem activitatis exercitium, ac in initio habebant, etiam quum evadunt partes constitutivae organismi. Ita omnes cellulae augentur, adolescunt, et prout reperiuntur in diversis conditionibus ad vitae exercitium aptis, diversas constituunt determinatas cellulas, vel texta seu organa et ita enascuntur cellulae nerveae, fibrae musculares venae sanguinis, cartilagines ac diversa viventis organa. Quum autem quaedam senescunt et ita pereunt, aliae in eorum loco inseruntur, induendo has diversas formas anatomicas, ut integer et completus semper maneat proprius cuiusque viventis organismus.

Inquantum est pars constitutiva organismi, eius vita pendet a vita totius viventis, et quando istud moritur, singulae cellulae moriuntur ac sua vita privantur, quamvis forte non omnes in uno instanti eam amittant. In quibusdam enim pos unt adhuc manere saltem ad tempus activitates propriae ad quaedam phaenomena vitalia exercenda, quae tamen haud multo post cessabunt, quia deest principium illud formale, a quo primo et per se exercebantur et ad unum communemque finem dirigebantur.

57. **Quomodo cellula evolvitur.** — Modus, quo ex cellula foecundata integer evolvitur organismus, ita breviter describi potest quoad primordiales sui partes. Quum cellulae incipiunt multiplicari, determinatur inter ipsas quaedam cavitas, quae semper augetur, ita ut brevi efformetur quidam circulus in cuius extremitate inveniuntur cellulae simul colligatae. Tunc una pars huius circuli in aliam contrahitur, seu intus flectitur, et ita quidam habetur veluti sacculus cum duplici pariete, et vocatur *gastrula* Haeckelii, cuius extremitas aperta dicitur *blastophorus*, paries internus *hypoblastum*, paries externus *epiblastum*. Tunc diversa positio cellularum externarum et internarum iam multum influit ad *differentiationem* earundem statuendam; et primo apparet in parte opposita ipsi blastophoro nova *segmentatio* cellularum eidem quasi parallela, atque adeo adsunt tres vel plures parietes, qui iterum ob diversam suam positionem vel externam, vel mediam, vel internam iam diversimode determinantur ad constitu-

tionem diversarum partium organismi: hinc efflorescunt diversa eiusdem *texta;* praecipua sunt:

a) *Textum epitheliare*, quod totam corporis superficiem sive externam, sive internam tegit, quatenus penetrat in cavitates externe communicantes, uti sunt, os, nasus, stomachus, intestina, etc. Diversas habet figuras aut *planam*, aut *cilindricam*, quae in sui extremitate secum fert *cilia* quae vibrant, et constituunt epithelium *ciliare* aut vibratile: hoc in casu epithelium *mucosa* melius appellatur; tegit etiam interna organa cava, externe non communicantia, ut cor, venas, arterias, etc., tunc *endothelium* dicitur. Si cellulae diversa strata constituunt, habetur *epithelium* quod *stratificatum* appellatur, ex quo enascitur *epiderma.*

b) *Textum connectivum*, quod ad varia corporis elementa anatomica connectenda inservit, et complectitur corporis soliditatem, elasticitatem, rotunditatem, etc.; huius naturae sunt ex. gr. cartilagines, ossa, adipes, partes elasticae.

c) *Textum musculare*, quod constat cellulis productis, e forma fusorum, quae proprietatem habent sese contrahendi, h. e. produci possunt, voluntarie vel involuntarie; longiores vel breviores. Omnes motus corporis ex his producuntur; earum adsociationes musculos, seu carnem constituunt.

d) *Textum nerveum* quod cellulis cylindricis vel rotundatis, albis vel aliquantulum cinereis constat. Cerebrum, cerebellum, medulla longa (quae encephalum constituunt), medulla spinalis et singuli totum corpus pervadentes nervi his cellulis resultant. Horum summa systema nerveum appellatur, quod maximi momenti est; ex hoc enim pendent omnes corporis regulares functiones; anima ipsa proprias functiones ordinis sensitivi per hoc systema obit.

e) *Textum sanguinis*, qui vehiculum est totius organicae activitatis, ex quo physica vita nutritur, assumendo ex eo partes, quae inserviunt ad reficiendas alias consumptas.

58. **Organimus plantarum.** — Haec omnia, uti patet, valent praesertim pro animalibus; in plantis vero organismus est multo simplicior, et totus absolvitur ex radicibus, trunco cum ramis, cortice, foliis, floribus ac fructibus. Earum functiones sive *vegetationis* sive *reproductionis* huc redeunt. — Functiones vegetationis sunt. — 1°) *Absorptio* humoris ex terra per radices. 2°) *Circulatio*, ascensus nempe hausti humoris per cellulas ac vasa lignei contextus usque ad corticem et folia, et descensus per contextum corticalem a summo ad radices usque. 3°) *Respiratio.* Succus ascendens et ad aëris praesentiam constitutus, quaedam elementa ex eo haurit, quaedam in ipsum refundit; videlicet diurno tempore carbonem surripit ex acido carbonico, et refundit oxygenium; noctu vero acidum carbonicum emittit. Respirationem plantarum comitatur *exhalatio* aquei vaporis. 4°) *Secretio-*

nes et *assimilationes;* videlicet unaquaeque vegetalis pars ex latice descendente ac modificato per aëris contactum eas sibi decerpit materias, quae sibi suoque fini conveniunt, easque sibi coniungit, communicans iis proprietates quibus ipsa instructa est. Hoc pacto augentur texturae cellulares, fibrarum fasces et vasa, et cum foliis gemmae erumpunt, quae deinde in ramos et flores explicantur.

Functiones reproductivae hoc sibi proprium munus habent, ut germina praeparent, ad nova individua generanda. Huc spectat 1°) *Florum eductio*, in quibus sunt organa ad germen praeparandum destinata. 2°) *Foecundatio* ovulorum, quae fit in plantis perfectis (cotyledoneas vocant) per pollinem ex antheris emissum in ovarium. 3°) *Fructificatio*. seu processus ille per quem ceteris foecundationis organis collabentibus, ovarium excrescit in pericarpium, et ovulum in semen, in quo embryon explicatur. 4° *Dissemination*, quae contingit postquam fructus ad maturitatem pervenit. Tunc semina ex planta decidunt, ac terrae commissa germinare incipiunt.

59. **Diversae sententiae.** — Tacta summis labiis materiali viventium structura, progrediamur oportet ad munus nostrum exercendum, ad investigandam nempe intrinsecam ac vere sufficientem ipsius causam. Loquimur nunc praesertim de vita vegetativa, circa quam multae exortae sunt sententiae, quae ad quatuor facile reducuntur. Quidam enim *a*) aiunt, omnia phaenomena vitalia et ipsam organismi structuram probe explicari posse per solas vires chimicas vel mechanicas ipsorum elementorum, quibus in se constant, qui ideo *organicistae* vel *materialistae* appellantur. — Nonnulli vero *b*), advertentes insufficientiam virium materialium ad haec phaenomena explicanda, saltem coacti sunt agnoscere aliquam animam a materia distinctam, quae ut forma accidentalis corpus afficeret. — Alii *c*) ex adverso necessitatem agnoscunt principii formalis, quod esset potius spirituale, et ad instar principis cuiusdam gubernaret ac dirigeret motus diversarum partium viventis ad unum communem finem attingendum, et vocari solent *ultra-animistae*. — Ceteri tandem *d*), et sunt scholastici fere omnes, asserunt quoque necessitatem principii formalis, quod tamen dicunt dependens a materia in *essendo* et *operando*, cui communicatur tamquam forma substantialis; ac proinde est ens incompletum quod simul cum materia constituit unam naturam et unum individuum substantiale.

1ª Prior sententia fautores habuerat iam tempore Aristotelis, praesertim Democritum et Leucippum, qui animam dicebant esse substantiam igneam, quae ex atomis rotundis, atque adeo summe mobilibus constaret (1). Item Diogenes putabat, eam esse aërem, et Heraclitus vaporem, ut idem Arist. testatur. Alii vero, uti praesertim Empedocles, spectantes vitam sensitivam, qua nos cognoscimus omnes res sensibiles, asserebant animam, quae est principium huius vitae, debere esse compositam ex omnibus elementis huius mundi sensibilis. Quare omnes nullam aliam causam vitae agnoscebant praeter atomos in motu positas.

Sed qui nova forma hoc systema induit, Cartesius fuit. Ipse enim comparat viventia machinis artificialibus, quae agunt per motum, qui in iis habetur ex artificiosa combinatione partium, quibus ipsae constant. Quapropter sicut machina dicitur viva, quando motum exercet, et mortua, quando ipse interrumpitur vel cessat, idem dicendum de corpore vivo et mortuo (2). Item in homine et in omni animali motus vitales recte explicantur per motum, qui exurgit ex calore, qui a motu cordis excitatur (3). Haec eius doctrina, quamvis multos nacta sit sectatores, nonnullos tamen habuit detrectatores etiam inter eius discipulos. Ita e. g. Malebranche, cui concinunt Leibniz et Bossuet, aperte asserit, hanc Cartesii doctrinam nullo pacto posse applicari ipsi *generationi* viventis, imo addit quod forte ipse Cartesius hoc

(1) « Quocirca Democritus quidem ignem aliquem atque calorem ipsam censet esse: nam quum sunt infinitae figurae ac individua corpora, globosa dicit ignem et animam esse, cuiusmodi sint corpuscula, quae in aëre ferri inradiis, qui per fenestram ingrediuntur, videmus atque fragmenta vocamus; horum vero universam sobolem elementa totius esse naturae dicit. Eadem et Leucippus censebat. Horum igitur corporum ea quae sunt globosa, animam asserunt esse propterea quod maxime figurae tales per omne corpus penetrare possent atque cetera movere quum moveantur et ipsa, arbitrati animam id esse quod motum animalibus praebet ». Arist. *de Anima*, L. I, c. I. « At qui cognitionem animadverterunt ipsius ac sensus quibus res cognoscit et sentit, ii dicunt, animam principia rerum esse! atque alii plura principia faciunt, alii vero unum animam esse censent: sic Empedocles ex elementis quidem universis ipsam constare censet, et unumquodque istorum animam esse putat. Dicit enim.

terram nam terra, lympha cognoscimus undam,
aetheraque aethere; sane ignis dignoscitur igne:
sic et amore amor, ac tristi discordia lite.

Eodem et Plato modo animam in Timaeo ex elementis constare censet: simili namque, eius quoque sententia, cognoscitur simile, et res ipsae ex principiis sunt ». Arist. ibid.

(2) Ait enim in fine Tractatus de passionibus art. 6, inter corpus vivum et mortuum, eamdem esse differentiam « qu'entre une montre ou autre automate, lorsqu'elle est montée et qu'elle a en lui le principe des mouvements, pour lesquels elle est instituée, et la même montre ou machine, lorsqu'elle est rompue et que le principe de son mouvement cesse d'agir ».

(3) Cfr. *Traité de l'Homme*, in fine.

adverterit, et ideo ex industria in hoc puncto altum servaverit silentium (1).

Huic systemati plures accedunt recentiorum theoriae, quae omnes universa vitae vegetativae phaenomena per vires seu elementa physico-chimica explicare adnituntur, ac proinde negant eorum essentiale discrimen a non viventibus, ut innuimus in n. 28. — Praecipua ea est cui *Organismi* vel *theoriae machinalis* nomen factum est, quatenus docet phaenomena vitalia explicari propter peculiarem *structuram* seu elementorum compositionem ad instar cuiusdam machinae. Ipsum vero in *mechanicum* et *chimicum* dividi solet, prout statuit organismum esse causam phaenomenorum vitalium aut per solum motum, aut etiam per vires chimicas et physicas (2).

Non desunt tamen qui fatentur, hanc sententiam nondum esse demontratam, sed dubitandum non esse, quin in posterum demonstretur (3). Denique alii, ut Du Bois-Reymond, nihil reperientes in omnibus systematibus, anti-vitalistis, nec volentes aliunde vitale principium agnoscere, vitam inter aenigmata reponunt, quae nostrum superant intellectum, ac tristem illam vocem ingeminant: *Ignoramus*, *ignorabimus* (4).

2ª Altera sententia inter recentiores iterum ortum habuit a Cartesio, qui postquam vitam vegetativam ac sensitivam ad motum mechanicum reduxerat, vitam vero intellectivam in ipsa

(1) « L'ébauche de Descartes peut nous aider à comprendre comment les lois du mouvement suffisent pour faire croître peu à peu toutes les parties d'un animal (déjà formé); mais que ses lois puissent les former et les lier toutes ensemble, c'est ce que personne ne prouvera jamais. Apparemment M. Descartes l'a bien reconnu lui-même, car il n'a pas poussé fort avant ses conjectures ingénieuses » *Entretien métaphys.* XI, 8.

(2) Cfr. P. Urraburu, *Psych.*, l. I, D. I, cap. 2, art. 10. A nonnullis vero adstruuntur aliae duae theoriae, ab antecedenti distinctae: — Theoria *mechanistica physicochimica*, quae docet primos organismos ortum habuisse ex *causali compositione* et cohaesione quarundam molecularum et ex *resultantia* earundem virium physicochimicarum: — *Theoria biochimica*, quae agnoscit in organismis materiam quandam specialissimam, quam *biogenam* vocant, (at mere hypotheticam), ut constitueret partem activam (ac proinde esset revera forma quaedam) ac directivam phaenomenorum vitalium. — Cfr. C. Frank, S. I., *Philos. natural.*, a. 1926, pp. 162. Ad hanc eandem reduci potest sententia *psychobiologismi*, quam profitentur Neumeister et Schneider. Ipsi docent in viventibus adesse *biomoleculas*, quorum munus est, excitationem percipere, eamque biomoleculis communicare, unde enascuntur perceptiones et appetitus.

(3) En quid legitur apud Hesse-Döfein, *Tierbau und Tierleben* I (1910) 16 « Wass die Lebensvorgänge nichts anderes als sehr kompliziertes physikalisch-chemisches Geschehen sind und nach denselben Gesetzen verlaufen, wie die Vorgänge in der anorganischen Natur, dürfte jetzt von den meisten Forschern zugestanden sei *Bewiesen ist es aber keineswegs*... Aber wir brauchen doch nicht daran zu zweifeln, dass es gelingen wird die Lebenserscheinungen in dieser Weise zu begreifen ».

(4) Vide apud cl. P. Dressel, *Der belebte und der unbelebte Stoff, Zweiter Theil, vierter Abschn.* 194, 195.

cogitatione reposuit (1). Hinc Spinoza, iuxta suam sententiam, qua fatetur, unam esse substantiam nempe divinam, intulit animam esse cogitationem, quae sit accidens Dei: Hegel idealismum profitens, animam dixit esse vanam quamdam apparentiam, quae se exhibet in entis idealis evolutione. — Locke, Hume, Condillac animam asserunt nihil esse praeter affectionum ac sensationum congeriem. Istis accensendus est Wundt, qui animam dicit esse summam nostrae internae conscientiae experimentalis, perceptionis sensitivae, affectionis appetitus sensitivi et intellectivi, prout in conscientia in quadam unitate simul colligantur... » (2).

Ac proinde horum sententia ad rem quod attinet in priorem materialisticam incidere videtur, nisi ii excipiantur, qui idealismo faventes nullam animae realitatem admittunt eamque ad meram apparentiam reducunt.

3ª *Sententia animismi* seu *vitalismi*, auctorem habuit inter recentiores Georgium Ernestum Stahl, quem plures secuti sunt. Quidam ut Van-Helmont, post Basilium Valentini et Paracelsum, eam putat *fabrum archaeum*, quae nempe est veluti princeps, et alias habet sibi subditas pro diversis operationibus, quas ad unum finem dirigit, eodem pacto ac princeps supremus in aliqua societate. Alii vero eam vocant tantummodo *vim vitalem*, aut forte ignotam, aut indeterminatam, aut distinctam ab anima. Cuvier observat « Vita supponit organismum et non exercetur, nisi in organismo, et omnes conatus physicorum nondum valuerunt ostendere materiam efformantem organismum vel ex se vel ex aliqua causa extrinseca » (3). Hinc sequitur organismum sup-

(1) Ita in ep. 4; et in *Pr. phil.*, p. 1, n. 9: « Cogitationis nomine intelligo illa omnia quae nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conscientia est, atque ita non modo intelligere, velle, imaginari, sed etiam sentire idem est hic quod cogitare ».

(2) « Unsere Seele ist nichts anderes als die Summe unserer innern Erlebnisse selbst, unseres Vorstellens, Fühlens und Wollens, wie es sich im Bewusstsein zu einer Einheit zusammenfügt und in einer Stufenfolge von Entwicklungen schliesslich zum selbstbewussten Denken und zum freien sittlichen Wollen erhebt » (*Einleit.* in *die Phil.*, p. 133).

(3) « La vie en général suppose l'organisation en général, et la vie propre de chaque être suppose l'organisation propre de cet être, comme la marche d'un horloge suppose l'horloge; aussi ne voyons-nous la vie que dans des êtres tout organisés et faits pour en jouir: et tous les efforts des physiciens n'ont pu encore nous montrer la matière s'organisant, soit d'elle-même, soit par une cause extérieure quelconque. En effet, la vie exerçant sur les éléments, qui font à chaque instant partie du corps vivant et sur ceux qu'elle y attire une action contraire à ce que produiraient sans elle les affinités chimiques ordinaires, il répugne qu'elle puisse être elle-même produite par ces affinités ». *Le règne animal.* Introd., pag. 17.

Cfr. etiam Grégoire, *Le mouvement antimécaniste*, Rev. de quest. scientif., 1905, II, pp. 385-416, ubi fusius alias recentiorum sententias esposuit: — Gemelli, *L'Enigma della vita*, pp. 147-177; — F. Donau S. I., *Un vitaliste idéaliste, H. Driesch*, Rev. d. q. scient., 1910, pp. 426-453.

ponere aliam vim praeter eam, quae est in materia organica. Ipse Bichat, quem materialistae in sui sententiam trahere conantur, aperte asserit, non posse vivens iugiter reagere contra agentia extrinseca, nisi in se haberet principium aliquod permanens reactionis, quod est vitae principium (1).

60. 4ª Sententia, quae *animismus moderatus* nuncupari posset, praeter scholasticos alios habuit fautores, praesertim de Quatrefages et physiologum *Milne-Edwards* (2).

Inter recentiores quoque non desunt, qui hoc idem affirmant; e. g. I. Reinke ait: « Declaratio mere mechanica phaenomenorum vitalium non sufficit » (3). Et O. Hertwig: « Prorsus inanis est conatus eorum, qui sperant, intelligi posse organismum secundum principia scientiae mechanicae » (4). Et G. De Bunge: « Quo profundius phaenomena vitalia investigare conamur, eo magis perspicimus, eventus, quos putabamus physice et chimice explicari posse, longe implexioris esse rationis et interim omnem respuere mechanicam explicationem » (5). Idem tuetur Driesch (6).

Porro ii omnes ad rem quod attinet facile in nostram senten-

(1) « Les corps inorganiques agissent sans cesse sur eux; eux-mêmes exercent les uns sur les autres une action continuelle; bientôt ils succomberaient, s'ils n'avaient en eux un principe permanent de reaction, ce principe est celui de la vie ». *Recherches physiol. sur la vie et la mort*, prèm. partie, a I.

(2) De iis qui oppositum autumant, ait in art. ephem. *Revue des deux mondes*, a. 1857, p. 854. « Habitués à voir tous les phénomènes de laboratoire dépendre de la chaleur, de l'électricité et d'une demidouzaine d'autres forces, dont ils admettent l'existence, il ne veulent pas voir autre chose dans les êtres organisés. De là des exagérations vraiment étrangers, et qui n'ont rien de nouveau pour être datées d'hier ». Inde approbans Edwards, qui necessitatem principii vitalis tuetur; haec addit: « Nous ne pouvons qu'applaudir à ce langage; C'est celui d'un esprit vraiment élevé, qui au dessus de la matière brute et morte, voit clairement la nature organisée et vivante, qui, audelà des forces physico-chimiques, aperçoit celle qui les maitrise et les régit.

(3) « Eine rein mechanische Erklärung der Lebensvorgänge reicht nicht aus ». *Philos. der Botanik* (1905) 81.

(4) « Es ist ein ganz verfehltes Bestreben sich einzubilden, nach den Prinzipien der Mechanik einen Organismus begreifen zu können ». *Allgemeine Biologie* (1909) 159.

(5) « Je gründlicher wir die Lebenserscheinungen zu erforschen streben, desto mehr kommen wir zu der Einsicht, dass vorgänge, die wir bereits geglaubt hatten, physikalisch und chemisch erklären zu können, weit verwickelterer Natur sind und vorläufig ieder mechanischen Erklärung spotten ». *Lehrbuch der Phisiologie des Menschen*. 1905, 3.

(6) Cfr. *Die organische Regulationen*, Leipzig 1903: *Der Vitalismus als Geschichte u. als Lehre*, Leipz. 1905. — Ipse enim recurrit ad quàndam *entelecheiam*, quae revera facile reduci posset ad formam substantialem Aristotelico-scholasticam, si nempe ipse conceptum huius formae ut entis incompleti rite assecutus fuisset. Non vacat proinde in ea adhuc expendenda immorari: sed sufficit concludere cum Donau (ibid., p. 453): « Driesch est le plus nettement vitaliste parmi les non-scholastiques, celui qui se rapproche le plus de scholastiques, qouique séparé d'eux par l'abîme de l'idéalisme ».

tiam, quam omnes tuentur scholastici, incidere videntur. Quare supposita doctrina in cosmologia tradita, circa rationem propriam principii formalis ac materialis, nunc curandum est, ut ostendatur necessitas principii formalis a materia distincti. Deinde eius intrinseca ratio investiganda erit, ut clarius eluceat unitas individui viventis, eiusque substantialis essentia. Ita patebit falsitas opinionum adversariorum, et innotescit verus sensus sententiae scholasticorum, quam nos tuemur.

Thesis X.

Phaenomena vitalia necessario expostulant principium aliquod formale distinctum a materia et ab ipsis viribus mechanicis et chimicis elementorum, quibus vivens constat.

61. **Prob. I. p.** — Materia sola, inspecta absque viribus, est aliquod principium iners, passivum ac semper eiusdem rationis in omnibus corporibus. Atqui phaenomena vitalia expostulant principium aliquod activum ac diversae rationis, quod causa sit tum diversitatum ipsorum viventium inter se, tum operationum, quae in unoquoque vivente distinguuntur. Ergo necessario requiritur principium aliquod formale a materia distinctum.

Omnis activitas, quae corporibus inest, praesertim si distinguitur a puro motu locali, necessario expostulat principium formale coniunctum cum materia, a qua tamen realiter distinguitur, uti ex Cosmologia demonstratum iure supponimus. Atqui omnibus, ipsi quoque adversariis, fatentibus, phaenomena vitalia veram exhibent activitatem, diversam a motu locali, imo etiam superiorem omni activitati corporum.

Neque dici potest, ea oriri a materia *organica*. Organismus enim cellulae matris, inspectus secundum solam materialem structuram certe insufficiens est ad operationes vitales, et ad efformationem ipsius integri organismi; ut ex eo etiam confirmatur, quod plures valuerunt simul componere elementa, quibus constat cellula, quin tamen ullo pacto obtinerent phaenomena vitalia. Ergo.

Prob. II p. — quae est maioris momenti, et plures habet adversarios. Ea tamen evinci potest etiam solis argumentis physiologorum. — Et sane: si phaenomena vitalia

explicari possent per solas vires elementorum, quibus viventia constant, quum huiusmodi vires haberi queant etiam ex artificiosa combinatione eorundem, quisque posset haec ita componere, ut illa phaenomena vitalia producerent, atque adeo ipsam substantiam viventem constituerent. Atqui ex experientia prorsus compertum manet, hoc esse impossibile, quia phaenomena vitalia nonnisi ab illa materia promanare possunt, quae est decisa ab aliquo vivente, uti physiologi omnes fatentur. Ergo in hac materia admittendum est aliquod principium distinctum ab illis viribus (1).

Praeterea conatus physicorum hucusque eo pervenerunt, ut partes quasdam organicas, et quosdam effectus similes phaenomenis vitalibus obtinerent, at nondum plenum ac verum organismum viventem efficere valuerunt (2). Quinimo addendum est, quod etiamsi physiologi forte mediantibus multis instrumentis artificialiter eadem obtinerent phaenomena eundemque organismum, qui nunc ex cellula viva exoritur, nihil adhuc efficerent. Nam ipsis adhibenda essent eadem media, quae adhibet cellula ad illa phaenomena producenda, secus enim adhuc inquirendum esset : quomodo potest sola cellula sine illis mediis artificialibus ea producere? Atqui certissime impossibile est quod per eadem me-

(1) Ita e. g. testatus est Berzelius l. c., p. 206. « Il n'est pas donné à l'art de combiner les éléments inorganiques à la manière de la nature vivant; dans nos expériences nous ne produisons que des combinaisons binaires ».

Addendum tamen est, quod quamvis a recentioribus quaedam substantiae organicae obtineri potuerint, hoc saltem certum est: *a*) quod istae substantiae habitae sunt mediis prorsus diversis ac validioribus, quam habentur per operationes vitales; *b*) nunquam in illis habentur vera phaenomena vitalia, quae ostendant in eis veram adesse vitam.

(2) Hoc aperte asserit cl. Denys Cochin in op. *L'Evolution et la Vie*, chap. 5. — Ait enim: « Revenons maintenant aux habiles auteurs de synthèse organiques. Ils ont produit du carbure d'hydrogène, de l'alcool, de l'urée; ont-ils contrefait l'œuvre de la vie, réussi à construire chimiquement la matière vivante? Assurément non; les produits qu'ils ont obtenus sont analogues aux résidus excrétés, aux débris issus de la combustion respiratoire, aux matériaux usés que la vie rejette, non aux substances préparées et construites par elle. L'eau, l'acide carbonique, l'ammoniaque ne passent pas pour des matières organiques; osons dire que le gaz des marais, l'acide acétique, l'alcool, l'urée ne le sont pas à proprement parler, et attendons, avant de nous prononcer, d'avoir vu sortir d'un laboratoire les produits directs et supérieurs de la vie ».

dia, quae cellula adhibet, artificialiter habeantur phaenomena vitalia. Ergo (1).

Insuper viventia a non viventibus specifice differunt (Th. V). Atqui haec differentia non haberetur, si phaenomena vitalia non exposcerent principium formale distinctum a viribus elementorum quibus vivens constat. Ergo — *Prob. m.* — Differentia specifica constituitur per principium formale specifice diversum, quod intrinsece constituit substantiam corpoream, et ex quo fluunt proprietates ac phaenomena specifice diversa. Atqui si phaenomena vitalia oriri possent ex solis viribus elementorum, quibus vivens constat, non daretur in vivente principium formale specifice diversum ab illo, quod inest in non vivente. Ergo ipsa hoc principium necessario expostulant.

Tandem istae vires ita agunt, ut manifeste ostendant tendentiam intrinsecam et naturalem in aliquem finem communem omnibus, nempe in bonum totius individui, uti ipse Claudius Bernard advertit (2). Et ipsae sunt, vivunt et agunt dependenter a toto organismo et ab ipso individuo in quo reperiuntur. Atqui ubi adest tendentia intrinseca et naturalis diversarum virium in aliquem finem communem omnibus, et huiusmodi dependentia quoad esse et operari, ibi adesse debet principium aliquod unum intrinsecum superius ipsis viribus, quod eas dirigat, et in esse conservet. Nam secus non intelligitur *harmonia*, quae inter ipsas viget, *con-*

(1) Cfr. cl. Denys, hoc ipsum dilucide confirmantem. Hinc facile apparet, nullam esse instantiam quam contra totum hoc argumentum profert P. Palmieri. « Fac chimicos, ipse ait, posse contrectare primitivas atomos, et in primitivas moleculas componere, fac eos nosse legem qua combinari debent, motusque determinatos, qui eisdem imprimendi sunt, hosque motus posse indere, et tunc si nequeant organon quoddam efficere, aliquid concludas licet; secus inepte argumentaris ». *Anthropol.* c. I, th. I. — *Resp.* Praeprimis solutio corporum in ultimas atomos saepe habetur in combinatione chimica, et nunc sunt satis notae leges earumdem combinationis, nec tamen chimici ullum organon efficere valuerunt. At insuper etiamsi aliquid obtinerent, semper maneret difficultas orta ex diversitate mediorum, quae certe adhibenda essent, ut experientia testatur.

(2) « Les actions chimiques synthétiques de l'organisation et de la nutrition se manifestent comme si elles étaient dominées par una force impulsive gouvernant la matière, faisant une chimie appropriée à un but et mettant en présence les réactifs aveugles des laboratoires à la manière du chimiste lui-même. Cette propriété évolutive de l'œuf, qui produira un mammifère, un oiseau ou un poisson, n'est ni de la physique ni de la chimie » (*Définition de la vie*, p. 348).

stantia ad tendendum semper in eundem finem ac *dependentia* in essendo istarum partium a toto. Ergo.

Haec eadem thesis clarius evincitur, si singillatim spectantur operationes vitae vegetativae, quod inferius praestabitur (1).

62. **Obiicies** I cum P. Tongiorgi: « Alia est unitas et indivisiblitas essentiae, alia unitas principii essentiae, sive extrinseci. Iam in vegetalibus apparet certa unitas indivisibilis essentiae... et unitas principii extrinseci, nempe unitas *finis*, unitas *ideae archetypae*, unitas *artificis*: at nihil est, quo colligere possimus indivisibilem principii alicuius intrinseci unitatem. Unitas enim intrinseca essentiae vegetalium non alia re, quam mirabili quadam plurium coniunctione et ordinatione continetur ». — *R. D. M.* — Ita ut nullum nexum istae unitates inter se exhibeant, *n.;* ita ut saltem unitas finis intime connectatur cum unitate essentiae, *c.* — Et *N. m.* una cum ratione addita. Finis, ut alibi advertimus, non est prorsus extrinsecus, quum ipse determinet rationem principii formalis intrinseci, quod per suam activitatem in illum tendit. Ac proinde iure meritoque ex unitate finis arguitur tum unitas ideae *archetypae* in mente artificis, tum unitas principii formalis eidem respondentis. Hinc si huiusmodi finis est secundarius et artificialis, principium illud erit forma accidentalis, quae advenit partibus componentibus, et probe intelligitur contineri *mirabili quadam plurium coniunctione et ordine*. Si vero est naturalis et primo constituit aliquam rem in determinata specie et operationis principio, forma erit substantialis, quae proinde constituit essentiam unam per se. Atqui certe finis viventium est naturalis, et primo eadem con-

(1) Interim iuvat afferre testimonium Luciani Profess. ac Directoris Instituti physiologici R. Univ. Romae *Fisiologia dell'uomo* [3], Società Editrice, Milano, 1908, p. 5. « Ogni sincero seguace dell'indirizzo scientifico o positivo non può disconoscere che i fenomeni somatici specificamente vitali, quelli cioè per cui i viventi si differenziano dai corpi inorganici sono fino ad ora inesplicabili colle note leggi della chimica e della fisica, e dall'altro lato che i fenomeni psichici (di sensibilità e di coscienza) che per ciascuno costituiscono il punto culminante della vita, si sottraggono affatto a qualsivoglia spiegazione meccanica, ossia non possono in alcun modo essere compresi come membri necessari nella catena di causa ed effetti dei processi naturali ». Unde ipse concludit in p. 6 « Qualsiasi dottrina dualistica che pretenda rendersi conto delle differenze che intercedono tra la materia bruta, come è ora concepita dai fisici e l'organismo vivente, sarà di necessità costretta ad immaginare (et nos addimus per intellectum etiam demonstrare) come focolaio centrale della vita, un'entità nuova, una *forza o sostanza vitale indeterminata e forse inconoscibile* (i. e. per sensus et per experientiam, plane tamen cognoscibilem per intellectum) che per esplicarsi e determinarsi si valga della materia cosmica, rispettandone in tutto od in parte le leggi ».

stituit in determinata specie. Ergo forma ei respondens debet esse substantialis, seu praecedere ipsas vires et earum coniunctionem.

II. — « Veteres communi consensu docebant plantarum formam divisibilem esse » ibid. Atqui haec forma non habet unitatem principii simplicis et indivisibilis. Ergo. — *R. D. M.;...* esse per se divisibilem, *n.;* esse per accidens divisibilem, *c.* — *Contrad. m.;* quae est per se divisibilis, *c.;* quae est per accidens divisibilis, *subd.;* non habet unitatem principii simplicis et subsistentis, *c.;* non habet unitatem principii simplicis et indivisi, quod tamen dependet a materia in essendo, atque adeo dividi potest ad divisionem materiae, *n.* Et hoc est principium illud unitatis essentiae corporeae, quod ipsam reddit actu indivisam et non prorsus indivisibilem.

III. — Moleculae corporum viventium iugiter mutantur, et eorum unitas non est nisi moralis. Atqui talis mutatio cum hac unitate respuit unitatem principii formalis physici. Ergo — *R. D.* 1^am^ *p. M.;...* mutantur per meram additionem molecularum quae prioribus succedunt, *n.;* per veram transformationem ipsarum in substantiam viventis, *c.;* et ideo *nego* 2^am^ *p.* — *Contrad. m....* Iamvero physiologice inspecta haec transmutatio ita peragitur. Prius alimenta ita transmutantur, ut ex eis, relictis partibus inutilibus, efformentur minutissima quaedam globula, apta quae assimilentur substantiae viventi. Tunc mediante sanguine diffunduntur per totum corpus, ut reparent in diversis cellulis protoplasmata, quae inutilia seu mortua evadunt, et hac ratione diversae cellulae pedetentim reficiuntur.

Nunc vero philosopho intima ratio rimanda occurrit secundum quam ipsa peragitur. Et tunc certe infergendum erit, istas cellulas ita coniungi prioribus, ut simul informentur uno eodemque principio formali substantiali, quia semper unitati finis respondeat oportet unitas principii formalis illarum virium, quae in illum tendunt. Et haec conclusio philosophica non modo non opponitur iis, quae physiologi docent, sed ea omnia ratihabendo intrisecam etiam rationem eorundem assignat (1).

IV. — Vires vegetalium non aliud esse videntur, quam variae resultantes virium mechanicarum et chimicarum, prouti hae sub organismi conditionibus operantur. Atqui hae vires non distinguuntur a viribus chimicis et mechanicis. Ergo. — *R. D. M.;* quaedam vires et separatim spectatae, *c.;* omnes vires et

(1) Quare physiologice admitti potest explicatio, quam refert P. Tongiorgi identitatis viventium, quam physiologi dicunt « esse permanentiam in individua elementorum et ad sensum stabili massa, organismi, figurae, functionum, quae ad speciem pertinent, sine sensibili ac repentina mutatione, cum determinata dependentia statuum subsequentium a praecedentibus » ibid. n. 39. At si quis in ea tantum sistit et illico infert unitatem viventium non esse nisi moralem, patet non philosophum agere, et causas intimas rerum inquirendas omnino negligere, quod rationalem hominis naturam dedecet.

inspectae prout in unum finem superioris ordinis diriguntur, *n.* (Imo adhuc inquirendum esset quomodo ipse organismus exoritur, nam vires vitales ipsum completum organismum praecedunt). — *Contrad. m.;* si omnes vires essent pura resultantia virium mechanicarum, *c.;* si quaedam tantum, *n.* — Regnum vegetale et minerale quamvis inter se apprime distinguantur, magnam tamen ad invicem relationem exhibent: quum vegetalia indigeant mineralibus ad sui nutritionem, et deinde ex se elementa segregent, quae iterum redeunt ad regnum minerale. Hinc nil mirum, si forte quaedam vires separatim spectatae considerari possint tamquam resultantia virium chimicarum. At si omnes inspiciuntur, praesertim prout ipsum organismum et effectus illos mirabiles mutationis ac generationis gignunt, nullo pacto illarum resultantia dici possunt. Imprimis enim resultantia quarumdam virium non est nisi eiusdem ordinis ac vires ex quibus resultat, ac proinde nequit attingere effectum superioris ordinis (1). Praeterea, si omnes vires vitales essent pura resultantia virium chimicarum, tunc quisque artificialiter ex harum combinatione illas obtinere posset. Atqui vidimus hoc esse impossibile (2). Ergo. — Tandem in hoc argumento iam supponitur existentia organismi; atqui vires vitales iam habentur in una cellula, et inepte quis diceret organismum unius cellulae tales praebere conditiones viribus chimicis et mechanicis, ut ex eis resultantia tam diversae rationis exoriretur. Ergo. (3).

Ergo concludamus oportet theorias recentiorum sive *machinalem*, sive *physicochimicam*, sive *biochimicam*, reiiciendas esse, uti prorsus insufficientes ad omnia phaenomena vitalia rite explicanda.

(1) Nec hilum proficit exemplum, quod idem auctor ex machinis affert: Machinae enim effectus producunt eiusdem ordinis regni mineralis, at numquam sese nutriunt, aut perficiunt, aut reparant, nec alias machinas gignere valent. Atqui isti effectus, qui in viventibus deprehenduntur, sunt magni omnino momenti, et ordinis activitatis prorsus superioris. Ergo...

(2) Neque est ad rem comparatio, quam idem auctor affert. Ait nempe: « Tunc poterunt chimici organica corpora construere, quum typographi, effusis simul pluribus litterarum sacculis litterisque temere commixtis, Aeneida component ». Nam compositio Aeneidis est opus intellectus, et eius impressio scripto consignata fieri debet iuxta regulas statutas, ergo efflorescere nequit ex litteris temere commixtis. Vires contra vegetales sunt aliquid materiae annexum, et si essent resultantia aliarum, tunc saltem adhibitis omnibus legibus iam notis, posset haec resultantia artificialiter haberi, et aliquod vivens construi.

(3) Interim adverte cum P. Gemelli: « E' opportuno ricordare che, anche riuscendo a produrre per sintesi un composto quaternario, noi otterremmo della materia *organica*, ma non della materia *organizzata*... Quindi ne segue che l'alcool, l'urea, l'acido acetico, etc. che la chimica è riuscita a produrre per sintesi sono, è vero, delle sostanze organiche, ma non partecipano delle proprietà delle sostanze organizzate. In quelle abbiamo le forze molecolari che dirigono i processi della chimica, forze che sono di ordine simmetrico: in queste abbiamo invece fenomeni di natura disimmetrica ». *L'Enigma della vita*. Firenze, 1914, p. 251.

Nunc interea accedamus oportet ad alteram partem nostrae sententiae explanandam; ad naturam nempe istius principii vitalis pressius definiendam.

Thesis XI.

Principium formale vitae non est ens aliquod simplex materiae assistens, sed vera forma substantialis primo actuans materiam primam, cui dat esse et vivere, et advenit statim ac semen est foecundatum et propriam habet vitam.

63. **Status quaestionis.** — Prima pars thesis est contra tertiam sententiam, seu contra *animistas vitalistas*. Sed quum eorum opinio ortum ducat potius ex defectu concipiendi ens incompletum materiam informans, quam argumentis, quibus innituntur, non multum erit contra eos adlaborandum. — Altera est contra scotistas, qui formam corporeitatis in viventibus adstruunt, cui adveniret anima ut altera forma substantialis.

Tertia tandem nullum videtur habere patronum inter veteres, qui cum explorare non valerent veram rationem vitae vegetativae in ipso semine, putabant animam advenire post organismum iam evolutum. Ea tamen nequaquam opponi dicenda est principiis metaphysicis antiquorum, sed tantum eorum non rectae applicationi, ratione ignorantiae, qua laborabant circa operationes cellulae embryonalis.

64. **Praenotiones historicae.** — Veterum sententia quoad hanc ultimam partem huc redit. Iuxta opinionem veterum sive medicorum sive philosophorum quam secuti sunt scholastici (1) cum Arist. (2) et S. Th. (3) ovum licet foecundatum, nondum esset animatum aut vivens actu, sed tantum virtute vel activa poten-

(1) Vide Albert M. (Summa de homine 2. part.). Scotum, 4° S. dist. 44. quaest. 1. Conimbricenses (lib. 2, cap. 4, quaest. 25, art. 2). Rubium (de Anim. lib. 2, cap. 4, tract. de potent. Anim., quaest. 3, num. 59).

(2) De gener. anim. lib. 2, cap. 3; de hist. lib. 7, cap. 3; II de Anima, cap. 1 Cfr. interpretation. S. Thomae, (ibid., lect. 2, paragr. c), et Conimbricenses et Rubium in commentario huius loci Aristotelis.

(3) Vide S. Thom. I p., quaest. 118, art. 1; Qq. disput.: quaest. 3 de Potent. art. 9, ad 9m, 10m, 16m; art. 11 ad 7m; et art. 12 corp., et ad 1., 2 et 11.; c, Gent. lib. 2, cap. 89; 2° S., dist. 18; quaest. 2, art. 3; 3° S., dist. 3, art. 2; 2° de Anima, loc. cit.

tia; quatenus adest virtus derivata a foecundante, per quam materia transmutetur et ex illius potentia educatur talis forma. Veteres tamen praecipue loquebantur de semine animali vel humano.

Nihilominus sententia opposita, quam modo utpote valde communiorem nos tuemur, iamdiu suos habuit patronos. Et revera haec opinio tribuebatur iam olim Iacobo de Forlivio et aliis (1); eademque non displicuisse videtur Eximio Doctori (2), et mox magis ac magis in honore haberi coepta est, donec communissima iam evasit inter recentiores non modo Physiologos sed etiam Theologos, saltem relate ad rationalem animam. Quoad plantas enim docent semen et ovum ex mixtione utriusque principii activi et passivi foecundatum, vere vivere *quadam latenti* vita, quousque advenientibus causis, quae fovent exercitium huius vitae, obire pergunt vitales functiones. Idem accidit in ovis animalium, quae saepissime non evolvuntur donec aut incubentur, aut aliis praesidiis iusto calori subiiciantur (3), et interea dici queunt vitam quamdam latentem vivere, sicut grana seminis foecundati (4).

Idem docent Physiologi relate ad hominem, quam sententiam referunt iam inde a saec. 17°, et modo communissime approbant, vel certe practice sequendam decernunt Theologi recentiores.

Quocirca tum ob auctoritatem physiologorum necnon plurium philosophorum ac theologorum, tum praesertim ob intrinseca argumenta, quae id suadent, uti certum tuemur in semine foecundato adesse veram animam vegetativam. Utrum autem haec anima in homine sit eadem anima rationalis a Deo statim infusa, vel alia quae eam praecedat, tractabitur in quaestione de productione animae humanae in cap. III.

65. **Prob. I p.** - Principium simplex materiae tantum assistens est in se subsistens ac proinde spirituale. Atqui nulla ratio suadet existentiam huiusmodi principii ad habendam vitam vegetativam, cum plane sufficiat principium mere informans, uti videbimus. Ergo.

Et sane vis huius argumenti ex eo etiam roboratur, quia praecipua ratio, cur ipsum a quibusdam admittitur, ex eo

(1) Apud Suarez (*De Anima*, lib. 2, cap. 12).

(2) Suarez, loc. cit. n. 9 et 10.

(3) Vide H. Milne-Edwards (*Leçons sur la Physiologie*, tom. 9, pag. 441).

(4) Vide H. Milne-Edwards (*Leçons sur la Physiologie*, tom. 8, pagg. 388 seqq.; tom 9, pagg. 441 seqq.). Duval (*Cours de Physiologie*, 6ème edit. pag. 16-18; pag. 670 seqq. Paris, 1887), G. Colin (*Traité de Physiologie comparée*, tom. 2, pagg. 777, 814 seqq. etc.

oritur, quod ipsi non contenderunt, uti par erat, assequi verum conceptum principii informantis materiam.

Nam operatio vitae vegetativae tota a materia dependet et tota versatur circa materiam quam transmutat. Ea vero exerceri nequit a principio quod esset tantum assistens materiae, sed necessario exigit principium dependens a materia in essendo. Ergo.

Praeterea non posset ulla ratione explicari quomodo hoc principium communicaret vitam materiae (1).

Principium enim formale a materia distinctum ideo adstruitur, ut sit causa nutritionis, augmenti et generationis corporis viventis, quae sunt operationes immanentes. Atqui principium simplex materiae assistens hoc praestare nequit, tum quia intelligi nequit, quomodo ipsum valeat nutrire corpus cui assistit, tum quia haec operatio, si daretur, non esset immanens, sed transiens ex ipso in corpus, ac proinde periret propria ratio operationis vitalis. Ergo.

Argumenta, quibus adversarii oppositum tuentur, aut ostendunt necessitatem tantummodo alicuius principii simplicis a materia distincti, quod et nos propugnamus, aut innituntur in confusione conceptuum, ac proinde faciliter diluuntur.

Prob. II p. — Quae est sententia S. Thomae et communior inter thomistas. Et sane: anima est aliquod principium formale viribus gaudens ordinis prorsus superioris viribus corporum mineralium, quod simul cum materia unum constituit principium operationis vitae vegetativae. Atqui huiusmodi principium est vera forma substantialis, quae debet advenire immediate ipsi materiae primae. Ergo. — *Pr. m.* Si haec anima adveniret materiae iam actuatae a sua forma corporeitatis, tunc ipsa non esset primum principium operationis, sed nova quaedam virtus adveniens virtutibus chimicis et mechanicis, quibus iam gaudet illa forma substantialis corporeitatis. Atqui anima debet esse *primum principium* operationum vitalium, quae sunt perfectioris ordinis ac operationes mineralium, et ad unum finem superiorem ab ipsa natura primo intentum diriguntur. Ergo.

(1) Cfr. P. Palmieri, *Anthrop.* c. I Th. I, qui hoc argumentum late evolvit.

Praeterea vivens est ens unum per se, constitutum in determinata specie et capax determinatarum operationum vitalium. Atqui huiusmodi ens constituitur tale per formam substantialem, quae advenit materiae primae, quaeque in viventibus vocatur anima. Ergo. — Quapropter sicut forma substantialis mineralium primo actuat materiam primam et constituit corpus aliquod unum per se, ita anima est forma substantialis viventium, quae primo actuat materiam primam, et constituit vivens unum per se.

Et idcirco si quis nobis obiiceret, ipsi materiae actuatae per aliquam formam substantialem advenire animam afferentem novam virtutem immanenter operandi : — *responderemus:* tunc illam priorem formam substantialem esse veram animam, et hanc aliam, quam quis animam vocaret, non esse nisi virtutem illius formae, per quam ista immanenter ageret. Atque ita iterum rediret sententia nostra. Huc spectat sequens argumentum S. Th. : « Forma substantialis in hoc differt ab accidentali, quia forma substantialis facit esse *hoc aliquid simpliciter;* forma autem accidentalis advenit ei, quod iam est hoc aliquid, et facit ipsum esse quale vel quantum vel qualiter se habens. Si igitur plures formae substantiales sunt unius et eiusdem rei, aut prima earum facit *hoc aliquid*, aut non. Si non facit hoc aliquid, non est forma substantialis. Si autem facit hoc aliquid : ergo omnes formae consequentes adveniunt ei, quod iam est *hoc aliquid*. Nulla igitur consequentium erit forma substantialis » (1).

Huc accedunt argumenta, quae attulimus in Cosmol. in Thesi XIV, in qua ostendimus, in omni corpore, quod est unum per se, non posse haberi nisi unam formam substantialem; et alias esse prorsus inutiles, imo destruere rationem propriam formae substantialis in ea quae adveniret.

66. **Obiicies.** — Corpus nequit esse organicum, nisi iam ha-

(1) I p., q. 76, ad 1m. — Placet nunc addere indicium quod fert P. Tongiorgi de hac sententia, quam vocat magis aristotelicam. « Nam, ipse ait, posita generali theoria de corporum principiis, quod nempe corpora omnia constent materia prima ut pura potentia, et forma substantiali ut actu primo illius, opinio haec verosimilior erit, et toti systemati forte congruentior » *Psych.* l. I, c. II, a. III, n. 33.

beat aliquam formam. Atqui anima est actus corporis organici. Ergo. — *R. D. M.;* corpus nequit esse exigitive organicum, nisi habeat formam, *n.; nequit esse actu organicum, subd.*; nisi habeat formam quae sit ipsa anima, *c.;* quae sit diversa ab anima, *n.* — *Contrad. m.;* anima est actus corporis, quod *exigit* seu *debet habere* organismum, *c.;* quod actu habet organismum, *subd.;* per ipsam animam, *c.;* per aliam formam, *n.* — Ad rem S. Th. « Manifestum est quod in eo cuius anima dicitur actus etiam anima includitur eo modo, quo calor est actus calidi, et lumen est actus lucidi; non quod seorsum sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem. Et similiter dicitur, quod anima est actus corporis etc...., quia per animam et est corpus, et est organicum, et est potentia vitam habens. Sed actus primus dicitur *respectu actus secundi* qui est operatio. Talis enim potentia est non abiiciens, id est non excludens animam » (1). Et ratio est, ut addit idem S. D., quia « in definitionibus formarum aliquando ponitur subiectum ut informe, sicut cum dicitur: *Motus est actus existentis in potentia*: aliquando autem ponitur subiectum formatum, (nempe ut dicens ordinem ad illam eandem formam) sicut cum dicitur: *Motus est actus mobilis*: *lumen est actus lucidi;* et hoc modo dicitur anima *actus organici physici*, quia anima facit ipsum esse corpus organicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum » (2).

II. — Forma substantialis dat primum esse materiae. Atqui anima supponit esse materiae cui dat etiam vivere. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. dat materiae entitatem illam realem, qua in se constituitur ut principium perfectibile incompletum, *n.;* i. e. efficit ut ipsa primo existat in aliqua specie substantiae completae, *c.* — *Contrad. m.;* supponit esse materiae in aliqua specie completa, *n.;* supponit entitatem materialem perfectibilem, quae nunquam existit sine aliqua forma, *subd.;* cui dat simul esse et vivere, *c.;* cui dat tantummodo vivere, *n.* Omnis forma substantialis semper supponit saltem *prioritate naturae* ipsam entitatem realem perfectibilem materiae primae, quam actuando primo constituit in aliqua specie completa, et ponit in rerum natura, quum materia sine forma existere nequeat. Et hoc pacto intelligi debet, quod forma dat esse materiae. Sed haec eadem forma est etiam principium diversarum operationum, nempe sive transeuntis, sive etiam immanentis, uti est anima. Ergo anima dat materiae tum esse, sensu modo explicato, tum vivere, et hanc ob rationem dici solet: *vivere viventibus est esse.*

III. — In vivente inveniuntur partes specifice diversae. Atqui specifica distinctio est ex diversa forma substantiali. Ergo. — *R. D. M.:...* quae dicunt diversam specificam substantiam, *n.:* diversa specifica accidentia unius substantiae, *c.* — *Contrad.*

(1) *De Anima*, a. 1, ad 15m.
(2) *Compt. Theol.*, cap. 90.

m.... Ad rem S. Th. « Partes animalis, ut oculus, manus, caro et huiusmodi, non sunt in specie, sed totum : et ideo non potest dici proprie loquendo, quod sint diversarum specierum, sed, quod sint diversarum dispositionum. Et hoc competit animae intellectivae, quae quamvis sit una secundum essentiam, tamen propter suam perfectionem est multiplex in virtute; et ideo ad diversas operationes indiget diversis dispositionibus in partibus corporis, cui unitur. Et propter hoc videmus quod magis est diversitas partium in animalibus perfectis, quam in imperfectis, et in his quam in plantis » (1).

IV. — Vivens constat ex partibus, quae habent easdem proprietates corporum anorganicorum, e. gr. ex aqua, oxygenio, azoto etc. Atqui cum illis proprietatibus debent etiam adesse propriae formae substantiales. Ergo. — *R. D. M.;*... quae partes nondum constituunt ipsam substantiam viventis, *c.;* quae iam ipsam constituunt, *subd.;* ita ut istae profluant a materia informata ab ipsa anima, *c.;* ita ut profluant ab alia forma, *n.* — *Contrad. m.;* quando non sunt partes substantiae viventis, *c.* quando sunt eius partes, *subd.;* si non profluunt ab ipsa anima, *c.; si profluunt, n.* — Cum vivens debeat sese nutrire, iugiter assumit corpora extrinseca anorganica, quae sibi assimilat. Haec autem assimilatio non fit in instanti, sed praerequiritur longa alteratio. Quandiu ista perdurat, nondum illa corpora sunt partes viventis; quum vero ipsa peracta est, tunc ipsae sunt penitus transformatae et etiamsi deprehendantur, aliae proprietates, ut in corporibus anorganicis, ipsae possunt plane profluere ab anima, quia, ut saepe ait S. Th., forma superior dat quidquid affert forma inferior et aliquid amplius.

V. — Si anima daret primum esse materiae, esset pars essentialis corporis. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens. — *R. D. M.;*... esset pars corporis, quod est in sola specie corporis, *n.;* pars corporis generice inspecti, quod ideo esse potest etiam vivum et in diverso gradu vitae, *c.* — *Contrad. m.*.... Corpus quod est constitutum in sola specie corporis dicit formam corporeitatis, quae negat omnem ulteriorem perfectionem. Corpus vero ut genus eam non excludit, sed potest dicere non modo formam corporeitatis, sed et formam viventem... Et ideo anima est pars essentialis corporis, generice inspecti. Praescindimus interim ab anima humana, quae utpote spiritualis peculiares sibi vindicat difficultates, inferius solvendas.

67. **Prob. III p.** — Tunc adest in corpore forma quaedam substantialis, quum in eo exercentur operationes propriae illius. Atqui operationes propriae vitae vegetativae iam actu exercentur in semine foecundato, quod propria gaudet

(1) I p., q. 76, n. 5, ad 3m.

vita. Ergo — Maior argumenti est certissima. — *Pr. m.* Haec vita tota exercetur per actionem protoplasmatis, et in viventibus pluricellularibus vita totius viventis est veluti resultantia activitatum singulorum protoplasmatum cuiusque cellulae. Atqui in prima cellula foecundata protoplasma iam vitaliter agit, nutritur, multiplicatur et novas generat cellulas. Ergo in ipsa actu habetur vitae vegetativae exercitium. Ideoque, ut recte ait P. Wasmann, « principium vitae, quod in cellula foecundata suam exercet operationem, est velut internus artifex, qui totum aedificium per vires mechanicas ipsi subditas ad perfectionem perducit ». Nimirum adaequatus ac perfectus ille organismus, qui reperitur in vivente completo, quum plene expleta sit eius naturalis exigentia, est effectus illarum operationum, quae incipiunt statim post foecundationem. Atqui huiusmodi operationes haberi nequeunt, nisi in cellula foecundata iam adsit anima, quae exigit talem integrum organismum. Ergo (1).

Praeterea thesis confirmatur ex ipsa argumentatione eorum, qui oppositum tueri videntur. Audiatur praesertim S. Th.: « Nam, ait, quum anima uniatur corpori ut forma, non unitur nisi corpori cuius est proprie actus. Est autem anima actus corporis organici. Non est igitur ante organizationem corporis in semine anima actu, sed solum potentia sive virtute » (2). Maior huius argumenti incidit in Maiorem nostri argumenti. Difficultas igitur est in minori, in qua

(1) Unde iam Suarez coactus est fateri, semen « pertingere ad gradum animae » et hanc affert rationem. « Quoniam forma illa seminis actionem vindicat superioris rationis, organizandi scilicet corpus ad generationem viventis, quod (est) opus vitae. Neque satis diceretur, instrumentarie tantum operari. Nam cum semen separatum sit a vivente, proindeque ab illo iam non iuvetur, oportuit nancisci formam actioni proportionatam » (*de Anima*, L. II, c. 12, n. 9). Atque ita reiicit sententiam eorum qui asserunt, semen agere ut instrumentum animae parentum, a quibus deciditur. Aut enim illa virtus est substantialis, et tunc erit ipsa anima, aut est accidentalis, tunc debet subiectari in ipsa forma seminis ut accidens permanens, quia semen vel ovum potest manere diu separatum a parentibus antequam evolvatur, quod utrumque certe non videtur admitti posse. Nihilominus fatendum est, si reapse non posset adstrui anima in semine, nihil aliud remanere ad explicandam eius operationem productivam animae, nisi haec virtus instrumentalis a parentibus derivata, quam explicat S. Thomas (I p., q. 118, a. 1). Sed quae addit de semine maris et feminae, nullo modo respondent principiis recentiorum ex novis experimentis deductis.

(2) *C. Gentes*, L. II, c. 89.

ostendendum est, quinam organismus requiratur in materia, ut anima in ea exercere possit operationes vitales. Atqui vidimus, non requiri organismum completum, qui est in vivente iam evoluto, sed sufficere simplicissimum organismum, qui in simplici seminis cellula reperitur. Ergo ibi plane adesse potest anima actu.

Nec iuvat instare, naturam non procedere per saltus sed sensim sine sensu ab imperfecto ad perfectum. Nam semen illud iam antea erat animatum anima parentum, et in instanti foecundationis, incipit informari nova anima, quae tunc producitur. Atqui certe hic nullus adest saltus, cum ipsa corruptio unius sit generatio alterius. Et processus ab imperfecto ad perfectum habetur in alterationibus, quae praecedunt generationem, non autem in ipsa generatione, quae fit in instanti. Ergo.

68. **Scholion.** — *De mente S. Thomae circa existentiam animae in semine.* — Iuvat statim solvere hanc criticam quaestionem. Et praeprimis animo versandum est, ad rite investigandam mentem alicuius doctoris, prius inspicienda esse principia generalia, quae ipse statuit, deinde applicationem, quam facit, et praesertim rationem, propter quam eadem ita applicat. Porro principium generale, quod hac in re supponit S. Th. cum Aristotele, est huiusmodi: « Omnis forma tunc advenit materiae, quando ista est rite disposita, ac proinde etiam anima unitur materiae, quando est rite disposita ». Praeterea indicium seu criterium, ad dignoscendum, utrum materia sit disposita, necne, in eo est, quod forma possit in illa suas proprias exerere operationes. Hinc conflatur hoc principium universale, quod utrumque complectitur, videlicet: « tunc anima actu unitur materiae, quando in ea suas exercere potest operationes vitales ». Hoc igitur principium S. Doctoris uti prorsus ratum nobis quoque habendum est.

Atqui iuxta experimenta recentiorum physiologorum, ad quos omnino pertinet investigare, quando exerceantur operationes vitales, fatendum est eas haberi in cellula foecundata. Ergo iuxta ipsa principia et mentem S. Thomae dicendum est, in semine actu inveniri animam vegetativam. Imo addimus hanc esse veram methodum instaurandi doctrinam angelici Doctoris, eamque componendi cum recentiori scientiarum progressu, iuxta sapiens consilium S. P. Leonis XIII, qui aperte ait in Encyclica « Aeterni Patris »: « si quid est a doctoribus scholasticis traditum... cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohae-

rens, id nullo pacto in animo est aetati nostrae imitandum proponi ».

69. **Obiicies** I. Anima est actus corporis organici. Atqui semen non est organicum. Ergo. — *R. D. M.;* est actus corporis organici nempe habentis partes illas dissimilares, quae requiruntur ad primum vitae exercitium, *c.;* habentis integrum organismum proprium illius viventis, *subd.;* quando vivens est in ultimo complemento suae activitatis, *c.;* quando est in initio suae vitae, *n.* — *Contrad. m....* Ratio, cur anima requirit in materia organismum, uti vidimus, ex eo est, quia in materia adesse debent partes dissimilares, necessariae ad diversas animae operationes. Atqui experientia constat, quod partes dissimilares, quae sunt in semine, sufficiunt ad primum exercitium vitae vegetativae. Ergo.

II. Quando vivens morti occumbit, multas habet cellulas, in quibus integrae et incorruptae adsunt partes eius constitutivae. Atqui si istae partes sufficerent ad exercitium vitae, illae cellulae deberent adhuc vivere. Ergo. — *R. D. M.;...* quae tamen nequeunt amplius habere alimenta necessaria ad sui nutrimentum, *c.;* quae possunt adhuc alimenta habere, *n.* — *Contrad. m....* Ut cellula possit vivere, praeter partes necessarias ad operationes vitales exercendas, requiruntur etiam alimenta ac proinde circumstantiae aptae ed eadem assumenda. Iamvero cellulae, quae sunt partes constitutivae organismi, nequeunt alimenta sibi assumere, nisi in ipso organismo et mediante sanguine, cellula vero generativa, quum iam sit foecundata et habeat necessarium calorem ad vitae exercitium, potest directe assumere ex extrinseco alimenta sibi necessaria. Ac proinde non est paritas inter istam et ceteras.

III. Si in semine vel ovo foecundato esset anima vegetativa, tunc semper in eo deberent apparere operationes vitales. Atqui saepissime in eo non apparent. Ergo. — *R. D. M.;...* si ponitur in circumstantiis aptis ad vitae exercitium, *c.;* si istae non adsunt, *subd.;* deberet haberi vita saltem in statu latente, *c.;* vel. *transeat;* deberet haberi plenum vitae exercitium. *n.* — *Contrad. m.;* quando adsunt circumstantiae requisitae, *n.;* quando ipsae non adsunt, *subd.;* non apparet plenum vitae exercitium *c.;* neque habetur vita saltem in statu latente, *n.;* vel *transeat.* Ad agnoscendam existentiam animae in materia, sufficit ostendere existentiam vitae in actu primo, etiam quin habeatur vita in actu secundo, quando habemus aliud indicium ad illam discernendam. Hoc adest quum semen positum in conditionibus ad vitam requisitis, incipit edere opera vitae: nam tunc ita arguere licet. Semen positum in conditionibus ad vitam requisitis statim ostendit vitam in actu secundo. Atqui haec haberi non posset, nisi iam adfuisset vita in actu primo, quippe quae per illas conditiones non producitur, neque apparet alia causa quae

illam produceret. Ergo ab initio erat in semine foecundato vita in actu primo.

IV. Si anima esset a principio in semine, sequeretur quod generatio animalis esset solum per decisionem, sicut est in animalibus annulosis, quod ex uno fiunt duo. Atqui hoc non videtur posse admitti. Ergo. — *R. D. M.;...* si nulla requireretur foecundatio, et si in semine explicaretur vita eodem modo ac in vivente evoluto, uti praecise accidit in animalibus annulosis, *c.;* si in semine oppositum contingit, *n.* — Hinc apparet, non adesse paritatem: nam haec animalia decisa vivunt in unaquaque parte eodem modo ac antea; semen contra vivit modo plane imperfecto et semper tendit ad sui evolutionem, ut plenum organismum, quem nondum habet, acquirat.

V. Evolutio seminis, quae praecedit formationem organismi, habet rationem generationis. Atqui forma vivens non est principium sed terminus generationis. Ergo ipsa est post formationem organismi. — *R. D. M.;...* habet rationem simpliciter generationis viventis, *nego quousque probetur;* habet rationem generationis viventis completi cum suo organismo, *c.* — *Contrad. m.;...* est terminus simpliciter generationis viventis, *c.;* est terminus generationis viventis cum toto organismo *nego quousque probetur.* — Ad rem P. Urraburu l. c. p. 695. « Obiectio, ut mihi quidem videtur, est mera petitio principii. Id enim certum est in hac materia, formam... esse terminum generationis. Quando ergo embryo actuatur forma propriae speciei, tum reapse completa est ac terminata generatio. Non est autem aeque certum, sed ab hac praesenti quaestione pendens, utrum tota formatio debeat praecedere formam. Et experientia quidem videtur demonstrare, formationem organismi fieri vitali modo, per actionem immanentem, ope nutritionis. Unde videtur concludendum esse, formationem eiusmodi esse fructum principii alicuius vitalis in embryone existentis ».

VI. Si admittitur existentia animae vegetativae in semine, debet in eo etiam agnosci praeformatio organismi, seu *organismus in miniatura*, ut aiunt. Atqui haec hypothesis a recentioribus physiologis omnino excluditur. Ergo. — *R. D. M.;...* deberet agnosci praeformatio totius organismi completi, *n.;* illarum partium quae sufficiunt ad vitam vegetativam propriam illius cellulae, *c.* — *Contrad. m.;* excluditur praeformatio integri organismi, *c.;* etiam istarum partium..., *n.* — Ad exercitium vitae vegetativae cellulae primae sufficit, uti vidimus, protoplasma cum suo nucleo, quapropter nullo modo requiritur integer organismus, quacumque ratione explicetur. Contra vero multo magis requiritur anima, ut possit cum illis simplicibus partibus non modo exercere opera vitae vegetativae, sed ipsum organismum de integro formare. Et idcirco doctrina *epigene-*

seos, i. e. formationis organismi per productionem novarum cellularum, potius favet nostrae sententiae (1).

Thesis XII.

Ergo anima recte definitur cum Aristotele : « actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis », et est forma substantialis viventium specifice differens a forma substantiali mineralium.

70. **Status quaestionis.** — Agnita existentia principii formalis a materia distincti, quod ei unitur ut vera forma substantialis, quae anima nuncupatur, plane intelligitur propria eius natura, ac distinctio a forma substantiali mineralium. Unde infertur, animam esse aliquid substantiale, quod simul cum materia integram illam substantiam constituit, quae *vivens* appellatur. Et contra affectiones illae ac perfectiones necnon operationes omnes vitales, quibus ea nobis innotescit, non sunt nisi accidentia, quae ex ea fluunt. Ideoque falsa est eorum sententia, qui autumant, animam non esse nisi accidens vel seriem accidentium, quae corpori inhaerent.

Item altera pars intime connectitur cum iis, quae in th. V statuimus, quum exhibeat intimam rationem, cur viventia a non viventibus specifice differunt. Differentia enim specifica entium per ipsam formam, qua eadem intrinsece constant, constituitur.

(1) Ut aliquid breviter dicatur de hac duplici sententia physiologorum, e re esse videtur, haec pauca referre, quae habet Paulus Janet professor in Inst. Paris, in opere. « Les Causes finales » p. 182 « Dans l'hypothèse de la préformation, le type paraît formé tout d'un coup; dans celle de l'épigénèse, il se forme pièce à pièce; mais de ce qu'une œuvre d'art se forme pièce a pièce, ce qui tient à la loi du temps,loi de toutes les choses temporelles et périssables, il ne s'ensuit nullement qu'elle ne soit pas une œuvre d'art; et l'évolution graduelle n'exige pas moins une idée directrice et créatrice que l'éclosion subite du tout, en supposant qu'une telle éclosion soit possible. Ainsi, pour qu'il soit permis de dire avec M. Claude Bernard qu'une idée directrice et créatrice préside à l'organisme, avec Müller et Kant que le tout commande et conditionne les parties, il n'est point nécessaire que cette idée soit dessinée d'avance aux yeux sensibles dans le noyau primitif de l'être futur. De ce que je ne vois pas d'avance le plan de la maison, il ne s'ensuit pas qu'ils n'y en ait pas ».

71. **Prob. I p.** — Nomine animae intelligitur principium primum vitae, quae corporibus inest. Atqui ipsum debet esse actus primus corporis physici... Ergo.

Pr. m. Omne principium actionis debet esse *actus*, quum nihil agat nisi actu sit, si vero est primum, erit etiam actus primus. Item operatio vitalis in corpore fit cum eius concursu, ergo principium illius debet esse actus corporis seu informare corpus, quod potest cum eo concurrere ad operationem vitalem. Hoc autem debet esse *physicum*, nempe naturale non artificiale, nam operatio vitalis est omnino naturalis seu ex ipsa natura fluens: *organicum*, ut indicetur dispositio saltem exigitiva materiae, quatenus debet habere organismum. Ergo. — Dicitur: « *potentia vitam habentis* », et non simpliciter « *habentis vitam* »; nam corpus habens vitam intelligitur substantia composita vivens. Compositum autem non ponitur in definitione formae. Materia autem corporis vivi est id quod comparatur ad vitam sicut potentia ad actum: et hoc est anima, *actus*, secundum quem corpus vivit. Sicut si dicerem quod figura est actus, non quidem corporis figurati in actu, hoc enim est compositum ex figura et corpore, sed corporis, quod comparatur ad figuram sicut potentia ad actum » (1).

Praeterea, ut scite advertit S. Th., « ad inquirendum de natura animae, oportet praesupponere, quod *anima dicitur esse primum principium vitae* in his quae apud nos vivunt: animata enim *viventia* dicimus, res vero inanimatas vita carentes » (2). Quare sicut forma substantialis corporum in genere est *primum principium activitatis*, ita haec forma substantialis corporis viventis est *primum principium huius activitatis, nempe vitae*. Si proinde inspicitur ratio animae praecise ut est causa determinatae ac *propriae* activitatis, recte describi potest cum eodem Arist. « est id quo primo vivimus, sentimus, et intelligimus ». Istae enim tres praecipuae et propriae operationes sunt, quae ab anima exercentur. Si vero ea definitur essentialiter, seu per id quod primo constituit rationem animae, tunc sicut omnis

(1) S. Th. in L. II *de Anima* lect. 1.
(2) I p., q. 75, a. 1.

forma substantialis est *actus primus corporis*, ita et anima. « Cum enim, ait S. Th. cum Arist in l. c., sit triplex substantia, scilicet compositum, materia et forma, et anima non est ipsum compositum, quod est corpus habens vitam, neque est materia, quae est corpus subiectum vitae : relinquitur per locum a divisione, quod anima sit substantia, sicut forma vel species talis corporis ».

Prob. II p. — Illa forma substantialis specifice differt ab alia forma substantiali, quae proprietates praesefert specifice diversas. Atqui corpora viventia proprietatibus gaudent, a forma profluentibus, quae specifice differunt a proprietatibus mineralium. Ergo. — *Pr. M.* — Proprietates alicuius formae substantialis sunt perfectiones cum ea ita connexae, ut ex eius essentia necessario fluant. Atqui istae nequeunt esse inter se specifice diversae, nisi et ipsae formae substantiales specifice inter se differant. Ergo merito ex proprietatibus specifice diversis infertur specifica differentia formarum substantialium.

Haec thesis igitur est corollarium antecedentium, in quibus probatum est, operationes ac proprietates viventium esse specifice diversas a proprietatibus non viventium, et simul statuit intrinsecam earundem rationem.

72. **Dices** I. — Diversae proprietates fluunt ex diversis formis accidentalibus. Atqui istae adesse possunt in substantia specifice eadem. Ergo. — *R. D. M.;*... quae quasi forinsecus adveniunt vel artificialiter adduntur rei iam existenti, *c.;* quae intrinsece fluunt naturaliter ex ipsa essentia rerum, *n.* — *Contrad. m.;* quae intrinsece ex essentia veniunt, *n.;* quae adduntur, *subd.;* omnes, *n.;* quaedam, *c.* — Proprietates rerum primo quidem exhibent proprias formas accidentales, quae manant ex ipsa substantia. Sed consequenter patefaciunt naturam ipsius substantiae, a qua dimanant. Quia tota perfectio accidentis est ex perfectione substantiae, cui inest et ex qua naturaliter fluit.

II. — Diversa accidentia possunt fluere ex eadem forma substantiali. Ergo. — *R. D. A.;* accidentia quae exhibent diversas proprietates specificas, *n.;* quae non habent has diversitates, *c.* — Intimus adest nexus inter formam substantialem et accidentia, quae ex ea fluunt. Ac proinde si accidentia habentur, quae proprietates exhibent specifice diversas a proprietatibus aliorum accidentium, quae aliis insunt substantiis, necessario arguunt substantiam specifice distinctam.

III. — Plus et minus non mutant speciem. Atqui accidentia omnia differunt ut plus et minus. Ergo. — *R. D. M.;* plus et minus secundum eandem rationem non mutant speciem, *c.;* plus et minus secundum diversam rationem..., *n.* — *Contrad. m.;* omnia secundum eandem rationem, *n.;* quaedam secundum eandem alia secundum diversam rationem, *c.* — Operatio immanens ita perfectior est, quam operatio transiens, ut simul exhibeat rationem intrinsece diversam, uti explicavimus. Dum contra actio chimica, quamvis et ipsa perfectior sit ac actio mechanica, invenitur semper in eadem ratione actionis transeuntis. Si qui vero asserere auderent, operationes immanentes et transeuntes non exhibere rationem omnino diversam, quae proinde formas specifice diversas expostulant, nunquam profecto adinvenirent differentiam specificam perfectionum sive accidentalium sive substantialium.

73. **Coroll.** I. — Ergo differentia viventium a non viventibus est secundum substantiam specifice diversam non autem secundum diversa accidentia. — Nam quando duae substantiae differunt tantum secundum diversa accidentia, pertinent ad eandem speciem, et accidentia quae in altera deprehenduntur huiusmodi esse debent, ut plane fluere valeant ex eadem essentia specifica, ex qua fluunt accidentia alterius. Hoc accidit e. g. inter viventia diversarum stirpium, quae tamen ad eamdem speciem pertinent. Atqui vidimus proprietates viventium huiusmodi esse, ut nullo modo fluere queant ex essentia propria corporum non viventium. Ergo.

Coroll. II. — *Ergo anima est formaliter simplex et virtualiter tantum extensa.* — Nam anima est forma substantialis. Atqui omnis forma substantialis, ut ostenditur in cosmologia, est formaliter simplex et virtualiter extensa, quatenus applicat virtutem suam essentialem materiae extensae, quam actuat. Ergo. — Nihil aliud addimus circa hanc rem, si quae enim difficultas aut quaestio fieri potest, ea vel respicit ipsam rationem extensi virtualis prout discriminatur ab extenso formali, de qua re sermo est in cosmologia, vel potius respicit quaestionem de divisibilitate animae, a qua tamen omnino distinguenda est, uti clare patebit ex iis, quae in thesi sequenti explicanda sunt

Thesis XIII.

Anima plantarum et animalium imperfectiorum est divisibilis per accidens ad divisionem compositi.

74. **De divisibilitate animarum in plantis et animalibus annulosis.** — Divisibilitas est proprietas extensionis, imo a quibusdam cum ipsa extensione confunditur. Et primo mentio facienda est de anima plantarum et quorundam animalium, quae dicuntur *annulosa*. In eis enim accidit, quod si ipsa dividantur, saltem iuxta quasdam leges ac proportiones, unaquaeque pars adhuc vivit, unde videretur, ipsa forma substantialis dividi in partes.

Sententia, quam defendimus, communis est, et pauci eam denegant. Sed ad hoc rite intelligendum, distinguendum est triplex genus formarum, ut acute advertit Caietanus. Habentur enim « quaedam omnino aequaliter respicientes totum et partes, ut primum perfectibile: et tales sunt formae mere naturales, ut aquae, ignis et aliorum huiusmodi... Quaedam vero sunt *omnino inaequaliter* respicientes totum et partes. Et hae ita totum sibi vindicant ut primum perfectibile, quod nulla pars seorsum potest habere rationem, non solum primi perfectibilis, sed nec perfectibilis (intellige *primi secundum quid*); huiusmodi autem est procul dubio anima intellectiva, et, ut videbitur, anima animalium perfectorum... Quaedam autem sunt mediae formae, quae *partim aequaliter et partim inaequaliter* respiciunt, totum et partes; et hae sunt, quae sic totum respiciunt *ut primo perfectibile*, quod partem possint habere non ut primum perfectibile simpliciter, sed secundum quid. Et tales sunt anima vegetativa et sensitiva animalium imperfectorum: hae enim ita totum animatum corpus ex omnibus organis ex propria ratione sibi vindicant ut primo perfectibile, quod tamen in partibus eius seorsum salvari possint non ut in primo perfectibili simpliciter, ut accidit in formis naturalibus, sed secundum quid » (1).

Quare non modo priores sed etiam istae, quae respiciunt partim aequaliter et partim inaequaliter totum et partes, possunt dividi ad divisionem compositi, ac proinde non videntur esse prorsus simplices, sed quandam praeseferre *totalitatem quantitativam*. De qua iterum adverte cum eodem auctore ibid. « Est differentia inter *totalitatem quantitativam* et alias (totalitates nempe *essentiae et virtutis*) respectu formarum quoad hoc, quod illa non invenitur in formis *nisi per accidens*, istae *per se*. Illa in solis formis, quae indifferenter respiciunt totum et partes,

(1) *Comment. in S. Th.*, I. p., q. 76, a. 8.

istae non sic; quia perfectio essentiae et rationis, et esse principium operationis per se convenit formae. Ex his sequitur tertia differentia, quod illa non invenitur in anima praecipue animalium perfectorum, istae sic. Et tenet sequela, quia anima non eadem habitudine respicit totum et partes, quia requirit manifeste diversitatem in partibus corporis ».

Non omnes conveniunt in explicando, quomodo huiusmodi formae sint divisibiles. Quidam existimant, formam ipsam nunquam dividi : sed ad divisionem compositi priorem corrumpi et duas vel plures novas formas educi; alii vero asserunt ipsam formam dividi ad divisionem compositi, ac proinde non per se sed per accidens. Nobis videtur saltem probabilior haec altera opinio, quam innuimus in Cosmol. (n. 61, III), quae est magis ad mentem Arist. et S. Th.; ita g. gr. loquitur Phil. in I *de Anima* c. 5 text. 93 : « Dicuntur autem et plantae vivere divisae et animalium quaedam incisorum, tamquam eandem habentia animam specie, etsi non numero ».

75. **Probatur.** — Et primo dicimus, hoc *non repugnare*. Siquidem huiusmodi anima ex eis est, quae eodem modo respiciunt totum et quasdam determinatas partes. Atqui nulla est in eo repugnantia, quod talis anima dividatur ad divisionem compositi. Tunc enim id quod proprie dividitur est compositum extensum, quod ante divisionem erat unum ac proinde actuatum per unam animam, post divisionem fit multiplex ac proinde actuatum per eandem animam specificam, quae numerice multiplicatur ratione multiplicationis materiae. Quare sicut per divisionem non corrumpitur compositum, sed simpliciter evadit multiplex, eandem habens naturam specificam in partibus divisis, ita evadit multiplex anima. Ergo.

Nunc directe. Certum est in plantis ramos et surculos a trunco resectos et humo apte defixos, eadem gaudere vita specifica ac antea, et novas constituere plantas numerice distinctas. Item in animalibus, praescindendo modo a phaenomenis multiplicationis scissiparae vel fissiparae et gemmiparae, quaedam adsunt annulosa, ut lumbrici aut vermes terreni, quae si in plures secentur partes totidem evadunt animalia numerice distincta. Atqui haec individua dici nequeunt actuari per novas animas productas, priori corrupta : quum nulla assignari possit causa generationis harum animarum; neque simplex divisio haberi potest tam-

quam causa sufficiens huiusmodi generationis. Nec ulla adest ratio eam adstruendi, quippe quae ex eo tantum adduci posset, quod prior forma nullo modo dividi potuisset, ideoque necessario corrumpi debuisset. Sed iam vidimus hoc non repugnare. Ergo (1).

Eandem saepe tradit S. Thomas doctrinam: « In illis animalibus, quae decisa vivunt, est una anima *in actu et multae in potentia; per decisionem autem reducuntur in actum multitudinis, sicut contingit in omnibus formis, quae habent extensionem in materia* » (2). Et alibi: « animae minus nobiles, quae habent parvam diversitatem in potentiis perficiunt etiam corpus, quod est quasi uniforme in toto et partibus. Et ideo ad divisionem partium *efficiuntur diversae animae actu in partibus, sicut etiam in animalibus annulosis et plantis.* Non tamen ante divisionem in huiusmodi animalibus quaelibet pars dicitur animal nisi in potentia; *sicut nullius continui pars est nisi in potentia; unde nec pars ignis est aliquid actu nisi post divisionem* » (3).

Quoad animalia vero perfectiora et praesertim quoad hominem, anima est prorsus indivisibilis, quia non respicit eodem modo totum et partes. Sed hanc quaestionem modo seponimus; si quis plura desiderat, adeat alios scholasticos, praesertim P.

(1) Scite ad rem Arist.: « Sicut.... nonnulla divisa seiuncta que videntur vivere; propterea quod anima, quae est in istis, *actu quidem in unaquaque planta est una, potentia vero plures*, sic et circa alias videmus animae differentias fieri, cum inciduntur animantium ea quae insecta vocamus ». Quem locum sic egregie interpretatur S. Thomas: « quaedam partes divisae ab eis (plantis), et separatae ab aliis partibus, videntur vivere. Et hoc manifestatur per hoc, quod ramusculi abscissi inseruntur, vel plantantur et coalescunt; quod non esset; nisi remaneret in eis vita, et per consequens anima, quae est principium vivendi: quod contingit tamquam in unaquaque planta anima sit una in actu, et multiplex in potentia. Sicut enim accidere videtur in formis corporum naturalium inanimatorum, ita in eis, quae propter sui imperfectionem non requirunt diversitatem in partibus, quod in aliquo uno toto anima est in actu una et plures in potentia, sicut et ipsum corpus est unum in actu, et plura in potentia. Potest enim dividi unumquodque eorum in diversas partes similes specie; sicut partes in aëre, aqua et in corporibus mineralibus. Unde oportet, quod si partes sunt similes specie ad invicem et toti, quod forma specifica post divisionem sit in utraque partium. Et eadem ratione, quia anima plantae imperfecta est in ordine animarum, non requirit magnam diversitatem in partibus, unde anima totius potius potest salvari in aliqua partium. Et sic etiam videmus in aliis differentiis animae, sicut in entomis decisis, idest in animalibus, quae decisa vivunt, quia utraque partium habet sensum. Quod patet ex hoc, quod retrahit se, si pungitur. Et etiam habet motum secundum locum, ut ad sensum apparet etc. ». *De Anima*, l. II, lect. 14.

(2) *De Spirit. creat.* artic. 4, ad 19.

(3) I *Sent.*, D. 8, q. 5, a. 3 ad 2m cfr. etiam II *Sent.*, D. 18, q. 2, a. 3: *De Potent.* q. III, a. 12, ad 5m.

Urraburu, qui fuse hanc pertractat quaestionem in Psychol., L. I. D. I, c. 4, art. 3.

Thesis XIV.

Operationes propriae vitae vegetativae ad tres reduci possunt; ad nutritionem, augmentum et generationem, quarum generatio est praecipua ratione finis.

75. **Operationes vitae vegetativae.** — Nunc tandem breviter ipsae explicandae sunt, ut melius nobis aperiant rationem istorum principiorum vitalium.

In vita vegetativa multae habentur operationes, quae per diversas chimicas combinationes exercentur, at non omnes vitales dici possunt, sed nonnullae potius pertinent ad alterationem, quae illas praecedere debet.

Praeterea non numeramus hic omnes operationes vitae vegetativae, sed illas supremas dumtaxat inspicimus, ad quas ceterae ordinantur, quaeque proprie ac perfecte rationem vitae vegetative in actu secundo constituunt. Ex quo dein colligi potest, frustra omnino adlaborare eos omnes, qui mediis artificialibus quasdam operationes vitales efficere conantur, nisi tandem eo perveniant, ut has operationes in thesi recensitas gignere valeant, quod hucusque nunquam consecuti sunt.

76. **Prob. I p.** — Illae sunt propriae operationes vitae vegetativae, quae omnibus et solis corporibus, quae dicuntur vegetare, conveniunt, quaeque apparent esse vere vitales seu immanentes et in bonum ipsius viventis. Atqui huiusmodi sunt *nutritio*, *augmentum*, *et generatio*. Ergo — *Pr. m.* Et sane, *nutritio* est *operatio, qua vivens aliquod alimentum assumit et sibi assimilat*. Atqui haec est operatio vere *immanens*, quia procedit ab agente et ad ipsum terminat. — Item *augmentatio* est *operatio, qua vivens suam molem auget* et est immediatus effectus nutritionis, quo vivens magis sese perficit. — Tandem *generatio* est *operatio, qua vivens producit aliud sibi simile*, per decisionem alicuius cellulae a suo organismo. Atqui operatio, qua in generante producitur huiusmodi cellula, est certe vitalis, et est effe-

ctus nutritionis, tendens ad perfectionem ipsius generantis, nempe ad conservationem eiusdem speciei: et ipsa virtus insita in cellula germinali, qua non solum sese nutrit et auget, sed novum etiam organismum gignit, est quam maxime vitalis et immanens. Omnes autem istae operationes ita sunt propriae vitae vegetativae, uti nulli corpori non viventi competant. Ergo (1).

77. **Dices** I. Operationes istae versantur circa obiecta distincta ab ipso vivente. Atqui istae sunt transeuntes. Ergo. — *R. D. M.;*... ita ut operatio perficiatur in ipso vivente et tantum effectus illius versetur circa obiecta externa, *c.;* ita ut etiam operatio sit transiens in obiectum externum, *n.* — *Contrad. m.;* si etiam ipsa operatio esset transiens, *c.;* si tantum eius effectus, *subd.;* sunt operationes tantum transeuntes, *n.;* partim tran-

(1) Iuvat audire quomodo has operationes explicat Aristoteles, inspiciendo propriam rationem alimenti, et modum, quo ipsum convenit nutritioni, augmento et generationi, et hoc praestat, assignando discrimen inter alimentum vitae vegetativae et alimentum ignis. Eius mentem ita explanat S. Th. (*De Anima*, L. II, l. 9). « Considerandum est autem, quod nihil proprie nutritur nisi animatum; ignis autem videtur quidem per quandam similitudinem nutriri, non autem proprie nutritur: quod sic patet. Id proprie nutriri dicimus, quod in seipso aliquid recipit ad sui ipsius conservationem: hoc autem in igne videtur quidem accidere, sed tamen non accidit. Cum enim igni accenso aliqua materia combustibilis additur, in illa materia combustibili novus ignis generatur, non autem ita, quod illud combustibile additum cedat in conservationem ignis, in alia materia prius accensi. Puta, si aliquod lignum de novo ignitur, per hanc ignitionem non conservatur ignitio alterius ligni prius igniti: totus enim ignis qui est ex congregatione multorum ignitorum, non est unus simpliciter, sed videtur unus aggregatione, sicuti acervus lapidum est unus: et propter talem unitatem est ibi quaedam similitudo nutritionis. Sed corpora animata vere nutriuntur, quia per alimentum conservatur vita in illa parte eadem, quae prius fuit. Et propter hoc etiam sola animata vere augentur: quod non convenit rebus inanimatis, quae videntur per additionem crescere... Deinde ostendit quomodo alimentum congruit augmento. Et dicit quod licet idem sit subiecto, quod est obiectum nutritionis, prout dicitur alimentum, et quod est obiectum augmenti prout dicitur augmentativum, tamen differt ratione. Dictum est enim quod alimentum est in potentia ad corpus animatum. Corpus autem animatum, et est quoddam quantum et est hoc aliquid ut substantia. Secundum igitur quod est quoddam quantum, secundum hoc alimentum adveniens ei, eo quod etiam et ipsum « quantum est », facit augmentum, et dicitur augmentativum: in quantum autem corpus animatum, hoc aliquid et substantia est, sic habet rationem alimenti. Hoc enim est de ratione alimenti, quod conservat substantiam eius quod alitur... Deinde ostendit quomodo alimentum congruat generationi. Semen enim quod est generationis principium, est superfluum alimenti. Non tamen alimentum est principium generationis eius quod alitur, sed alterius quod est tale secundum speciem, quale est quod alitur ». — Quare, ut apparet, prima operatio vitae vegetativae ratione temporis est *nutritio*, ex qua fluunt tamquam necessaria consequentia *augmentum* et *generatio*.

seuntes partim immanentes ideoque imperfecte saltem immanentes, *c.* — Pórro de ratione operationis immanentis praecipuum est ut ipsum agens, positis omnibus requisitis ad agendum, se moveat de potentia ad actum operationis, quae in eo manet et ipsum perficit, et hoc pacto operatio est vere immanens. Si vero inspicitur effectus huius operationis, ipse potest esse etiam extra ipsum agens, et tunc dici potest imperfecte immanens. Quare generatio, prout ea ordinarie fit per foecundationem, est immanens, quia non modo productio cellulae germinativae est plene immanens, verum etiam ipsa operatio generatrix manet in parentibus, a quibus procedit, cuius dein effectus est coniunctio seminis masculini cum ovulo, quae coniunctio iterum est in bonum ipsius generantis, ad conservandam nempe speciem. Ergo si forte generatio dici nequeat perfecte ac sub omni respectu immanens, certe tamen est ita immanens ut plane distinguatur ab operationibus transeuntibus corporum non viventium.

II. Operatio nutriendi tota versatur circa obiectum extrinsecum. Atqui ipsa est certe transiens. Ergo. — *R. D. M.*;... ita ut hoc obiectum sese habeat ut causa materialis circa quam versatur illa operatio, *c.;* sese habeat uti causa efficiens vel finalis, *n.* — *Contrad. m.* — Revera alimentum non est nisi materia, circa quam versatur operatio nutriendi, sed totum principium efficiens est in ipso vivente, et finis illius operationis iterum est ipsum vivens. Unde tota operatio ab ipso vivente efficienter incipit et in se terminatur, imo eo tendit ut rem extrinsecam convertat in ipsum agens. Ergo operatio est semper immanens, quamvis imperfecte.

78. **Prop. II p.** — Illa est praecipua operatio, in quam vivens tamquam in finem tendit, quae ipsum ita perficit, ut vivens semper conservet suum esse, nam conservatio sui esse est praecipuus finis, in quem tendit omne ens. Atqui vivens hunc finem consequitur praecipue per generationem. Ergo. — *Pr. m.* Vivens per nutritionem tendit ad conservandum suum esse individuale quo actuatur. Atqui ipsum nequit semper durare, quum sit naturaliter corruptibile; ergo tendit saltem ad perpetuandum suum esse specificum, generando aliud sibi simile, in quo eadem species semper servatur. « Quia igitur, licet concludere cum Arist. et S. Th., non possunt communicare inferiora viventia ipsi esse sempiterno et divino, per modum continuationis, idest ut maneant eadem numero, propter hoc, quod nihil corruptibilium contingit unum et idem numero permanere semper,

cum necessitas corruptionis sit necessitas absoluta, utpote proveniens ex ipsa materia, non ex fine, sequitur, quod unumquodque communicet perpetuitati secundum quod potest : hoc quidem magis, quod est diuturnius : illud vero minus, quod est minus diuturnum, et tamen permanent semper per generationem, non idem simpliciter, « sed ut " idem " id est in simili secundum speciem » (1).

79. **Scholion. — De distinctione potentiarum vitae vegetativae.** — Potentiae in se specificantur et ad invicem distinguuntur per actus et obiecta, ut ostendimus in th. VII. Operationes propriae seu actus vitae vegetativae sunt tres. Ergo tres potentiae distingui possunt. Tres sunt, ait S. Th., potentiae vegetativae partis. Vegetativum enim, ut dictum est, habet pro obiecto ipsum corpus vivens per animam, ad quod quidem corpus triplex animae operatio est necessaria. Una quidem, per quam esse acquirat, et ad hoc ordinatur potentia generativa. Alia vero, per quam corpus vivum acquirat debitam quantitatem: et ad hoc ordinatur potentia augmentativa. Alia vero, per quam corpus viventis salvetur et in esse et in quantitate debita, et ad hoc ordinatur vis nutritiva » (2). — Ergo istae potentiae saltem ratione inter se distinguuntur: ut demonstretur vero, quod

(1) *De Anima*, L. II, l. V. — Sedulo tamen adverte, quod iste finis in hominibus non impeditur sed potius perficitur per consilium divinum virginitatis; ideo S. Paulus aiebat: « melius est non nubere ». Nam generatio non tendit solummodo ad simplicem ac materialem conservationem speciei, sed ad conservationem eius naturae convenientem. Iamvero conservatio speciei, conveniens naturae humanae, in eo est quod homines perficiat quoad nobiliorem sui partem, nempe quoad vitam intellectivam, quae est propria naturae humanae. Atqui ad hunc finem quam maxime confert status hominum, qui *non nubent*. Isti homines enim, prorsus soluti a cura filiorum naturalium, aptiores sunt ut culturae vitae intellectualis suae et aliorum incumbant, et filios generent, ut ita dicam, in ordine spirituali, uti quotidiana testatur experientia.

Quamobrem cum Deus protoparentibus dixit: « crescite et multiplicamini »,, subintelligebat sane, *modo convenienti humanae naturae*. Ac proinde non modo non prohibebat, sed implicite saltem approbabat statum illorum hominum, qui a vinculo carnali soluti, directe operam navant, ut vita intellectualis augeatur ac multiplicetur. Unde sequitur quod societas humana maius emolumentum consequitur ex istis hominibus, quos proinde tenetur plus ceteris aestimare ac venerari. — Et hoc, etiam praescindendo a fine religioso ac supernaturali, ob quem multi homines ac praesertim christiani virginitatem excolunt.

(2) I p., q. 78, a. 2.

etiam realiter distinguantur, necesse est ostendere, quod operationes eis respondentes inter se realiter sint distinctae.

Iamvero controversia adest, utrum nutritio et augmentatio realiter distinguantur. Neque ex demonstratione theseos aliquod evinci potest. Quamvis enim ratio augmenti et ratio nutritionis inter se differant, nondum tamen sequitur, quod sint operationes inter se ita distinctae, ut duas diversas exigant potentias. Contingere enim potest quod una operatio vel melius unus effectus sit naturalis resultantia alterius, et tunc una eademque potentia, quae primam producit, sese extendit etiam ad alteram. Ed idcirco nobis potius arridet sententia negans, quam ita probat Lossada. « Nutritio in instanti, quo fit, semper aliquid superaddit substantiae viventi, quam pro signo priori existentem supponit ut causam sui: quae substantia certe non minuitur in eo instanti; nam, si tunc resolvatur simul aliqua pars materiae praehabitae, illa non praesupponitur ad nutritionem in signo causae: alioquin pro eodem instanti esset et non esset propria viventis. Nutritio igitur semper adiungit novam partem toti substantiae, a qua oritur, adeoque semper illam auget in eo instanti, quo vivens se nutrit. Quando tamen tantumdem aut plus materiae perditur in eodem instanti, vel perditum erat in anteriori, ut accidit in aetate provecta: tunc nutritio non tam dicitur augmentatio, quam restauratio: quia scilicet comparatur cum integritate praehabita in anteriori tempore, vel instanti » (1).

80. **Conclusio.** — Operatio vitae vegetativae, plane nobis ostendit naturam illorum principiorum, quibus vivens vegetativam intrinsece constat: in quibus inquirendis, statuendis ac rite explicandis, absolvitur munus philosophi, prout distinguitur a munere cultorum scientiarum naturalium.

Prius quidem conati sumus perspectas habere horum conclusiones experimentales, quas breviter etiam exposuimus, easque dein analysi subiiciendo, haud difficile fuit statuere necessitatem agnoscendi duplex principium intrinsecum substantiale constituens naturam omnis viventis. Inde propria ratio utriusque principii plane nobis innotuit. Ut certum igitur habendum est in viventibus adesse principium formale perfectius ac in mineralibus, ex quo fluunt operationes vere immanentes quamvis imper-

(1) *Cursus philosoph.* T. octavus — *De An.*, D. V, c. I, n. 4.

fectiores, et merito appellatur *anima*. Ipsa vero non est aliquid in se subsistens ac materiae assistens, sed est vera forma substantialis constituens cum materia unam substantiam viventem.

Ex tali principio repetenda est unitas cuiusque viventis, et ex eiusdem multiplicatione plura quoque habentur viventia. Ipsum quamvis in se simplex, est virtualiter extensum, et dividi potest per accidens ad divisionem compositi in illis viventibus, in quibus eodem modo respicit totum et partes, ut contingit in quibusdam animalibus imperfectioribus et in plantis. Tandem est aliquid distinctum ab ipsis viribus mechanicis et chimicis, imo etiam a suis potentiis operativis et multo magis ab omnibus operationibus seu phaenomenis, quae in eo contingunt. Est igitur aliquid permanens substantiale, specifice differens a forma mineralium, quod constituit unumquodque vivens in sua determinata specie et merito definitur: « actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis ».

Alterum principium est materia organica, quae diverso gaudeat oportet organismo, iuxta diversam exigentiam illius formae et operationum vitalium, quae ab ea exercendae sunt. Unde ex diverso etiam organismo argui potest diversitas principii formalis seu animae. Quum autem ipse pluribus cellulis constet, *pluricellularis* appellatur, in quo singulae cellulae nequeunt vivere nisi dependenter a toto et tendunt semper in bonum totius organismi viventis.

Quapropter semper ac datur unus organismus, ipse actuatur una forma substantiali, et unum habetur individuum vivens, ac proinde prorsus falsa dicenda est opinio eorum qui asserunt, omne vivens non esse nisi coloniam cellularum.

Tandem si fundamentales operationes vitae vegetativae spectantur, ipsae ad tres facile reducuntur: ad nutritionem, augmentum et generationem. Omnes enim eo spectant ut individuum conservent in suo esse ac debita quantitate, et quoniam ipsum est obnoxium corruptioni, per generationem providetur saltem conservationi speciei.

ARTICULUS III.

DE VITA PLANTARUM.

81. **Praenotiones historicae.** — Plantae eae dicuntur, quae vulgo hoc nomine nuncupantur, e. g. *arbores*, *flores*, *frumenta*, *herbae* et huiusmodi. Eae organismum praeferunt plane simpliciorem ac diversum ab illo, quo animalia et homines ornantur. Et ratio est, quia ipsae infimo tantum vitae gradu pollent, et in hoc quoque gradu opera-

tiones vitales imperfectiori modo exercent, ut iam innuimus.

Quidam animadvertentes in plantis omnia activitatis phaenomena exerceri per vires physicas ac mechanicas, et unice per materiae transformationem, ea nequaquam vitalia esse autumarunt. Ac proinde nullam plantis vitam tribuerunt, nisi sensu improprio ratione peculiaris complexus virium, qui in eis deprehenditur. Ita sentiunt inter recentiores Schleiden, Du Bois-Reymond, Virchow, Landois, Sachs, Loew, Bokornes.

Alii vero nimium extollentes quaedam plantarum phaenomena, ea ad vitam cognoscitivam reduci posse censuerunt. Quare Anaxagoras et Empedocles vitam quoque intellectivam eis tribuerunt, quibus postea concinerunt Manichaei, qui proinde asserere non dubitarunt homicidium committi, quum arbores caeduntur (1). Sed quidam contenti fuerunt vitam tantum sensitivam eis donare, in quorum sententiam aliquid concessit Plato, qui quandoque plantas animalia nuncupavit. Eminet posteriore aetate Io. Robinet (1735-1820) qui hanc sententiam propugnare conatus est, sensationem definiendo indeterminate et ambigue (2), item Th. Fechner (m. 1887) (3) et Cl. Bernard (4).

Maior tamen pars plantis tribuit vitam tantum vegetativam, uti post Aristotelem (5) docuerunt Patres et scholasticis omnes ita ut Suarez asserere non dubitaverit: « philosophice evidens est plantam vivere » (6). Inter recentiores recensendi sunt Ioannes Müller, Liebig, R. Wagner, Unger,

(1) Cfr. S. Augustin., L. 2 *de mor. Manich.*, c. 17.

(2) Iuxta ipsum enim sensatio non est nisi « impressio quaedam recepta in ente organico, qua fit, ut quaedam obiecta prosequatur, quaedam aversetur ». Iamvero vox illa « *impressio* » est vaga et captiosa, quum posset etiam intelligi de sola impressione physica, perinde ac habetur in physico contactu alimentorum cum facultate nutriendi, et sic perperam confunditur vita sensitiva cum vegetativa.

(3) Ipse agnoscit saltem minimam sensibilitatem « eine wenn auch schwache, dumpfe, unterschiedslose Empfidung » *Ueber die Seelenfrage* p. 25.

(4) *Leçons sur les phénomènes de la vie commune aux animaux et aux végétaux*. Paris 1878.

(5) Ζωὴν δὲ λέγομεν τὴν δι'αὐτοῦ τροφήν τε καὶ αὔξησιν καὶ φθίσιν (L. II *de Anima*, c. 1, 412 c). Unde ipse vocat plantas τὰ Ζῶντα vel ἔμψυχα, animalia τὰ Ζῶα.

(6) *De Anima*, L. 1, c. 4, n. 11

Burmeister, Flourens, Agassiz, Reinke, Driesch... et alii, qui idem profitentur.

82. **Elementa plantarum.** — Plantae sunt corpora composita, quae proinde elementis constant chimica compositione inter se copulatis. Praesupponenda sunt igitur tum quae de compositione chimica tractantur in cosmologia, tum quae de intrinsecis principiis vitae vegetativae paulo superius tetigimus. Quibus iuvat pauca quaedam addere.

Elementa, quibus plantarum organismus constat, praecipue sunt Carbonium, Hydrogenium, Oxygenium, Nitrogenium, quibus accedunt Sulphur, Phosphor, Calcium, Natrium, Magnesium, Ferrum. Haec autem elementa ad aequilibrium tendunt potius *labile* ac *facile solubile*, quum moleculae constent atomis plane numerosis, quae in plantis perveniunt ultra 200 et in animalibus ultra 2000. Hinc sequitur quod ipsae facile dissolvantur et iugiter novae atomi adveniant oportet, in earum, quae corrumpuntur, substitutionem. Quare in toto viventium organismo partes diversae nobis distinguendae veniunt: — *a*) *vivantes*, quae intrinsece constituunt ipsam substantiam viventis, et eae sunt, quae huiusmodi elementis diversis constant, ut valeant integram cellulam constituere cum iis partibus, quas superius descripsimus: — *b*) *mortuae*, et sunt partes cellularum corruptarum ob dissolutionem aequilibrii inter diversas atomos, et quae proinde eo tendunt ut e corpore vivente eiiciantur: — *c*) *partes vivificandae*, et eae sunt, quae per nutritionem extrinsecus adsciscuntur, et quae per vires facultatum vitalium tot mutationibus ac transformationibus subduntur, quousque aptae sunt combinari simul in una molecula, quae constituat cellulam viventem, ut cum ceteris coniungatur in substitutionem cellulae deperditae vel ad incrementum organismi viventis. Recolantur iterum quae de sanguine ac lympha innuimus in n. 46.

Istis breviter delibatis, primo demonstrandum occurrit, quomodo plantis convenit vera vita vegetativa, ut simul explicetur ratio, qua ipsa exerceatur.

Thesis XV.

Plantae vera gaudent vita vegetativa.

83. **Adversarii.** — Inter recentiores nonnulli reperiuntur, qui vitam plantis denegant, ex eo adducti, quod existiment vires physicas et chimicas earumdem peculiari quadam ratione simul dispositas, plene sufficere ad earum operationes explicandas. Unde quidam tantum nomine tenus vitam

eis tribuunt. Nam ut advertit .P Pesch : « vix non omni tempore erant, qui, cum viderent in plantis omnia effici adhibitis viribus physicis sive mechanicis, omnem his vitam denegarent, permittentes nomen vitae ad significandum specialem illum complexum virium mechanicarum, qui in plantis reperiretur » (1).

Alii autem veram in plantis agnoscunt vitam, quam tamen reponunt in simplici dumtaxat cellula, et plantam pluricellularem coloniam cellularum appellant, quos iam refutavimus in thesi VIII.

Quocirca sufficit ostendere in plantis adesse operationes vitae vegetativae, ut deducamus, eas vere gaudere vita vegetativa, inde simul patebit, *qua ratione* ipsae vivant.

83. **Prob.** — Plantae vera gaudent vita vegetativa, si operationes huius vitae proprias exercent, nempe nutritionem, augmentum et generationem. Atqui plantae has operationes exercent: ipsae enim sese nutriunt, augentur ac multiplicantur. Ergo. — *Pr. m.* — Plantae enim tum ex humo per radices, tum ex aliis elementis circumstantibus per insitam sibi virtutem suscipiunt nutrimentum, quod per successivam seriem variarum actionum sibi *assimilant*, inque propriam substantiam convertunt, atque ita nutriuntur, augescunt, ac semina parant in seipsis ad novas generandas propriae speciei plantas. Atqui istae sunt operationes vere vitales et immanentes, uti in th. superiori ostendimus. Et, quamvis germinatio ac foecundatio videantur esse actio transiens, si tamen inspiciantur in ipsa productione germinis et ovuli, et in operatione, quae sequitur post foecundationem, quae manet in ipsa cellula foecundata: et praesertim si inspicitur eius finis, qui est bonum et conservatio speciei, apparebit et ipsa esse vere vitalis. Ergo.

Quare merito S. Augustinus de plantis aiebat: « Hoc genus rerum, quamvis non sentiat, dicitur *vivere*, ac per hoc potest mori... Unde et Apostolus quum de huiusmodi seminibus loquetur: *Tu*, inquit, *quod seminas non vivificatur, nisi moriatur* » (2).

(1) *Psychol.*, L. 1, n. 124.
(2) *De Civ. Dei*, l. II, c. 2.

Praeterea in plantis inveniuntur omnes illae proprietates, quibus viventia a non viventibus secernuntur, quas in n. 30 recensuimus. Atqui ubi omnes illae reperiuntur proprietates, certe habetur vita saltem in infimo gradu, qualis est vita vegetativa. Et hoc eo magis, quia illae proprietates primo spectant ad exercitium vitae vegetativae. Ergo.

84. **Obiicies** I. — Nutritio in plantis habetur per purum motum mechanicum lymphae, quae transvehit humorem ab humo per truncum et ramos. Atqui haec actio non est vitalis. Ergo. — *R. D. M.;* si consideratur ipsum *fieri* nutritionis, *c.;* si spectatur ipsa origo huius motus et ipse terminus eiusdem, *n.* — *Contrad. m.;* ipse motus lymphae non est vitalis, *c.;* vis illa ex qua iste motus originem ducit, et terminus in quem tendit non est vitalis, *n.* — Certum videtur, ut botanici docent, ipsum motum per quem humores transvehuntur in plantis, non esse vitalem, sicut non est pars vitalis lympha, quae inservit ad exercitium huius motus. Sed iste idem motus necessario expostulat causam sui vitalem, quae ipsum primo gignit et dirigit ad bonum totius plantae, ut habeatur assimilatio humoris in naturam plantae. Nam, ut advertebat Trécul in oratione habita in Academia Parisiensi die 28 sept. a. 1857, in vegetalibus praeter motum per quem humor ascendit et descendit, alii quoque habentur, qui sunt vere vitales. Quum enim lympha affert hunc humorem diversis cellulis, istae sibi assimilant elementa, quae eis conveniunt, et alia inutilia reiiciunt; et in hoc proprie stat nutritio (1).

II. Origo motus humoris per plantam satis explicatur per *capillaritatem* et *endosmosim*. Atqui istae non sunt causae vitales. Ergo. — *R. D. M.:*... tamquam per causam instrumentalem quae *quodammodo* adiuvat, *c.;* tamquam per causam principalem et unicam, *n.* — *C. m.* — Et sane quod sola *capillaritas* et *endo-*

(1) Confer *Cosmos* a. VI, vol. 13 oct. 1857, p. 381. — Audias tamen etiam explicationem, quam dat P. Liberatore, *Composto umano*, p. 129. « Il succo elaborato dalla pianta si diffonde e circola per ogni dove, bagnando ogni vaso, ogni fibra, ogni cellula. Questo succo per diventare umore prossimamente nutritivo ha dovuto ricevere di mano in mano nel suo tragitto successivi cambiamenti, fino alla sua ultima preparazione delle foglie, per un'azione analoga a quella che riceve il sangue nei polmoni degli animali.

« Nondimeno anche così preparato, esso non ha che potenzialmente ciascuna parte del vegetale. Qual virtù riduce all'atto questa potenza, facendo che ciascun organo cavi dalla massa comune del detto succo gli elementi a sè consentanei, incorporandoli e trasformandoli nella propria sostanza? E' forse ciò spiegabile per la sola affinità chimica dei minerali o per la porosità inerente ai singoli tessuti? Se così fosse, persino la composizione ternaria o quaternaria degli elementi chimici della molecola vegetale non avrebbe luogo, perchè in ogni tessuto penetrerebbero alla rinfusa particelle difformi e senza scelta ».

smosis non sufficiant ad explicandum ascensum et descensum humoris in plantis, asseritur ab ipsis botanicis, et facile demonstratur. Nam in arboribus maioris molis humor ascendit ad extremitates superiores, ubi vasa capillaria amplius non adsunt ac saepe cum tanta celeritate ascendit, quae nequit ex capillaritate progigni. Item si recurritur ad endosmosim, nequit determinari distinctio inter motum ascendentem et descendentem, qui tam diversos producunt effectus vitales (1). Ergo.

III. Operationes plantarum possunt rite comparari cum operationibus machinarum artificialium. Atqui istae operationes non sunt vitales. Ergo. — *R. D. M.; omnes* operationes, *n.*; quaedam et inspectae tantum superficialiter, *c.* — Nemo est etiam ex vulgo, qui nesciat apprime distinguere operationes plantarum ab operationibus machinarum. Iuvat tamen hoc discrimen breviter adnotare *α*) In machina potest quidem esse multitudo partium, quae instar organorum, seriem quamdam operationum peragant, in finem aliquem communem conspirantium, sed semper principium movens advenit partibus iam in suo esse constitutis, eisque proinde externum est, unde nulla datur actio vere immanens. E converso in planta motor primo constituit eius naturam, unde prorsus internus est, ideoque operatio saltem nutriendi et augescendi est immanens. *β*) Plantae naturaliter et iugiter germinant, seipsas evolvunt, propriumque corpus efformant ex insita sibi activitate; nihil autem eiusmodi occurrit in machinis. *γ*) Plantae suas resarciunt iacturas, seque ipsas et proprio labore conservant, quaeque sibi nocent vel inutilia sunt, excretione expellunt, quae autem necessaria vel utilia sunt per suam virtutem ex humo sibi assumunt; machinae vero nonnisi ab extrinseco moventur, ut effectus tantum sibi extrinsecos gignant. *δ*) Plantae magnam eliciunt varietatem actionum, mechanicarum, physicarum et chimicarum, quibus mirabilem illam assimilationem principiorum gignunt, cuius nullum est exemplum vel in ipsa Chimia anorganica. At machinae prout tales non habent nisi actiones mechanicas. *ε*) Plantae demum gaudent mirabili virtute gignendi alia individua sibi similia secundum immutabilem rationem suae speciei: et huius rei ne vestigium quidem invenitur in machinis. Ergo iterum apparet, theorias *machinalem* ac *physicochimicam* reiiciendas esse.

IV. Vita creaturarum est participatio vitae divinae. Atqui operationes plantarum non sunt participatio vitae divinae. Ergo. — *R. D. M.;* est participatio omnino deficiens et accomodata suis imperfectionibus, *c.;* est participatio univoca, *n.* — *Contrad. m.;* i. e. in vita divina non inveniuntur formaliter operationes plantarum, *c.;* neque inveniuntur eminenter vel virtualiter (2) *n.* — Omnes perfectiones creaturarum sunt participatio perfectionum

(1) Confer iterum *Cosmos*, l. c. et P. Liberatore, l. c. p. 126.
(2) Confer Suarez, *De Anima*, l. 1, cap. 4, n. 21.

primi Entis, a quo omnia procedunt, at non omnes inveniuntur in Eo eodem modo ac in creaturis, ut in theodicea monstrabitur.

85. **Corollaria** I. — *Ergo plantae specifice differunt a mineralibus*, imo constituunt proprium determinatum regnum ab illis distinctum. Ipsae enim vere vivunt: atqui vita gradum activitatis constituit plane superiorem activitati mineralium: sunt ergo in regno superiori mineralibus. Sed quoniam privantur vita sensitiva, ubi mox videbimus, sunt in regno inferiori animalibus. Ergo constituunt regnum omnino sibi proprium, quod *vegetale* appellatur.

II. Ergo actuantur anima vegetativa, quae est una pro unoquoque organismo, qui nempe omnibus partibus gaudet necessariis ad exercitium vitae vegetativae, et ex qua enascitur unitas individua cuiusque plantae. Ipsa praeterea specifice differt a forma substantiali mineralium et animalium.

III. Ergo anima plantarum non est subsistens, sed dependet a materia in essendo et operando, et hoc sensu recte dicitur *forma simplex et materialis*. Quae proinde est etiam virtualiter extensa, imo divisibilis ad divisionem materiae, uti diximus in n. 74, 75.

IV. Haec anima generatur a parentibus in ipsa foecundatione florum, iuxta ea, quae disseruimus in thesi XI: sed hoc peculiari videtur indigere explicatione.

Thesis XVI.

Anima plantarum producitur non per creationem, sed per generationem, vi cuius ipsa educitur e potentia materiae, atque adeo corrumpitur per corruptionem eiusdem materiae.

86. **Status quaest.** — Creatio est productio rei ex nihilo sui et subiecti, ideoque illis entibus convenit, quae producuntur sine concursu subiecti tamquam causae materialis. Quare dicitur anima non produci per creationem, quia indiget concursu huius subiecti. Hoc autem nequit esse nisi illud quod exurgit per foecundationem florum plantae eiusdem speciei. Nimirum materia apta, ex qua educi valeat

anima plantarum, est flos vel semen foecundatum eiusdem plantae, qua foecundatione peracta, materia illius floris vel seminis actuatur anima sibi propria, quae proinde aptis subiecta circumstantiis, suas exerit operationes vitales, quibus vita propria illius floris gignitur. Quare planta, ex qua deciditur flos foecundatus, est causa efficiens productionis animae, quatenus per foecundationem ita transformat materiam huius floris, ut producatur anima ipsius: haec actio plantae dicitur *generatio*.

87. **Plures generationis modi.** — Modi autem, quibus plantae huiusmodi actiones exerunt, plures sunt: α) primo habetur actio *fissipara* (findere, scindere), qua planta quaedam imperfecta in duas scinditur partes, atque adeo ex una generantur duae plantae. Dicimus: *planta quaedam imperfecta*, quia ut advertit Hertwig: « Solum organismi infimi unice per divisionem videntur se posse multiplicare in indefinitum (1); β) alia dicitur *gemmipara* (ex gemma), qua per multiplicationem cellularum gignitur nova individua planta, veluti gemma, quae deinde separatur et vivit ex se sola; γ) tertia tandem et communior est *generatio ovipara*, quae habetur per foecundationem seminis, seu per coniunctionem duarum cellularum, quarum una vocatur *pollen* seu *semen*, altera *ovum*, et ita enascitur cellula embrionalis (ἔμ βρυον -foetus), quae statim vitam sibi propriam vivere incipit, et eo tendit ut proprium sibi organismum efformet (2).

Porro in priori et altero casu, generatio tunc proprie expletur, quando altera planta suam propriam habet vitam distinctam a vita prioris, et tunc perimitur continuitas prioris organismi, et unaquaeque planta vivit cum organismo suo proprio, quem nutrit, perficit et auget. Quare nova anima producitur in illo instanti generationis in quo, soluta continuitate organismi, nova planta suam propriam vitam vivit, et in quo virtute animae prioris plantae, educitur e potentia materiae novae plantae anima eius propria, et habetur terminus generationis.

Item in *generatione ovipara*, ea tunc expletur, quum completur foecundatio seu unio seminis cum ovo. Tunc enim cellula, quae efflorescit, iam suam vivit vitam, ac suo proprio gaudet or-

(1) *Biol. general.* p. 265.

(2) Rem ita explicat P. Wasmann, l. c. p. 90: « All'accrescimento, che è la conseguenza dell'assimilazione, segue naturalmente la moltiplicazione; la cellula tosto che ha raggiunta la grossezza massima, si divide e forma nuove cellule, e se queste rimangono unite a formare un tessuto, allora la divisione della cellula serve all'aumento dell'individuo, se esse all'incontro si liberano dagli organismi più vecchi per formare nuovi individui indipendenti, allora la divisione delle cellule diventa un processo di riproduzione e serve al mantenimento della specie ».

ganismo, a parentum organismo distincto, quem proinde nutrit, perficit, et auget.

Adversarii huius theseos sunt ii omnes, qui non valent sibi comparare conceptum formae substantialis materialis. Ipsi enim vel nullam agnoscunt in plantis animam, sed omnia explicant per vires chimicas et physicas, vel si illam agnoscere coguntur, necessario inferunt eam nonnisi per creationem produci posse, quum concipere nequeant productionem entitatis a materia distinctae per solam materiae transformationem, quam nos in cosmologia iam fuse explanavimus.

88. **Prob. I p.** — *non creatur.* Anima plantarum est forma substantialis, non autem accidentalis. Atqui forma substantialis, quae producitur per creationem, est in se subsistens, seu independens a materia in essendo et operando; anima autem plantarum est prorsus dependens a materia. Ergo. — *Pr. m.* — *quoad 1am p.* — Quod producitur per creationem, fit ex nihilo sui et subiecti, seu fit sine concursu causae materialis. Atqui quod fit sine concursu materiae, existit etiam independenter a materia seu est in se subsistens. Ergo. — *Quoad 2am p.* res clarius adhuc patet. — Haec anima enim nullam operationem habet independenter a materia, sed totam suam activitatem dependenter a materia exercet. Atqui anima, quae totaliter pendet a materia in operando, et in sui productione pendet ab ea. Ergo.

Prob. II p. — Anima plantarum utpote materialis nequit produci nisi dependenter a materia apta et disposita, seu per talem actionem, quae ita materiam transformat ac disponit, ut vi ipsius forma producatur, quae proinde merito dicitur educi e potentia materiae. Atqui generatio, quae habetur sive per foecundationem floris vel seminis, sive per scissionem est actio omnino apta ad transformandam materiam ita ut vi ipsius actionis generativae producatur anima propria illius plantae. Ergo.

Prob. m. — *A posteriori* res facile evincitur. Posita scissione vel floris aut seminis foecundatione, incipiunt operationes vitales propriae, nempe nutritio et augmentatio. Atqui istae supponunt animam iam productam, quae praerequirit materiam apte dispositam. Ergo praecedens foecundatio disposuit materiam ad producendam animam.

A *priori* etiam suaderi potest. Anima plantarum non

excedit proportionem materiae, sed superior est viribus chimicis et mechanicis. Atqui ipsa foecundatio floris non excedit proportionem materiae, sed superior est viribus chimicis et mechanicis. Per eam enim virtus propria plantae generantis influit et agit in semine, ut effectum producat sibi similem. Atqui illa virtus utpote vitalis iam superat vires mechanicas et chimicas. Ergo.

Prob. III p. — Res ita desinit esse sicut incipit. Atqui anima plantarum incipit esse dependenter a materia. Ergo desinit esse dependenter ab ea seu per corruptionem materiae.

Et sane *fieri*, *esse* et *corrumpi* cuiusque rei sibi omnino respondent. Nam sicut fieri est via ad esse, ita corrumpi est via ad *non esse* : quocirca res ita est, sicut fit, ac proinde ita corrumpitur, sicut est, nempe quando fit dependenter a materia, existit etiam dependenter, atque adeo corrumpitur dependenter a materia. Atqui corrumpi dependenter a materia perinde est ac corrumpi ad corruptionem materiae. Ergo.

89. **Dices:** I. Si virtus generantis sufficeret ad generandam animam plantarum, sufficeret etiam ad generandam animam humanam. Atqui falsum consequens. Ergo. — *R. N. M.;* vel si placet, *D.;* si etiam anima humana esset tantum formaliter vegetativa, *c.;* si vero est formaliter intellectiva, *n.* — *C. m.* — Quare discrimen in eo est, quod anima formaliter tantum vegetativa, quum non superexcedat capacitatem materiae, potest a causa naturali produci cum concursu materiae, quatenus ipsa valet ita transformare materiam, ut per hanc actionem transformativam, materia actuetur a nova forma simili illi, quae transformat materiam. Anima autem humana, quum sit independens a materia, nullo modo produci potest per transmutationem materiae.

II. Anima plantarum est simplex. Atqui simplex produci nequit cum concursu materiae. Ergo. — *R. D. M.;* simplex in se subsistens, *n.;* dependens a materia, *c.* — *Contrad. m.* — Profecto si argumentum aliquid evinceret, sequeretur creaturas nihil posse producere; non certe materiam, quia producta est per creationem, neque entia spiritualia quae subsistunt independenter a materia, eandem ob rationem. Ergo si neque potest producere ens simplex materiale, nihil producendum remanet. Et revera creatura potest transformare materiam. Porro transformatio est transitus ex una in aliam formam seu ex una in aliam

perfectionem; ergo quando ipsa habetur, necessario aliqua forma vel nova perfectio adveniat oportet priori recedente. Quare qui hanc formae productionem negat, veram creaturarum activitatem denegat.

90. **Scholion.** — *De tempore ac modo quo anima producitur.* — Praeter ea quae in thesi XI innuimus hac de re, iuvat quaedam alia addere.

1° Certum est tum *pollen*, seu semen masculinum, tum *ovum* inter cellulas esse recensenda, quae *germinales* vocantur, ut distinguantur, ab iis quae *somaticae* dicuntur. Quare ipsae quousque manent coniunctae cum organismo a quo procedunt, vivunt eadem vita, ac proinde actuantur eadem anima, qua organismus cuiusque informatur.

2° In actu foecundationis seu unionis pollinis cum ovo, utraque cellula ita deciditur ab organismo proprio, ut actio unitiva utriusque seu ipsa foecundatio fiat virtute animae parentum, qua utraque adhuc informatur. Foecundatione autem peracta, ovum foecundatum evadit nova cellula, ab organismo parentum decisa, quae propriam habet vitam propriamque animam. Item in generatione *fissipara* et *ovipara*, quum cellula generata scinditur a trunco, ac propria gaudet vita, propriam quoque habet animam, quae in illo instanti producitur.

3° *Quaeritur*: quomodo producta est haec anima?

Duplex datur responsio. *a*) Quidam putant: « semen masculinum et ovum in plantis *iam habere in se principium vitae*, ut partes animae provenientes a patre et matre, quae in foecundatione sese uniunt ad unam integram animam novae plantae constituendam ». Haec responsio non videtur admitti posse, utpote contraria tum communi Scholasticorum doctrinae, tum principiis communibus, quae circa materiam primam et formam substantialem Scholastici tuentur.

b) Alia responsio omnibus Scholasticis communis potius probanda videtur, quae nempe asserit, quod in ipso momento foecundationis, quum cellula foecundata desinit vivere vita parentum et incipit vivere vita propria, pariter generatur nova anima propria illius cellulae, et habetur vera illius materiae transformatio ex anima priori ad novam quae producitur.

Thesis XVII.

Peracta foecundatione, habetur vera transformatio, qua cellula foecundata desinit informari anima parentum et nova anima actuatur, quae producitur vi ipsius actionis foecundationis.

91. **Probatur.** — Peracta foecundatione, gignitur nova cellula individua, quae propria ac individua gaudet vita, distincta a vita parentum, ideoque habetur proprium ac novum principium operationum vitalium distinctum a principio vitali parentum. Atqui hoc novum principium nequit esse pars principii vitalis parentum ab eis decisa, sed esse debet nova anima producta vi actionis foecundationis, ita ut in termino foecundationis materia cellulae foecundatae desinat informari anima parentum et nova actuetur anima, atque adeo corruptio unius sit generatio alterius. Ergo.

Prob. m. *quoad* f^{am} *p.* — Anima enim est principium substantiale simplex in se unum et constituens unitatem cuiusque individui. Atqui intelligi nequit, quomodo ipsum possit constare ex duobus principiis simplicibus partialibus, quae a parentibus deciduntur. Haec enim essent duo actus substantiales. Sed duo actus substantiales nunquam coniungi possunt, ut unus actus substantialis evadant in eo ordine in quo sunt actus. Dum e converso duae partes materiales cellulae foecundatae, utpote potentiae, plane coniungi possunt, ut ab uno actu substantiali informentur, et ita unum constituant individuum substantiale. Ergo.

Praeterea iuxta hanc sententiam generatio non esset amplius productio novi individui, sed mera divisio prioris individui in duo vel plura; seu, ut ait S. Th. « generatio viventis non esset generatio, sed decisio quaedam, sicut pars ligni separatur a ligno, ut sit actu lignum » (1). Atqui huiusmodi conceptus generationis nullo modo admitti posse videtur. Nam *a*) hinc sequeretur, creaturam nunquam producere ullam formam substantialem saltem in viventibus (2).

(1) *De Potent.*, q. 3, *a.* 12.

(2) Dicimus *saltem in viventibus*, quia adversarii possent ipsam adhuc agnoscere in corporibus anorganicis mixtis seu in combinationibus chimicis.

Atqui absonum videtur adstruere formam substantialem, quae est principium activitatis, et numquam producere valeat effectum sibi similem (1). — Ideoque β) tota activitas creaturarum unice restringeretur ad mutationes accidentales. Imo quoniam etiam istis eadem sententia applicanda esset, sequeretur, creaturas nullam entitatem producere, sed earum activitatem esse mere mechanicam, quae reducitur ad dividendas vel iungendas entitates iam existentes. Atqui haec conclusio pugnat cum principiis de activitate creaturarum, de materia et forma, ac iterum in lucem revocat atomismum mechanicum. Ergo.

Pr. m. *quoad* 2^{am} *p.* — Omnis creatura agit transmutando materiam, ita ut in termino transmutationis haec desinat actuari a priori forma et incipiat existere sub nova, quae producitur per illam actionem. Et tunc illa productio vocatur *generatio* novae formae, et actio praecedens appellatur *alteratio*. Quapropter, quum alteratio ita transmutat materiam, ut eam disponat ad hoc, ut necessario exigat novam formam substantialem, haec producitur per virtutem formae substantialis causae efficientis, et ita in eodem instanti cessat alteratio, habetur generatio novae formae et corruptio prioris, quae illam materiam actuabat. Atqui in generatione viventium haec alteratio habetur per foecundationem, vi cuius materia cellulae foecundatae ita transmutatur, ut in termino foecundationis exigat animam propriam quae proinde producitur, corruptis animabus parentum. Ergo.

Brevius: Tunc revera generatur nova forma substantialis, quum habetur novum individuum, cuius materia nequit amplius actuari forma praecedenti, sed necessario novam exigit. Atqui peracta foecundatione habetur novum in-

Sed reapse qui eam denegant in viventibus, neque eam agnoscunt vel agnoscere possunt in anorganicis.

(1) Non valet instantia, quae erui posset ex anima humana. Ipsa enim utpote spiritualis nequit produci per eductionem e potentia materiae, ideoque nequit esse effectus alterius animae humanae, quippe quae non valet producere aliquid sine concursu materiae. Attamen ipsa potest saltem materiam disponere, quae *exigat* ut illa a Deo, creetur; et hac ratione homo revera generat hominem, uti suo loco monstrabitur.

dividuum vivens, cuius materia, a parentibus decisa, nequit amplius actuari a forma antecedenti; quum secus deberet actuari a duabus partibus animarum parentum, quae in unam animam coalescerent, quod repugnare videtur. Ergo necessario exigit novam formam substantialem, quae tunc generatur vi illius foecundationis.

Corollarium. — Ergo etiam generatio fissipara et gemmipara dicenda est peragi non per simplicem divisionem animae prioris plantae, sed per generationem novae animae, quae producitur in illo instanti, in quo nova planta scinditur, eodem modo ac accidit in termino foecundationis. Nam quamvis absolute loquendo illud non repugnaret in hisce generationibus, quum non habeatur eadem omnino ratio, si inspicitur tamen communis ratio generationis idem dicendum videtur. Nam discrimen inter has diversas generationes respicit tantum ea, quae praerequiruntur tamquam dispositiones ad novam generationem. Atqui iam probavimus, positis dispositionibus requisitis, in ipso instanti generationis novam produci animam, et ita novum generari individuum. Ergo idem valet in omni generatione.

92. **Dices** I: In generatione fissipara et gemmipara nova anima est pars animae parentum. Ergo etiam in ovipara. — *R. N. Ant.* Nam, ut liquet ex iis quae diximus, nimis gratuito asseritur quod proponitur in antecedenti. Haec enim quaestio minime per experientiam solvenda est, sed per analysim, ostendendo necessitatem generationis novae formae, quae deducenda est ex principiis certis de activitate creaturarum et de materia ac forma. Unde quidam in hoc decepti esse videntur, quod primo inspexerunt hanc generationem: et quoniam adverterunt eam materialiter spectatam perfici per solam materiae divisionem, deduxerunt (gratuito omnino) ibi nullam novam animam generari, sed priorem dividi ad divisionem materiae, et ratione analogiae asseruerunt, in generatione etiam ovipara idem contingere. Nos e contrario prius hanc examini subiecimus, et non gratuito sed demonstrando ostendimus, ibi non posse haberi hanc animae divisionem, deinde ratione analogiae collegimus, idem asserendum esse in omni generatione. Profecto nostra agendi ratio rationabilior apparet.

II. Anima plantarum est per accidens divisibilis. Atqui ista plane dividi potest in generatione, ita ut pars eius evadat anima generati. Ergo. — *R. C. M.;* et *D. m.;* absolute loquendo forte non repugnat, *c.;* inspectis etiam principiis de materia et forma

et de activitate creaturae, *n.* Ultro concedimus absolute loquendo forte non repugnare, quod saltem in generatione fissipara et gemmipara hoc contingere possit. Addimus tamen hoc admitti non posse, tum ob analogiam cum generatione ovipara, in qua certe repugnat; tum quia secus generatio novae plantae nil differret a decisione alicuius rami a suo trunco. Profecto tota actio generativa in omni generatione non modo ovipara, sed etiam fissipara et gemmipara eo tendit, ut transformet ac disponat materiam generati, quae formam seu animam sibi propriam vindicet, qua novum constituitur individuum. Iamvero si in termino generationis non produceretur nova anima, sed tantum pars animae parentum recideretur, generatio non esset nova productio, sed mera ac mechanica separatio alicuius partis viventis.

III. Ovum et pollen iam gaudebant vita et organismo ante coniunctionem, et ita pergunt vivere post coniunctionem. Atqui antea informabantur anima parentum. Ergo et postea. — *R. D. M.;...* pergunt vivere eodem modo seu in bonum eiusdem individui, *n.;* diverso modo seu in bonum novi ac distincti individui, *c.* — *C. m.;* et *D. C.* eodem modo. Et revera existentia et identitas animae in aliqua materia a nobis non dignoscitur nisi per operationes; quae, quum omnes in unum eundemque finem dirigantur, ab uno eodemque principio formali seu anima dimanant, quo etiam unitas individui constituitur. Quare ovum et pollen ante foecundationem adhuc vivunt per operationes proprias parentum, quae in suorum finem et bonum diriguntur. Peracta foecundatione, operationes habent sibi proprias, quae diriguntur in bonum novi individui, quod proinde dicitur generatum a parentibus. Ergo novum etiam requiritur principium formale proprium cellulae foecundatae, secus non explicatur, cur ipsae nunc tendant in bonum novi individui, seu novi organismi distincti a priori. Hoc multo clarius patet in generatione animalium, in quibus cellula foecundata adhuc manet in sinu matris, uti suo loco videbimus (1).

93. **Scholion. De phaenomenis haereditatis.** — Alia difficultas contra nostram sententiam desumi posset ex phaenomenis haereditatis, in quibus praestat aliquantulum adhuc immorari, ut eorum explicatio clarius pateat (2).

(1) Hinc liquet inutile esse enumerare diversos modos, quibus generatio completur, in omnibus enim eo semper devenitur ut in instanti generationis, quum adest individuum novum propria gaudens vita, novum quoque vitae principium habeatur.

(2) Reinke quoad hanc quaestionem, ait, rationem, qua contingit phaenomenon transmissionis haereditariae, esse unum ex primariis problematibus, et ex maximis aenigmatibus. *Welt als Tat,* p. 388.

Haec quaestio valet non modo in plantis sed etiam in animalibus nec

Iamvero in generatione individuorum non modo communicantur eaedem species ac proprietates specificae imo etiam proprietates stirpium, sed saepe aliae quoque proprietates, quae potius individuales sunt, e. g. magnitudo, color et quidam defectus alicuius organi. Transmissio perfectionum speciei et stirpium, plane explicatur per communicationem eiusdem formae specificae eiusdemque organismi. At quaestio manet de transmissione perfectionum individualium, quae appellatur *phaenomenon haereditatis*.

Profecto qui putant in generatione haberi decisionem non modo seminis sed etiam partis animae parentum, quae proinde manet in generato, hanc quaestionem facilius solvunt. At nullo modo videtur ad illam opinionem recurrendum, ut haec quaestio solvatur, quum hoc phaenomenon plane explicetur ex eo, quod cellula foecundata constat partibus materiae decisis a parentibus.

Et *primo* certum est, ut quidam adversarii etiam concedunt, hoc phaenomenon minime repeti posse ex *solo principio formali vitae*, uti iactitant fautores *unitatum biologicarum*, qui tantum per communicationem *istarum unitatum* in planta generata illud explicant. Tum quia haec hypothesis prorsus gratuita est et merito reiecta a multis recentioribus biologis (1); tum quia proprietates illae praecipue se tenent ex parte materiae et quantitatis. Et si forte quaedam respiciant etiam activitatem, quae est ex forma, puta affinitatem chimicam, eius tamen diversa proprietas plane explicatur per influxum materiae, a qua dependet intrinsece exercitium illius activitatis. Ergo.

Secundo propter eandem rationem necesse non est, illud repetere ex communicatione partis animae parentum; cum

non in homine, in quo quandoque transmitti videntur etiam proprietates morales, iuxta notum dictum Horatii « fortes creantur fortibus », quamvis contra Dantes loquendo de proprietatibus moralibus dicat (*Purg.*, c. VII, v. 121):

« Rade volte risurge per li rami
« L'umana probitate ».

Sed transmissa quaestione de proprietatibus moralibus, quoad physicas eadem videtur esse responsio pro omnibus viventibus.

(1) Cfr. si placet P. Wasmann, l. c. 236-238, ubi has hypotheses refert et expendit.

non communicentur proprietates, quae necessario se tenent ex parte formae.

Quare *tertio* ita arguimus. Phaenomenon haereditatis respicit proprietates individuales, quae vel se tenent tantum ex parte materiae, vel respiciunt aliquam determinationem activitatis dependentis a materia. Atqui huiusmodi proprietates plane explicantur per communicationem materiae seminalis a parentibus decisae. Ergo. — *Pr. m.* — Quoad proprietates pure materiales res patet, quoad alias etiam facile evincitur, si consideratur, eas non exhibere novam activitatem sed tantum quandam modificationem eiusdem activitatis specificae, ratione maioris vel minoris intensitatis et huiusmodi. Atqui talis modificatio omnino oriri potest ex eo, quod forma actuat materiam diversimode dispositam, quae dispositio communicatur a parentibus cum materia cellulae foecundatae. Ergo.

Praeterea nostra explicatio magis adhuc confirmatur a recentioribus biologis, qui hoc phaenomenon explicant per *theoriam chromosomatum* quae sunt in nucleo cellularum. Ipse enim constat *massa aliqua solidiori* formam habente alicuius fili convoluti, cuius praecipua pars vocatur *chromatin* (χρῶμα, quia colorari potest); et *massa magis fluida*, quae illam circumdat et dicitur *plasma* et etiam *achromatin*. Iamvero cum cellula dividitur, massa prior in plures minores partes se resolvit, quasi in tot granula, quae vocantur *chromosomata* (χρῶμα σῶμα), quorum numerus est fixus pro unaquaque specie plantae et bruti. Quare in foecundatione chromosomata ovi et pollinis bipartiuntur et constituunt duos *pronucleos*, quorum unus coniungitur cum pronucleo alterius, et ita constituitur cellula embryonalis, quae proinde constat dimidio numero chromosomatum cellularum parentum. Hinc biologi merito inferunt, parentes una cum dimidia parte chromosomatum propriae cellulae germinalis transmittere suas quoque proprietates individuales. Illa enim, quum antea actuabantur anima propria parentum, iam subiiciebantur eius activitati: et induebant dispositiones illi proprias et accomodatas exercitio illius activitatis. Dein peracta foecundatione illa servant eandem dispositio-

nem, atque adeo educitur anima proportionata huic, et ita planta generata eandem servat parentum proprietatem. Ita explicatur cur hoc phaenomenon se tenet sive ex parte patris sive ex parte matris, prout chromosomata alterutrius peculiarem sibi vindicant proprietatem, quam generato communicare valent (1).

Dices. — Iuxta hanc explicationem phaenomenon haereditatis semper contingere deberet. Atqui non semper contingit. Ergo. — *R. D. M.*; si nihil intercederet quod impedimentum afferret, *c.*, si impedimentum accidere potest, *n.* — Et revera hoc impedimentum oriri potest multis ex causis extrinsecis, in quibus cellula foecundata evolvitur ac nutritur, et quandoque etiam ex coniunctione cum chromosomatibus cellulae alterius parentis. Imo addimus, quod si ex sola materia repetitur hoc phaenomenon, melius adhuc intelligitur, cur ipsum non semper locum habeat in aliis generationibus.

(1) Rem ita explicat idem P. Wasmann: « Tutti i moderni istologi si accordano in ciò: che nella riduzione del numero dei cromosomi delle cellule seminali mature, nel ripristinamento del numero primitivo dei cromosomi del pronucleo maschile e femminile, come nella divisione proporzionale dei cromosomi, derivati dall'organismo paterno e da quello materno, divisione operata nel processo di segmentazione della cellula-uovo fecondata, si hanno fenomeni i quali sono di grande importanza per regolare la produzione e ad essi noi dobbiamo, insieme con E. B. Wilson e con I. Reinke, attribuire un'importanza eminentemente finalistica e teleologica... Come essa avvenga e quale importanza abbia è molto discusso; anzi alcuni studiosi, come Y. Delage (*Les théories de fécondation*, 131) combattono apertamente la necessità e l'utilità di una tale riduzione quantitativa della cromatina. Nonostante tutte queste ed altre difficoltà e considerazioni noi non possiamo in realtà non riconoscere una grande importanza teleologica al fatto che prima della fecondazione normale il numero dei cromosomi delle cellule seminali viene regolarmente diminuito di metà e che poscia mediante la fecondazione è nuovamente ristabilito il numero normale....

« Per mezzo della riduzione dei numeri di cromosomi nei due pronuclei, per la fusione dei due nuclei nel processo della fecondazione e per la regolare partizione di un egual numero di cromosomi paterni e materni nei nuclei figli della cellula-uovo, compiuta allorchè essa sta dividendosi, la trasmissione ai figli dei caratteri paterni viene effettuata in un modo semplicissimo e sicuro... Questo è dimostrabile anche soltanto da ciò che appunto i nuclei d'ambedue le cellule seminali e i cromosomi stessi di questi nuclei sono i principali mezzi materiali di trasmissione dei caratteri ereditari, come già O. Hertwig aveva dimostrato nel 1898. Anche Boveri su questo punto si esprime molto esattamente (*Das Problem der Befruchtung*)... Noi dobbiamo riporre in questi elementi nucleari paterni e materni le forze direttive che nel nuovo organismo imprimono, insieme con i contrassegni della specie, i caratteri individuali combinati di ambedue i genitori. Questa fusione della sostanza nucleare sarebbe dunque, come mezzo di trasmissione di caratteri paterni, lo scopo di tutti gli accoppiamenti andando dagli infusori sino all'uomo » (p. 206-210).

94 **De Carentia sensationis in plantis.** — Sensatio, uti innuimus n. 32, est superior vitae gradus, quo sentiens percipit res materiales a quibus afficitur. Non defuerunt, qui ipsum plantis vindicare adnisi sunt, quorum opinio a S. Augustino vocatur: « impietas rusticana magisque lignea, quam sint ipsae arbores, quibus patrocinium praebet: quae dolere vitem, quando uva decerpitur, et non solum sentire ista cum caeduntur, sed etiam videre atque audire credit » (1). Inter antiquiores praecipue recensentur Empedocles, Plato, Manichaei: recentiori autem aetate plures adhuc adnumerantur e. g. Richerand, Bichat, Robinet. Isti decepti videntur potius a falso conceptu, quem de cognitione gerebant, quam a veris argumentis. Sed alii recentiores in eandem concessere sententiam, ob falsam theoriam, circa animationem, quam ipsi omnibus rebus tribuunt, et huiusmodi esse autumant, ut omne essentiale discrimen inter diversa rerum genera ac species e medio tollant, unde *pampsychistae* dicti sunt. Hoc commentum praesertim tuiti sunt Fechner, Paulsen, quibus accedunt Büchner, Wundt, Haeckel, Haberlandt... et alii.

Nos vero cum Aristotele et omnibus scholasticis oppositam defendimus sententiam.

Thesis XVIII.

In plantis nulla reperitur vita sensitiva.

95. **Probatur.** — Et sane ibi nulla est vita sensitiva, ubi deest organismus aptus ad eam exercendam, et omnis operatio propria huius vitae. Atqui in plantis utrumque deest. Ergo. — *Pr. m.* Et primo certum est, in plantis non haberi vitam illam sensitivam, quae in animalibus deprehenditur, cum desint organa ei respondentia, nec habeantur phaenomena propria huius vitae. — Secundo autem dici nequit, ipsam vitam vegetativam secum ferre aliquam cognitionem similem vitae sensitivae, quamvis sine conscientia, sine dolore ac motu. Nam huiusmodi vita esset demonstranda non autem simpliciter asserenda, et iure meritoque denegatur, quousque solidis ac certis argumentis demonstrata non sit. Atqui hucusque nullum argumentum afferri potuit ad ipsam suadendam. Merito igitur reiicitur.

(1) *De quantitate animae*, c. 33, n. 71.

Praeterea in nobis certe vita vegetativa omni cognitione caret, quum nos ignoremus processum huius vitae, quae in nobis accidit; nec nostra conscientia nobis refert existentiam huius cognitionis. Ergo multo minus ipsa admitti potest in plantis, in quibus vita vegetativa est valde imperfectior ac simplicior.

Tandem omnia facta, quae deprehenduntur, nullum praeseferunt vestigium cognitionis. Et sensus illi *doloris*, *desiderii*, *selectionis* terrae utilioris prae alia... recte explicantur per naturalem inclinationem assumendi, quod suae naturae est utile, ac vitandi quod est noxium, ut accidit in ipsa nutritione. Atqui haec nequeunt reduci ad cognitionem. Ergo. — S. Th. 1) affert hanc rationem ad ostendendum, cur plantae non sentiant. « Causa quare non sentiunt est, quia non est in eis illa proportio, quae requiritur ad sentiendum. Non enim habent medietatem secundum complexionem inter tangibilia, quae requiritur ad organum tactus, sine quo nullus sensus esse potest : et ideo non habent in se huiusmodi principium, quod potest recipere species sine materia, scilicet sensum. Sed accidit eis pati cum materia scil. secundum materialem transmutationem ».

96. **Dices** I : Omnes agnoscunt dari plantas sensitivas. Atqui saltem istae vita sensitiva gaudere debent. Ergo. — *R. D. M.*:... ratione quorumdam motuum qui similitudinem praeseferunt cum motibus vitae sensitivae, *c.;* quatenus reapse sentiunt, *n.* — *Contrad. m.*... Huiusmodi sunt *Mimosa pudica*, quae contrahit folia, si tangantur, *Dronaea muscipula*, et *Drosera*, quae item comprimunt folia, si tangantur, et hoc pacto capiunt insecta, occidunt ac manducant. Profecto hos motus esse mere mechanicos, nemo est, qui non videat.

Item motus quidam localis, qui in aliis deprehenduntur plantis, faciliter explicantur per actiones attractionis ac repulsionis entium externorum, vel etiam ipsius protoplasmatis. Nam ut advertit Reinke (2) : « Protoplasma vegetativum habet in se, etsi solum imperfecte, proprietates musculi et nervi animalis. Non solum in firmis suis partibus est contractibile et irritabile, sed ipsum potest etiam conducere irritationes. Irritatio potest conduci ita ut motus non fiat in eo loco, qui irritatur, sed loco

(1) In 2, *De Anima*, lect. 24.
(2) *Philos. bot.*, p. 87.

ab eo plus minusve distanti ». Et hinc exurgit transitus plantae a suo loco in alium.

II. (cum Fechner) (1). Tota structura quae inest in plantis, non est minus apta quam in brutis ad vitam sensitivam. Ergo. — *R. D. A.;...* non est minus apta ut dicatur actu habere vitam sensitivam, *n.;* ut dicatur non repugnare in ea vitam sensitivam, quam proinde potuisset habere, *c.* — Concedimus nullam esse in plantis repugnantiam ad habendam vitam sensitivam, at quaestio est, utrum eam habeat necne, quod a posteriori solvendum est. Et quoniam vidimus eam de facto non adesse, iure eam denegamus.

III. Planta similem habet organismum ac brutum, quamvis careat nervis. Atqui isti necessarii non sunt ad vitam sensitivam. Ergo. — *R. D. M.;* etiam ornatum facultatibus sensitivis, *n.;* sine istis, *c.* — *transeat minor...* Non sufficit inspicere organismum, qui tamen nullo modo est plene similis in plantis et in brutis. Sed primo et per se inspiciendae sunt operationes, ex quibus statui valet propria vitae ratio quae eis inest (cfr. n. 33). Iamvero vidimus has operationes vitae sensitivae prorsus desiderari in plantis, nec ipse Fechner ausus est eas demonstrare. Unde etsi aliqua similitudo in organismo reperiatur, ex defectu illarum operationum plane deducitur defectus potentiarum sensitivarum, ac proinde etiam dissimilitudo organismi.

IV. Inter regnum vegetale et animale est aliquis nexus. Atqui iste perrumpitur, si nulla datur vita sensitiva in plantis. Ergo. — *R. D. M.;...* nexus qui est inter maximum perfectionis in gradu inferiori et minimum in gradu superiori, *c.;* qui est in diversitate eiusdem gradus perfectionis, *n.* — *Contrad. m.* — Porro haec difficultas vel iam supponit theoriam transformationis et continuitatis rerum, vel nihil evincit. Siquidem nullum alium nexum agnoscimus inter diversa regna nisi illum, quo maxima ordinis imperfectioris attingunt minima ordinis perfectioris, hinc fit quod quandoque dubium oriatur de istis, utrum ad unum vel alterum ordinem pertineant. At certum semper manet illos ordines esse inter se distinctos, ac cetera viventia clare exhibere suum proprium ordinem in quo reperiuntur. Et ita reliqua etiam argumenta eiusdem auctoris refutata manent, de quibus ipse Reinke (2) ita iudicat: « Legi attente « Nanna » Fechner; sed agnoscens multas pulchras animadversiones in hoc libro contentas, ne *umbram quidem probationis* inveni, quod plantae revera animam (i. e. sensitivam vel sensationem) habeant ».

(1) Ipse iure habetur ut pater psychophysicae, et integrum scripsit librum ad vitam sensitivam plantis vindicandam, cui titulum fecit: « Nanna, de vita plantarum », omnia argumenta ad sex reduxit in c. 17, quae revera non sunt nisi simplices analogiae, vel rationes convenientiae, nullo innixae solido argumento.

(2) *Philos. bot.*, p. 83.

97. **Conclusio.** — Sententia, quam nuper reiecimus, forte nullum habuisset patronum, nisi fautores extitissent transformismi monistici et panpsychismi, qui ad melius suadendam suam theoriam conantur eosdem vitae gradus vindicare omnibus; imo eandem ob rationem Schopenhauer et Hartmann adnituntur etiam vitam voluntatis ceteris tribuere, ut innuimus (n. 21-23). Unde Ed. Hartmann (1) asserit nostram sententiam esse sententiam « religionis iudaicae et christianae, modernam autem philosophiam habere tendentiam vindicandi etiam plantis sensationem ». Quare ipsi hanc sententiam potius a priori quam a posteriori defendunt. Unde concludere licet : qui plantarum vitam examini subiiciunt animo ab omni praeiudicio vacuo, maiorem habere confirmationem eorum omnium, quae de vita in genere ac de propria vitae vegetativae ratione iam disseruimus.

Placuit tamen aliquid addere de modo, quo anima vegetativa oritur et corrumpitur, ut intime ac semper profundius eius natura pateretur, cum *fieri*, *esse et corrumpi* invicem proportionentur. Et vidimus eam non creari sed generari et corrumpi dependenter a materia, ita ut cum materia, peracta foecundatione vel alia ratione, evadat apte disposita, ut animam sibi propriam vindicet, haec educatur e potentia illius materiae vi animae parentum, quae materiam illam i. e. cellulam germinalem disponit Et quoniam haec cellula est pars excisa ex organismo parentum, per eam etiam explicátur phaenomenon haereditatis.

Tandem ostendimus in plantis nullam adesse vitam sensitivam, ideoque eas esse formaliter et unice vegetativas, et constituere primum regnum entium viventium, quod vegetale nuncupatur.

ARTICULUS IV.

DE ORIGINE SEU GENERATIONE VITAE.

98. **Praenotiones historicae.** — Explorata iam natura ipsorum principiorum vitae, nunc gressum faciamus oportet ad eorundem originem investigandam. Nimirum supposita materiae existentia (quae alibi probatur a Deo creata) inquirendum occurrit, quomodo ex ea oriantur ac generentur viventia.

Iam age, ut a veteribus incipiamus, ratum erat apud ipsos principium Aristot. : « Viventia omnia videntur ex semine oriri, semen vero ex parentibus » (1). Nihilominus ipsi advertebant, quaedam animalia imperfectiora e. g. insecta, et vermicula saepe

(1) *Philos. Inconscii*, 20, II, 65.

(1) Δοκέι δε παντὰ γίγνεσθαι έκ σπέρματος,τὸ δε σπέρμα ἐκ τῶν γεννώντων. *De Gener.*, L. I, c. 19.

in lucem prodire, quin appareret huiusmodi semen. Unde facile putarunt ista animalia, utpote imperfectiora, oriri posse etiam sine semine. Ita idem Arist. aiebat: « Animalia quaedam per formae cognationem ab aliis generari, alia vero *sponte non a congeneribus*, quorum aliqua quidem ex putrida, vel terra, vel plantis, quod insectorum magnae contingit parti... » (1). Idem censuerunt S. August. Avicenna et S. Th., qui inter alia haec docet (2): « Avicenna posuit omnia animalia posse generari ex aliquali elementorum commixtione absque semine, etiam per viam naturae. Sed hoc videtur inconveniens; quia natura determinatis mediis procedit ad suos effectus: unde illa quae naturaliter generantur ex semine, non possunt naturaliter sine semine generari. Et ideo dicendum est aliter, quod in naturali generatione animalium principium activum est virtus formativa quae est in semine, in eis quae ex semine generantur: loco cuius virtutis in iis, quae ex putrefactione generantur, est virtus coelestis corporis ». Idem etiam senserunt plerique scholastici.

Sed quum processu temporis ob accuratiora experimenta incoepit demonstrari pluribus in casibus existentia germinum, ex quibus huiusmodi animalia gignerentur, quidam illam sententiam abiicere coeperunt. Ita P. Lossada. « Mihi quidem necessaria videtur virtus seminis pro cuiuslibet generatione viventis; non quod improbem recursum ad causas universales, etiam ad primam, pro influxu principali praestando; sed quia universalis causa supponit exigentiam causae particularis materiam disponentis, aut determinantis, haec nequit esse alia, quam virtus seminalis » (3).

99. Sed iam antea, saec XVII labente, primus recensetur Franciscus Redi m. 1644 medicus florentinus, qui quum didicerit a suo magistro Harvey, medico anglo, omnes plantas et animalia oriri ex germine, conatus est hoc confirmare etiam quoad animalia, quae ex putrefactione e. g. carnis oriebantur, et ostendit ea oriri ex ovulis muscarum, quae nutriebantur carne, quae putrefiebat, quare eam ita involvebat ut arcerentur huiusmodi ovula, et tunc caro intacta manebat, nec ulla animalia exoriebantur. Hoc idem confirmavit Swammerdam (1637-1680) medicus in Amsterdam, et clarius adhuc postea sacerdos Spallanzani (1729-1799), qui contra adversarios, conantes novis argumentis confirmare generationem insectorum ex materia, nova etiam experimenta obtulit, et ita triumphum egit (4). Idem multi alii scientiarum cultores in Gallia et in Germania professi sunt.

At medio saeculo XIX a. 1858 Pouchet, zoologiae professor

(1) *De anim. histor.* 1, 5 c. 1.
(2) I p., q. 71, ad 1m. Cfr. etiam I p., q. 72, a. un., ad 5m, et q. 31, a. 2 ad 2m.
(3) *Cursus phil.*, tom 7, de gen. et corrupt., D. I, c. 2, n. 26,27.
(4) Confer hac de re Denys Cochin, *L'Evolution et la vie.*

in Rouen, quaestionem iterum reagitavit, asserens se deprehendisse, orta esse animalia infusoria in quodam liquido, ex quo conatus erat expellere omnia germina; cum eo concinerunt Mousset et Joly. Multi ex adverso ex Academia Scientiarum Parisiensi oppositum ostenderunt, praesertim *Claudius Bernard*, *De Quatrefages*, *Payen;* sed qui palmam arripuit in hac controversia, fuit Pasteur. Academici enim concursum indixerunt, praemium statuendo bis mille ducentorum francorum ei, qui controversiam dirimeret, suam sententiam defendendo contra impetus adversariorum, et Pasteur ipsum consecutus est a. 1865, iudicium ferentibus Flourens, Dumas, Brognard, Milne-Edwards et Balard, qui solutionem retulit (1). De hac controversia loquens Dupuy minister Instr. Publicae in Univers. Sorboniensi in oratione habita a. 1892 die 27 dec., haec habet: « Nequit faciliter intelligi ardor huius controversiae, cuius conclusio fuit, quod antiqua hypothesis, *chymerica illusio generationis spontaneae*, superata ab evidentia oppositae, profligata sub pondere argumentorum experimentalium, locum prorsus cessit sententiae de germinibus, quae in posterum manebit » (2). Deinde eandem contra novos impugnatores confirmarunt tum idem Pasteur, tum Tyndall, quibus accesserunt, praeter alios antea citatos, Berthelot, Chauffard, Gratiolet, Huxley, Ehrenberg, Virchow, Liebig et alii (3). Nihilominus opinio generationis spontaneae non fuit penitus derelicta, et multos adhuc habuit patronos, quos inter memoratu digni sunt Figuier, Trécul, Mantegazza, Moleschott, Büchner ac fautores monismi et praesertim transformismi, duce Hernesto Häckel, qui eam tuentur potius *a priori*, ob hanc praecipue rationem,, ut excludant creationem. Et adstruunt *generationem spontaneam* sine ullo concursu causae superioris.

Ideo e. g. Hesse ait « Nihilominus admissio primae (i. e. spontaneae) generationis manet tamquam postulatum scientiae naturalis » (4). O. Hertwig « Quamvis conatus sine successu habiti sint, admissio tamen generationis spontaneae scientiarum

(1) Confer eius relationem in *Comptes rendus*, t. LX, p. 384.

(2) « On peut difficilement se figurer la vivacité de ces batailles, à la suite desquelles, vaincue par l'évidence, accablée sous le poids de la preuve expérimentale, l'antique hypothèse, la chimérique illusion de la génération spontanée a battu en retraite devant la triomphante doctrine des germes, qui a renouvelé la science et qui est entrée en possession incontestée de l'avenir ». *Revue scientifique*, 19 dec. 1903.

(3) Confer hac de re Arduin, *Controverse*, a. 1882, t. 4, p. 313...; P. Bellynck S. I., *Cours de Physiologie*, p. 73...; Moigno, *Splendeurs de la foi*, t. 3, p. 1299...; Proost, *Questions scientifiques*, t. 6, p. 535; Milne-Edwards, *Leçons sur la Physiol.*, t. 8, p. 265...; Guibert S. I., *Les Origines, Questions d'apologétique*, p. 51...; Farges, *La vie et l'Evolution*, p. 144...; Urraburu, *Psychol.* p. 365... etc.

(4) « Die Annahme einer Urzeugung bleibt nichtsdestoweniger ein Postulat unserer Naturwissenschaftlichen Denken » Hesse-Dafleix, l. c. I (1910) 15.

naturalium cultori, qui hypothesim evolutionis amplectitur, est philosophica indigentia » (1). Et Haeckel « Si hypothesim generationis spontaneae *non admittitis*, in hoc unico (?) puncto doctrinae evolutionis ad miraculum creationis supernaturalis confugere debetis » (2). Unde alii eam ut merum postulatum scientiae naturalis *a priori* adstruendam esse autumant (3), et quidam aperte asserunt eandem pugnare cum experientia.

Qua de re ut integram quaestionem adaequate solvamus, eam prius spectabimus *a priori*, investigando eius intrinsecam rationem ac possibilitatem, dein *a posteriori*, iuxta experientiam recentiorum scientiarum cultorum ut pateat, utrum ipsa de facto unquam extiterit.

Thesis XIX.

Generatio spontanea prout a recentioribus proponitur repugnat rationi, et multis scatet absurditatibus.

100. **Prob. I p.** — Generatio spontanea, prout a recentioribus proponitur, procedere deberet a materia, independenter a quacumque causa ordinis superioris et ab omni principio intrinseco distincto a materia ac viribus mechanicis; imo ab omni quoque principio teleologico; ita ut sola evolutio materiae anorganicae fuisset causa generationis viventium. Atqui haec sententia pugnat cum primis prin-

(1) « Trotz dieser erfolglosen Bemühungen ist die Annahme einer Urzeugung für den Naturforscher, der auf dem Boden der Entwiklungslehr steht, ein philosophisches Bedürfniss » *Allgemeine Biologie* (1909) 207.

(2) « Wen Sie die Hypothese der Urzeugung nicht annehmen, so müssen Sie an diesem einzigen Punkte der Entwicklungstheorie zum Wunder einer übernatürlichen Schöpfung Ihre Zuflucht nehmen » *Natürliche schöpfungsgeschichte* [3] (1872) 390 f.

(3) Ita e. g. loquitur M. Verworn, *Allgemeine Phisiol.*, 3, ed. 1901, p. 333, vers. ital. 1. ed. Bocca, Torino 1903, p. 323; qui hoc profert argumentum vel melius *assertum* ad generationem spontaneam suadendam. « La sostanza vivente è soltanto una parte della materia della terra, la trasformazione di questa sostanza terrestre in materia viva era l'effetto *necessario* (?) dell'evoluzione terrestre, a quella guisa stessa (?) che l'origine dell'acqua è una necessaria conseguenza del progressivo raffreddamento di quelle masse che formavano l'involucro della terra; e le proprietà fisiche, chimiche, morfologiche della sostanza vivente sono anch'esse il risultato *necessario* (?) dell'azione delle nostre attuali ed esterne condizioni di vita sulle condizioni interne della primitiva sostanza viva ». Sed hoc non est nisi gratuitum assertum, nec ulla datur paritas inter originem aquae et vitae. Aqua enim ad eundem mundum anorganicum pertinet ac massa illa ex cuius transformatione orta esset; vita autem in mundo organico ac plene perfectioni reperitur.

cipiis rationis; nempe, ut alia omittamus, *a*) cum principio rationis sufficientis, *b*) cum principio causalitatis *c*) et cum principio teleologico. Ergo. — *Pr. m.* — *a*) In viventibus inveniuntur phaenomena verae activitatis, quae ipsam materiam intime modificant, atque proprium organismum mirifice construunt; quae sunt ordinis diversi a phaenomenis corporum anorganicorum, nec ullo pacto ad vires mechanicas reduci possunt; quae suis propriis legibus reguntur et mediis omnino simplicibus effectus consequuntur mirabiles; quae tantam diversitatem ac naturae varietatem nobis exhibent, cum plena unitate ordinis et harmoniae connexam, quam numquam satis admiramur... Atqui haec omnia phaenomena nullo modo explicari valent per solam materiam, quae de se est iners, semper eadem, nec diversas exigit leges... Ergo. — *b*) Omnis effectus necessario expostulat causam sui, quae iam sit actu et ordinis perfectioris vel saltem non inferioris. Atqui phaenomena vitae novas exhibent perfectiones, quas sola materia non habet, nec producere valet, quippe quae exigant vires ordinis superioris. Ergo. — *c*) Viventia diversas et oppositas exerunt operationes, quae tamen harmonice in unum finem diriguntur, quae proinde diversis reguntur legibus, subordinatis uni legi communi, et haec ordinatio est prorsus intrinseca et naturalis. Atqui ubi talis adest ordinatio in unum finem cum determinatis legibus naturalibus, necessario praerequiritur tum causa extrinseca intelligens, quae haec omnia in unum dirigat, tum causa intrinseca exequens hanc ordinationem correspondens ideae existenti in mente artificis, seu principium formale, quo haec media naturaliter et ex seipsis in illum finem dirigantur. Ergo.

101. **Scholion. — De sententia scholasticorum.** — Sed nunc quaeri potest, utrum saltem generatio spontanea, prout a veteribus admittebatur, rationi repugnet. — Respondemus *negative*, quatenus *non evidenter ipsa repugnat*.

Et primo dicimus, *eorum sententiam in immensum differre a sententia recentiorum*. Iuxta ipsos enim, *quae naturaliter generantur ex semine, non possunt naturaliter sine semine generari*. Et exceptio putabatur haberi quoad quaedam insecta, *unice* quia non experiebantur adesse eorum

semina. Unde haec generatio nullo modo *a priori* adstruebatur, sed tantum *a posteriori*, eam explicando modo prorsus diverso a recentioribus, per recursum nempe ad influxum quendam corporum coelestium, non autem per solas vires materiae brutae.

S. Thomas, vero admittit quidem in materia rationes seminales, seu dispositiones passivas materiae inditas in ipsa creatione: sed activum principium semper reponit vel primo et per se in semine animali, vel per accidens in influxu corporis coelestis praediti virtute quadam superiori. Ideoque nullo modo agnoscit in materia motum de se ad ulteriorem perfectionem, ut effutiunt evolutionistae, sed tantum potentiam passivam ad recipiendas perfectiones a causis ab ea distinctis (1).

Quare secundo asserimus *hanc sententiam, quamvis modo admitti amplius nequeat*, utpote nullo innixa fundamento, *minime vero repugnare dicendam esse*. Eius enim fautores *a*) primo loquebantur tantum de animalibus imperfectioribus, quae proinde dicebant posse oriri etiam sine concursu causae proximae perfectioris, nempe seminis. — *b*) Praeterea ipsi semper agnoscebant concursum causae primae nempe Dei, ex cuius virtute materia transit de potentia in actum. — *c*) Imo ipsi etiam agnoscebant quendam influxum astrorum in productione effectuum vitalium, ideo dicebant: « homo generat hominem et sol »; et quoad alia animalia putabant (sed semper *a posteriori*, nunquam *a priori*)

(1) « Augustinus, ipse ait, videtur velle, quod cum dicitur (Gen. 1, 11): producat terra herbam virentem et facientem semen: non intelligitur tunc plantas esse productas in propria natura; sed tunc terrae datam esse virtutem generativam ad producendum plantas opere propagationis. Aliis autem videtur quod tunc etiam plantae productae sunt. Utroque autem modo convenienter productio plantarum ad opus distinctionis pertinet quia ad eorum pullulationem sufficit virtus coelestis loco patris et virtus terrae loco matris, ut Phil. dicit. Et sic principia communia activa, quae ad opus distinctionis pertinent, sufficiunt ad generationem plantarum; non autem ad productionem animalium ad quam requiritur virtus formativa in semine existens ». In II. Dist. 14, q. un., a. 5, ad 6m. Et Dist. 15, q. 3, a. 1, ad 7m. « Illae novae species producuntur ex virtute coelesti, quae tenet locum virtutis formativae in animalibus ex putrefactione generatis, et ideo istae species fuerunt productae in operibus sex dierum in suis principiis scil. materia et rationibus seminalibus, sicut etiam alia quae per operationem naturae producuntur ». Cfr. etiam *De Pot.*, q. 4, a. 2, ad 28m.

sufficere solem. — *d*) Tandem ipsi admittebant in corporibus formas substantiales a materia distinctas, propriis viribus praeditas, quae in determinatis circumstantiis et sub influxu istarum causarum superiorum, poterant disponere materiam ad eductionem formarum illorum viventium. Atqui certe haec doctrina tum in immensum distat a doctrina recentiorum, tum videtur sufficienter salvare principia rationis antea relata, per recursum ad Deum et ad astra coelestia. Ergo.

102. **Prob. II p.** — *Multis scatet absurditatibus.* — Et prima absurditas est ipse materialismus et atheismus, ad quos confirmandos ista sententia a recentioribus defenditur; uti clarius patebit cum de spiritualitate animae humanae sermo erit.

Praeterea haec sententia et praesertim ratio, qua ipsa nititur, omnia scientiarum principia pessumdat sive ordinis *logici*, sive *ontologici*, sive *psychologici*. Nam *a*) iuxta hanc demonstrandi rationem, *non incerta a certis deducuntur*: non incipitur ab experientia, tamquam a primo fundamento, ac dein ope analysis conclusiones eruuntur certae et indubiae; non asseritur aliquid, aut quia de se evidens, aut quia rite deducitur a principiis de se evidentibus; non adstruuntur principia ad inferendam conclusionem, sed ipsa conclusio ante et contra omnia principia a priori statuitur... Atqui qui ita procedit, omnem perimit logicam, quum unice imitatur *praeiudiciis* in mente coeco modo statutis. Ergo. — *b*) Omnis nostra inquisitio huc semper spectat, ut ontologicam causam phaenomenorum, quae de novo accidunt, inquirat et statuat. Atqui qui a priori statuunt nullam eorum agnoscendam esse causam supersensibilem, maximum sibi adstruunt impedimentum, cum saepe contingere potest ac de facto contingit, quod huiusmodi causa in materiae viribus non reperiatur. Ergo... — *c*) Intima animi nostri inclinatio nos impellit ad causas illas investigandas, quae nos vere perficiunt, omnemque motum animi internum quietum reddunt, qui nequit coarctari per angustos materiae limites, ut quotidiana experientia cuique testatur. Atqui qui materialistarum praeiudicio premuntur, huic inclinationi vim in-

ferant oportet, cum maximo hominum damno, quos impediunt ne ad altiora sese erigant. Ergo.

Generatio igitur, quam recentiores fatentur, a priori inspecta non modo admitti nequit, sed penitus reiicienda est, utpote pluribus referta absurditatibus.

103. **Obiicies** I. Origo vitae rite explicari potest cum Helmotz, W. Thompson, Bunge aliisque per semina in meteoris contenta, quae ex spatiis cosmicis vitam in terram attulerunt. Atqui ita via aperitur generationi spontaneae. Ergo. — *R. Transeat M.* — *N. m.* — Inepta prorsus videtur haec hypothesis ad finem, quem adversarii sibi praestituunt. Illa enim semina, quum essent ex aliquo vivente in terram delata, viventia gignerent, sicut alia semina eiusdem terrae. Ideoque semper haberetur vivum ex vivo; numquam vivum ex materia non vivente (1). Praeterea quum adversarii ad hanc hypothesim confugiant, ut vitae originem explicent independenter a causa prima, adhuc eis inquirendum manet; quomodo in meteoris vita orta est? Certe non a materia organica, uti vidimus, ergo ab illa causa prima, quam ipsi perperam denegare adnituntur. Tandem ubinam vestigium huiusmodi seminis in meteoris adinventum est? Quomodo ea transeundo per frigus spatii cosmici (*c.* — 273°) et per calorem repente auctum cum in nostram intrant atmosphaeram, adhuc viva ad hanc terram pervenire queunt? Ergo non modo inutilis et gratuita sed repugnans quoque haec hypothesis dicenda est.

II. — Prioribus aetatibus, in terra *conditiones* adesse poterant specialiter faventes generationi spontaneae... Ergo. — *R. D. A.*; si ipsae accidentaliter tantum differrent a praesentibus..., *n.*; si essentialiter omnino differrent, *c.* (sed nego suppositum). Siquidem, ut advertit etiam Strassburger, « externae conditiones vitae illius aetatis non potuerunt essentialiter discriminari ab iis, quae nunc in terra extant. Adest enim in viventibus proprietas admodum mira, videlicet quod eorum vitalis activitas imo tota eorum existentia tantum possibilis est intra valde angustos limites influxuum cosmicorum » (2). Quocirca si conditiones illae a recentibus essentialiter differrent, iam vita ipsa existere non potuisset; nisi alia vita essentialiter diversa admittatur, de qua nihil humana experientia nos edocet.

III. — Effectus constans et universalis expostulat causam

(1) Cfr. P. Wasmann, l. c. p,. 252 et Reinke, p. 559 « Die Welt als Tat »

(2) « Die äusseren Lebensbedingungen können damals von den heute auf dem Erdball herrseenden nicht grundsätzlich verschieden gewesen sein: denn es ist eine höchst merkwürdige Eigentümlichkeit der Lebewesen, dass ihre Lebenstätigkeit ja ihre ganze Existenz nur zuischen auffallend engen Grenzen kosmischer Einwirkungen möglich sind » l. c., 134.

per se et determinatam. Atqui fermentatio, ex qua plurima enascuntur animalia, est aliquid constans et universale. Ergo nequit produci ex germinibus quae fortuito in aëre inveniuntur, sed, ut aiebant Frémy et Trécul, oriri debet ex causa constanti, quae est materia organica iam mortua. — *R. D. M.;...* exposcit causam, quae per se requirit illum effectum, *c.;* quae necessario inveniri debet in aliquo loco, ubi effectum suum producit, *n.* — *Contrad. m.;...* quae per se producitur ex seminibus quae insunt, *c.;* quae semina debent esse etiam per se in materia fermentata, *n.* — Doctrina, quae hic innuitur, vocari solet hemiorganismus, quae nempe generationem agnoscit saltem ex materia organica iam mortua. Eam ita definit Trécul: « Est operatio naturalis, qua vita, quum in eo est ut e corpore recedat, totam suam activitatem restringit super unam e partibus corporis et constituit entia omnino diversa ab eius substantia » (1). Haec explicatio, uti patet, quoad rem non multum differt a generatione spontanea sed et ipsa nullo innititur fundamento; nam prius Pasteur ac dein Tyndall aperte ostenderunt, hanc fermentationem non esse nisi effectum vitae, quae reperitur in germinibus quae adsunt (2). Quoad principium vero in maiori positum dicimus: certum est quod effectus requirit causam per se, at necesse non est, quod ista causa per se ac necessario existat in corpore quodam.

IV. — Viventia nihil aliud sunt nisi compositum quoddam ex diversis elementis anorganicis. Atqui omne compositum resultat seu generatur ex componentibus. Ergo. — *R. D. M.;...* compositum in quo reperiuntur vires ac phaenomena ordinis superioris, *o.;* in quo inveniuntur vires eiusdem ordinis, *n.* — *Contrad. m...* In hoc stat discrimen inter corpus mixtum anorganicum et corpus organicum seu vivens; quod illud vires ac phaenomena praeseferat eiusdem ordinis quamvis diversae speciei; vivens contra viribus gaudet ordinis omnino perfectioris. Ergo quamvis materialiter inspectum constet elementis anorganicis sicut et aliud mixtum, requirit tamen principium formale ita perfectum, quod non potest educi nisi ex cellula organica.

V. — Anima vegetativa educitur e potentia materiae. Atqui non videtur repugnare quod aliquod agens extrinsecum materiam anorganicam ita transmutet, ut ex ea educat animam vegetativam. Ergo. — *R. D. M.;...* e potentia materiae iam praedispositae, *c.;* non praedispositae, *n.* — *Contrad. m.;...* agens extrinsecum primum nempe auctor naturae, *c.;* agens extrinsecum creatum, *subd.;* si denegatur tum concursus primi agentis tum existentia virium, quas idem auctor materiae indidit, *prorsus*

(1) « Une opération naturelle pour laquelle la vie, sur le point d'abandonner un corps organisé, concentre son action sur quelques unes des particules de ce corps, et en forme des êtres tout différents de celui dont la substance a été empruntée ». *Comptes rendus,* 1872, t. XXV, p. 1861.

(2) Cfr. Guibert, l. c., p. 62-65.

neg.; si hoc utrumque admittitur, *subd.;* per se et absolute loquendo, *c.;* vel, *transeat*, loquendo a posteriori prout experientia testatur, *n.* — Generatio spontanea prout a materialistis et atheis defenditur prorsus repugnat, uti ostendimus. Admissa tamen existentia causae primae, quae materiae idoneas vires indidit, videtur, absolute loquendo, non repugnare quod anima vegetativa possit educi e materia anorganica. Nihilominus si res inspicitur a posteriori, hoc admitti nequit. Ratio vera intrinseca in eo esse videtur, quod anima vegetativa tales dispositiones in materia exigat, quae nonnisi in materia organica et a vivente decisa reperiri queant. Et hoc provisum est a mirabili ac sapienti Dei dispositione, ut argumentum prorsus palmare omnibus praesto sit, ad ostendendum, quod necesse est admittere principium a materia distinctum, quod explicet saltem phaenomena vitae vegetativae.

VI. — Nequit repugnare rationi doctrina, quam plures recentiores multis experimentis confirmare adnituntur, et antiquiores saltem ut exceptionem quibusdam in casibus agnoscebant. Atqui huiusmodi est generatio spontanea. Ergo. — *R. D. M.:*... si isti omnes possent experimentis comprobare hanc doctrinam innixam principiis adversariorum, *c.;* si hoc nullo modo possunt, *n.* — *Contrad. m.;* generatio spontanea innixa principiis adversariorum, *n.;* aliis principiis omnino oppositis, *c.*

Thesis XX.

Generatio spontanea omni prorsus opponitur experientiae.

104. **Status quaestionis.** — Thesis est contra omnes fautores generationis spontaneae, quacumque forma propositae.

Interim tamen advertimus, quod si forte quis experimentaliter eam adfuisse ostendit, nullo modo recentiorum principia admittenda essent. Sed recurrendum esset vel iterum ad principia scholasticorum, vel ad alia, quae tamen agnoscerent causam primam et principia formalia a materia distincta. Ac proinde liquido patet, incassum adlaborare eos omnes, qui istis experimentis eo animo insudant, ut haec sua principia suadere valeant. Nihilominus placet quaestionem etiam experimentalem agitare, ut novum habeatur argumentum contra eorum theoriam.

105. **Prob.** — Generatio spontanea est « productio individui viventis sine parentibus », nempe independenter a germine vel ovo alicuius viventis. Atqui experientia communis omnibus apertissime docet, hanc generationem non haberi quoad animalia perfectiora, et experientia peracta a celebrioribus scientiae naturalis cultoribus eam excludit quoad omnia omnino animalia. Ita e. g. Redi (a. 1668) et multi alii deinceps ostenderunt cum experimentis certis, non dari generationem spontaneam insectorum; item Van Beneden (1853) et alii eam negarunt quoad vermes intestinorum; Balbiani (1862) cum aliis etiam quoad vermiculos in aqua genitos, et praesertim Pasteur (1866), Tyndall (1876) cum celebrioribus Academiae Parisiensis doctoribus, eam reiecerunt quoad insecta et minima animalia ex fermentatione progenita. Item alia experimenta cum magna industria peracta a Zwammerdam, Harvey, Stebeld, Küchenmeister, Leuekard, hoc semper confirmant: *omne vivum ex vivo*. Ergo generatio spontanea quorumcumque animalium adversatur verae experientiae tum communi tum scientificae.

Confirmatur *auctoritate* nobilissimorum scientiae naturalis cultorum, quorum nonnulli potius conabantur oppositum invenire ad sua placita materialistica confirmanda. Et in primis extat auctoritas iudicii non semel prolati ab Academia Scientiarum Parisiensi, cui accedit victoria a Pasteur et Tyndall relata contra suos adversarios. Quare W. Thomson asserere non dubitavit in oratione, quam primus protulit in conventu habito in Edenburgo a. 1871. « Scientia (experimentalis) multitudinem affert argumentorum invincibilium contra hypothesim generationis spontaneae, quae iam accepistis ex ore mei praedecessoris D. Huxley. Examen accuratissimum non ostendit hucusque aliud principium vitae nisi vitam ipsam ». Et ipse Huxley historicam relationem de experimentis ad generationem spontaneam praesertim a D. Pasteur institutis, ita post alias animadversiones, concludit: « doctrina generationis spontaneae ultimum ac lethale vulnus recepit (has received a final coup de grace) » (1).

(1) En alia eius verba « The result of Mr. Pasteur's experiments proved therefore in the most conclusive manner that all the appearences of spontaneous generations arose from nothing more than the disposition of the germs of organismus which were constantly floating in the air... For my oun part, I conceive that with the particulars of Mr. Pasteur's experiments before us, we cannot fail to arrive to his conclusions: and that the doctrine of spontaneous generation has received a final coup de grace ». (On our knowledge of the causes of the phenomena of organic nature, p. 80).

Item Littré (1) aiebat « Vita, qualis nunc nobis apparet, non progignitur nisi ex parentibus, et nos nullum habemus ius ex experimentis quo demonstremus in initio aliquam proprietatem (adfuisse in corpore anorganico) quae nunc amplius non exeratur in actum ». — Wallace, qui una cum Darwin conatus est specierum transformationem tueri, nihilominus asserit : « Transitus a mundo anorganico ad organicum ostendit... ibi inveniri aliquid, quod est omnino supra et praeter omnes mutationes chimicas etiam magis complexas, et merito omnino affirmatum est, factum existentiae in mundo primae cellulae vegetativae fuisse phaenomenon omnino novum, quod *novam exposcit* potentiam » (*Darwinismus*, p. 474). — Virchow in conventu Monacensi asserere non dubitavit « generatio aequivoca pulcherrima esset, si posset demonstrari, at agnoscere debemus nullum validum argumentum in sui favorem allatum fuisse ». Unde ipse concludit : « Nec unum factum positivum cognoscitur, quod statuat unquam habitam fuisse generationem spontaneam. Qui oppositum autumant, contradicunt ipsis scientiae cultoribus et non tantum theologis ». — Strasburger : « In omnibus ordinibus, in quibus versatur nostra experientia, generatio spontanea apparet exclusa » (2). — R. Hertwig : « Ultima conclusio in omnibus nostris experimentis et observationibus, haec una esse potest, quod existentia generationis spontaneae non est demonstrata » (3). O. Hertwig : « Asserere debemus, quousque scientiae naturalis experientia se extendit, omnem organismum, semper ab alio praecedente organismo oriri » (4). « Generatio spontanea, uti dici solet, cellularum a materia anorganica a quibusdam biologis uti postulatum philosophiae naturalis statuitur, attamen reapse ex nostra experientia nequaquam comprobatur » (5). Idem affirmat maior pars rerum naturalium cultorum, ut testatur P. Wasmann (6), et etiam Albertoni, qui quamvis vellet libenter agnoscere gene-

(1) In opere *Génération spontanée et transformisme*.

(2) « Auf allen Gebieten, über die unsere Erfahrung reicht, erscheint die " Generatio spontanea " ausgeschlossen, *Lehrb. d. Botanik*, 1902.

(3) « Als Endresultat aller neuen Versuche und Beobachtungen kann nur das eine gelten, dass die derzeilige Existenz einer Urzugung nicht bewiesen ist, l. c. *Lehrbuch der Zoologie* (1900).

(4) « Wir müssen sagen, das, soweit naturwissenschaftliche Erfahrung reicht, ein Organismus stets von einem andern vorausgehenden Organismus abstammt », l. c. 271.

(5) « Die sogennante Urzeugung von Zellen aus leblosen Material ist wohl von einigen Biologen als naturphilosophisches Postulat hingestellt worden, allein nach unseren Erfahrungen kommt sie tatsächlich nicht vor ». *Grundzüge der Biologie*, (1909) 25.

(6) L. c., p. 244. « Anche la maggior parte degli studiosi delle scienze naturali sinceramente riconosce, che tutte le fatiche per dimostrare direttamente la prima origine della materia inorganica non hanno alcuna speranza di riuscita ». Cfr. etiam notam quam sub n. 3 addit P. Gemelli in pag. 250, 251.

rationem spontaneam, coactus est asserere, contra eam pugnare *innumera experimenta* (1).

106. **Nota.** — Abs re non erit animum paullulum vertere ad methodum inspiciendam, quam saepe atlici ac materialistae sequuntur, ad sua placita suadenda. — *a*) In primis ipsi abhorrent a spiritualismo, quia id tantum admittere volunt, quod sensus percipiunt, at sensibus renuntiant, ut aliquid admittant, contra eorum testimonium ad sua placita suadenda. — *b*) Exprobrant scholasticis et catholicis omnibus nimiam dependentiam a praeiudiciis seu a principiis, quae *a priori* statuuntur: sed et ipsi maiorem adhuc exhibent dependentiam a praeiudiciis omnino arbitrariis, nunquam demonstratis et saepe pugnantibus cum testimonio sensuum. Dum scholastici conantur sua principia rite demonstrare, nec unquam eadem contra sensuum experientiam tuentur 2). — *c*) Sese iactitant esse positivistas et scientiarum experimentalium cultores, ac metaphysicam aspernantur; at saepe falcem in metaphysicae campum immittunt, principia statuendo a proprio marte tantummodo confecta, quin demonstrare curent, cur ipsa adstruenda sint. — *d*) In ore semper habent scientiarum progressum, hunc tamen omnino seponunt, quando ipsum oppositum deprehendunt cuidam falso principio, quod ipsis amplectendum placet. Dum e contrario scholastici, quamvis non semper de isto progressu loquantur, ipsum in honore habent ac pro viribus conantur cum eo componere sua principia metaphysica. — Videant igitur alii,

(1) Ex eius verba: « Disgraziatamente contro questa ipotesi stanno *concordi numerosissimi esperimenti;* dai quali risulta che senza cellule preesistenti non si riesce a far mai nuove cellule, sia che si adoperino materiali inorganici e sia che si adoperino materiali organici o corpi morti. In base a questi risultati, oggi è universalmente accettata la legge: *omnis cellula ex cellula,* che trova sempre più splendide conferme nei risultati della cura antisettica ». P. Albertoni e A. Stefani, *Manuale di fisiologia umana,* 2ª ediz., casa editr. Fr. Vallardi, Milano, p. 9.

(2) Ad rem facit animadversio quam habet, quoad methodum istorum De Quatrefages, *Unité de l'espèce hum.,* ch. XVII, p. 299. « Il y a deux manières d'être esclave d'un livre, d'une croyance. — Celui qui *nie* partout et toujours ce qu'il y trouve ou croit y trouver, n'est pas plus libre de préjugés que celui qui *affirme* aveuglément les mêmes choses... ». Imo qui *ita affirmat,* potest saepe verum dicere, qui e contrario *ita negat,* semper errat, aut est in proximo periculo errandi, quia *contra factum non valet illatio nec ulla negatio.*

quinam sint, qui progressum et veritatem quaerunt, et quaenam sit via, quae ducit ad utrumque, utrum ea, quam isti adversarii percurrunt, an nostra, qua nitimur incipere ab experientia, eaque rite peracta, gressum facimus per ratiocinium ad altiora principia statuenda.

Difficultates, quae obiici possent, nostram thesim potius confirmant, quum non sint nisi experimenta, quibus alii conabantur ostendere generationem viventium sine semine, quae omnia explosa sunt ab iis, qui ostenderunt ibi semper adfuisse quaedam semina.

107. **Obiicies** I. Et primo audiatur experimentum a Van Helmont (m. 1644) medico belga peractum. « Fiat foramen in quodam latere, et in eo ponatur herba *ocymi* (erba di basilico) simul involuta, apponatur alius later huic, et uterque later exponatur radiis solis et post paucos dies, odor ocymi ipsam herbam mutabit in scorpionem ». Ferę iisdem experimentis generabat etiam *sorices*. Atqui hic certe habebatur generatio animalium sine parentibus. Ergo. — Resp. *C. M.;* et *d. m.;*... sine parentibus qui ipsi adessent generationi, *c.;* sine parentibus qui iam antea sua ovula produxissent, quae in illis circumstantiis evolverentur ac ipsum animal producerent, *n.* — Ista experimenta omnia solvuntur eodem modo; ostendendo nempe quod in illis corporibus adsunt ovula propria illorum animalium; nam purificando huiusmodi corpora ab omnibus ovulis, mediante calore, qui sufficit ad ea comburenda, ac deinde servando eadem corpora immunia a contactu aëris, ne ab eo nova germina afferantur, apparet quod nulla ibi animalia generantur. Pariter Spallanzani advertit vermes, qui gignuntur ex grano quodam morbo affecto, iam demortuo, et exsiccato, apparere quasi pulverem inertem; sed si guttula quaedam aquae super eam cadit, omnino sufficit, ut in ea iterum efflorescat vita etiam post multos annos. Item ostendit, corpuscula, quae nascuntur in infusionibus, originem ducere a germinibus, quae in aëre reperiuntur. Quamobrem clausit quodam vase infusiones depuratas per ebullitionem et ita ostendit quod tunc illa animalia non generantur.

II. *Instas.* — D. Pouchet circa annum 1868 expertus est generationem animalium infusorum in liquido, quod fermentationis capax erat, sed iam antea defoecatum, et in contactu positum cum aëre item depurato a germinibus. Atqui illa generatio fuit certe sine germine. Ergo. — *R. D. M.:*... ita ut plena certitudo haberi potuerit, quod nullum adfuisset germen, *n.;* quia adhuc erat aliquod germen, uti alii clare ostenderunt, *c.:*... Et sane statim alii scientiarum cultores, uti Bernard, de Quatrefages, Payen clare ostenderunt, ipsum deceptum fuisse, quia germina

adhuc extabant. Imo Pasteur, praecipuus eius adversarius, post multos labores et experimenta, monstravit veritatem harum propositionum : 1° aër purus, *revera* purgatus ab omni germine, nunquam excitat putrefactionem in liquido fermentationis capace, si *revera* est epuratus ab omni germine — 2° aër purus non expoliatus a germinibus non excitat semper putrefactionem in liquido fermentationis capace et epurato, quia illa germina non semper ad hoc sufficiunt. Et ita etiam occasionem habuit demonstrandi, quomodo Pouchet deceptus fuisset, ostendendo nempe, quod non omnia germina moriuntur cum eodem caloris gradu (1). Quare merito Tyndall potuit deinde concludere : « Sicut quando apparent in aliquo campo phaseoli, tuto omnino asseritur, quod granum aliquod ibi fuit terrae commissum, ita quando liquidum corpus putrescit, eadem securitate dicendum erit, quod aër in ipsum semina immisit ».

III. Cum apparatu microscopico apparet in aëre et liquido generari ingentem animalium numerum. Atqui incredibile videtur, haec omnia nascantur ex germinibus, quae in eis haberentur. Ergo. — *R. C. M.;* et *N. m.*, vel si placet *dist.;*... si ista germina non multiplicarentur et ipsa cum eadem facilitate, *c.;* si multiplicantur, *n.* — Et revera experientia constat satis esse unum animal infusorium in liquido omnino depurato, ut post paucos dies, ingens eorundem numerus in eo reperiatur. Ita e. g. D. Ehremberg expertus est, quod ex uno animali infusorio *rotatorio*, quamvis organismum habeat sat implexum, gigni possunt post 10 dies 1000000 individua animalia, et post 11 dies 4000000, et post 16 dies 16000000 : et haec multiplicatio potest augeri vel minui, iuxta conditiones magis vel minus propitias in quibus reperitur.

IV. Initio huius saeculi quidam scientiarum cultores praesertim Burke simul posuerunt ius coactum (gelatina) depuratum (sterilizzata) cum sale radii in vase oblongo. Tunc, ut ipsi aiebant, post 23 horas apparuit in eius superficie quaedam materia, quae per 14 dies pedetentim crevit ex ipso iure coacto; et corpuscula rotunda, quae in eo reperiebantur, quum quandam dimensionem assecuta fuerint (3 decimillesimi millimetri), dividebantur atque nova corpuscula generabant. Fere idem obtinuit Littlefield. Atqui hic habentur omnia phaenomena vitae vegetativae. Ergo... — *R. C.*, vel *transeat M.* nam ipsi physiologi dubitant de accurata observantia istorum phaenomenorum, sed etiam admissa veritate Maioris, *D. m.;* hic habentur omnia ac vera phaenomena vitae, *n.;* habetur quaedam similitudo quorumdam phaenomenorum, *c.* — Et sane hic deest vera nutritio, quae habetur tum per assimilationem alimentorum, tum etiam per relectionem ac separationem partium, quae nequeunt assimilari.

(1) Confer Guibert, l. c., p. 55 sqq.: Milne-Edwards, *Leçons sur la Physiologie*, p. 266, 268. — Idem advertit Proost, *Revue de q. scient.*, t. 6, p. 521.

Item degst motus spontaneus immanens in unoquoque corpusculo, quum motus ille potius videatur procedere a tota massa ac proinde ab aliis corpusculis. Praeterea augmentum illorum corpusculorum nullo modo probatur esse effectus verae nutritionis, sed potius videtur esse extrinseca additio sicut accidit in corporum crystalizzatione. Tandem illa multiplicatio corpusculorum longe omnino distat a vera generatione, nec aliquid novi in se exhibet, cum sit effectus *tensionis superficialis*, uf rite adverterunt W. Roux professor in Universitate Hallensi et A. L. Herrera, eodem modo sicut guttula alcoolii, quae super aquam cadit, extenditur et faciliter partitur in duas vel plures. Praeterea, ut idem Roux advertit, viventia infimi gradus ordinarie vivunt in liquido, quo etiam nutriuntur; dum contra ista corpuscula in aqua dissolvuntur, unde apparet quòd in se vim continent tam minimam, ut nequeant resistere viribus illius liquidi.

V. Ab Huxley inventa est anno 1857 in ima Oceani parte materia quaedam, quae figuram proprietatesque protoplasmi exhibebat, quaeque proinde merito vocata est Bathybius. Atqui ista videtur esse prima materia anorganica, ex qua viventia generata sunt. Ergo. — *Resp.* — Hoc argumentum, quod tantum rumorem excitavit, haud multo post inventum est prorsus ineptum ad finem adversariorum consequendum, ut ipsi iidem coacti sunt fateri. Ita idem Huxley in Conventu Associationis Britannicae, habito anno 1879 in Sheffield, cum audierit praesidem D. Allmann mentionem fecisse de Bathybio a se adinvento, loqui coactus est, ut eius naturam patefaceret. « Praeses, ipse dixit, locutus est de *quadam re*, — nescio utrum *aliquam rem* vel alio modo eam appellem, — quam vocavit *Bathybium*, a me adinventum... Statim ac huiusmodi Bathybius ab aliis recognitus est, multi scientiarum cultores in eum animum verferunt, et ego mihi adblanditus sum magnum honorem esse inde consecuturum, sed eventus (me hoc dicere piget) spem non comprobavit... Et quidam eo pervenerunt ut dicerent, ipsum nil aliud esse, nisi materiam glutinosam *ex sulphato calcis* (precipitato gelatinoso di calce), quae in se clauderet aliquam materiam organicam » (1).

Et Milne-Edwards etiam post multa studia et experimenta adhibita fatetur : « Bathybium nil aliud esse nisi massam mucosam, quam animalia spongiaria et quaedam zoophyta relinquunt, quum eorum texta lacerantur ab uncinis piscatorum. Bathybius, qui iam nimium campum scientiae invasit, expellendus sane est, ut in suum inutilem locum redeat (2). Sed praeterea etiam

(1) Cfr. etiam Wasmann, *La Biologia Moderna...*, p. 225, 226.

(2) « Le Bathybius n'est qu'un amas de mucosités que les éponges et certains zoophytes laissent échapper quand leur tissus sont froissés par le contact de engins de pèche. Le Bathybius qui a trop occupé le monde de la science, doit donc descendre de son piédestal et rentrer dans le néant ». Apud Duilhé de S. Projet, l. c., p. 224.

a priori re inspecta, nulla erat ratio tanti aestimandi huiusmodi adinventionem (1).

Conclusio. — Concludamus igitur oportet ex ipsis quoque adversariorum argumentis, novam prodire confirmationem sententiae asserentis, nullam dari generationem spontaneam. Porro quoniam plurimi ac disparati conatus, a plerisque adhibiti, nondum efficere potuerunt ut vel unum ostenderent exemplum huiusmodi generationis, iure merito inferre licet, eam nunquam extitisse.

ARTICULUS V.

DE TRANSFORMISMO SEU THEORIA DESCENDENTIAE.

108. **Historia quaestionis** Cum quaestione de origine vitae altera connectitur, quae vocari solet *de Transformismo seu de Theoria descendentiae*, quae tuetur viventia superioris ordinis generari seu descendere ex materia viventium inferiorum, quae in ea transformantur (2).

Antiqui revera, ut innuimus; n. 98, species perpetuo constantes fuisse professi sunt (3). Progressu temporis vero, quum identidem reliquiae organismorum petrefactae, ut *pisces conchae, ossa...* invenirentur, nonnulli putarunt, eas ex *nisu formativo* lapidibus innato oriri, qui occulta vi formas

(1) Ad rem P. Salis-Seewis, *Cir. C.*, s. XII, v. II, p. 558. « Tutti sanno quanta festa si menò nel campo degli evoluzionisti, quando nel 1868 i naturalisti imbarcati sulla nave inglese « Porcupine », avendo tratto dal fondo dell'Oceano a 25.000 piedi di profondità, insieme con altre cose come un velo gelatinoso, credettero di ravvisarvi l'aspetto e le proprietà del protoplasma; e l'Huxley pubblicò ai quattro venti la scoperta di quello ch'egli, ad onore dell'Haeckel, gran corifeo dell'evoluzionismo, denominò Bathybius (ossia *vivente nel profondo*) Haeckelii. Per verità non si capisce che ragione avessero di rallegrarsi i darvinisti per siffatta scoperta. Dall'essersi trovato un vivente di struttura semplicissima quanto è il puro protoplasma, nessun prò ne veniva alla teoria che volesse derivate da lui per evoluzione tutte le specie più complesse;... ed infine prevalse la persuasione che essa altro non fosse se non un precipitato gelatinoso di solfato di calce prodotta dall'acqua marina ».

(2) Haec quaestio valde agitata fuit in secundo dimidio saeculi elapsi, uti testatur etiam D. Guibert, l. c., p. 90.

(3) Non defuit tamen iam tunc Anaximander Milesius, qui, ut testatur Plutarchus (*Quaest. symp.* VIII, 8, 4) putavit omnia animalia ipsosque homines pisces aliquando fuisse. Item Empedocles docuit, animalia ex fortuita membrorum concursione orta esse, uti refert Aristoteles (L. II, *Phys.*, c. 8), quam sententiam dein Lucretius Carus quoque tuitus est.

organicas per quendam *lusum naturae* imitarentur. Deinceps quum harum numerus augeretur, et quum detegerentur, diversa terrae strata diversas quoque *plantarum et animalium collectiones seu familias* faunae e flore includere, rem totam ex eo explicabant, quod quidam organismi saepe variis destructi fuerint cladibus, ac novi vel creati, vel ex aliis immigraverint regionibus, ita opinati sunt ipse Cuvier et d'Orbigny eius discipulus. Eorum autem explicatio non omnibus satisfaciebat, ea praesertim ratione, quia animadvertebatur, hos organismos antiquioribus extinctis valde affines esse, ac diversa strata nequaquam apparere violentis turbationibus producta.

Quo factum est ut opinio *descendentiae* in medium proferretur, quae organismos recentes et fossiles vinculo quodam genetico cohaerere doceret, seu novos organismos per *transformationem* ex prioribus ortos esse. Haec autem opinio ad suam ultimam rationem atque integrum systema perducta est medio sec. XIX. auctore Carolo Darwin (1 1812-1882), ideo *Darwinismus* a quibusdam tamquam synonimum *Transformismi* haberi solet. Sed ut idem Darwin aperte fatetur, iam antea haud pauci auctores huic opinioni viam stravere (2).

109 **Doctrina Lamarkii.** — Inter hos eminet Ioannes Bapt. Monet de Lamark discipulus Buffon (1733-1829), qui hanc doctrinam fusius evolvit, in opere cui titulus « Philosophie Zoologique » 1809; ac « docet, ut ipse Darwin refert, omnes species,

(1) Ipse prius edidit opus *The Origin of Species by means Natural Selection* (1859); postea opus *The Descendent of Man* (1871), in quo evolutionem etiam ad hominem extendit. Sed hoc eius opus minoris adhuc momenti est.

(2) En nomina quae ipse idem refert adsignato aetatis anno quo eorum doctrinae in lucem prodierunt: Lamark (1801-1815); Stephanus Geoffroy Saint-Hilaire (1795); R. W. Herbert (1822); Grant (1826); Patricius Matthew (1831); Rafinesque (1836) Haldeman (1843-1844); auctor anonymus de Vestigiis creationis (1844); d'Omalins d'Alloy (1831-1846); Owen (1846); Isidorus Geoffroy Saint-Hilaire (1850). Freke (1851); Herbertus Spencer (1852-1858); Nandin (1852); Keyserling (1853); Schaafhausen (1853); Baden Powell (1855). His alii adiungi possunt, e. g. Tournefort, Bonnet, de Maillet, Robinet, et praesertim Buffon (1707-1788), qui initio profitebatur immobilitatem specierum, at postea in oppositam incidit sententiam, agnoscens tum variationem specierum tum descendentiam unius ab alia, at semper admittit existentiam Dei. Eius sententiam exponit De Quatrefages, in opere: *Ch. Darwin et ses précurseurs*, p. 10.

homine inctuso, ex aliis speciebus descendere » (1). Imo, ut advertit De Quatrefages, Lamark dici potest unicus, qui revera cum Darwin in hac quaestione comparari potest (2).

Siquidem praecipuum punctum hac in re solvendum in eo erat, ut explicaretur *modus* seu ratio qua huiusmodi transformatio perageretur. Porro Lamark eam explicare adnititur per *adaptationem* teleologicam, quae exerebatur per *usum* et *non usum organorum*, quatenus diversis in adiunctis diversae quoque necessitates oriebantur utendi quibusdam organis, atque adeo quaedam roborata in perfectiora transformabantur, alia autem non usu abolebantur.

Doctrina Darwinii. — Darwinius vero, reiecto omni principio interno teleologico, tuetur omnia viventia, plantas, animalia, hominem pedetentim per immensa tempora transformatione continua evoluta esse ex paucis typis primitivis vel etiam ex aliqua specie primaria, quae forte esset aliqua *cellula vivens*, vel aliquid minus (3).

Et primo statuit hoc principium : « Nos debemus admittere quod organismus cuiusque individui, *vi legis propriae augmenti*, capax est subeundi magnas modificationes, independenter ab iis, quae gradatim recipiuntur per haereditatem. Variae differentiae morphologicae debent probabiliter ex hoc capite repeti » (4). Fere idem repetit in opere « de origine hominis » (5). In hoc eodem

(1) « He upholds the doctrine that all species, *including man* are descended *from other species* ». Ch. Darwin, *On the Orig. of Spec.*, p. XV.

(2) « En définitive, Lamarck est le seul écrivain français qu'on puisse réellement comparer avec Darwin au point de vue qui nous occupe », l. c., pagina 112 cf. si lubet, quae idem habet de comparatione ac diversitate istorum, ibid., p. 113.. sqq.

(3) Ideo Häckel in opere cui titulus « Historia creationis naturalis », n. 116 ait: « duplex est meritum Darwinii hac in re. *Primo* ipse inquirit in quaestionem evolutionis, iam statutae a Lamark et Goethe, modo profundiori et universaliori. *Secundo* statuens theoriam *selectionis*, quae est eius propria, obtulit huic doctrinae fundamentum solidum, ostendens *causas efficientes* modificationis organorum specierum... ». Hanc doctrinam breviter exponit cl. Lecomte in opere cui titulus *Le Darwinisme et l'origine de l'homme*, p. 45 ».

(4) « We must admit that the organisation of the individual is capable *through its own laws of growth*, under certain conditions, of undergoing great modifications, independently of the gradual accumulation of slight inherited modifications. Various morphological differences probably come under this head, to which we shall recur ». Ch. Darwin, *On the Origin of Spec.*, p. 151. London, 1860.

(5) « We know not what produces the numberless slight difference between the individuals of each species, for reversion only carries the problem a few steps backwards; but *each peculiarity must have had its owen efficient cause*. If these causes, *whatever they may be*, were to act more uniformly and energetically during a lengthened period (and no reason can be assigned why this should not sometimes occur), the result would probably be not mere slight individual differences, but well marked, constant modifications ». Ch. Darwin, *The Descent of Man and Selection in Relation to Sex*, vol. I, p. 153, London, 1871.

criterio innititur lex, quam ipse vocat *variationis correlativae* vel *correlationis augmenti*, quae tamen est nimis indeterminata.

Leges vero magis determinatae sunt: 1º *selectio naturalis* (*natural selection*), iuxta quam omnes perfectiones accidentales etiam minimae, quae in quodam individuo reperiuntur, eo spectant ut ipsum, et quae ex eo descendunt, perficiantur; et ita efformatur individuum veluti *a natura selectum*, quod illam speciem ita perficit, ut eam pedetentim ac gradatim in aliam transformet. 2º Accedit *selectio sexualis*, iuxta quam feminae praeferunt mares praestantiores, ut individua perfectiora facilius generent. 3º Habetur *lucta pro vita* (the struggle for life), in qua individua imperfectiora destruuntur a perfectioribus, et ita manent tantummodo illa individua *a natura selecta*, quae transformationem specierum peragunt.

Huc breviter redeunt capita doctrinae Darvinii, quae quamvis multos nacta sit adversarios praesertim Cuvier, Flourens, De Quatrefages, Blanchard, Faivre, Hebert,... plures tamen, si *non merito*, saltem numero habuit sectatores (1), inter quos in memoriam vocandi sunt Carolus Vogt, et Huxley et praesertim Haeckel, qui diserte ostendere conati sunt descendentiae theoriam ad hominem usque, cuius parentem simiam posuerunt. Adeoque hominem ad idem regnum brutorum animalium deduxere.

110. **Doctrina Haeckelii.** — Haeckel hanc theoriam in metaphysicae campum immittit, ut prava consectaria *monismi* ac materialismi deducat in opere « Historia creat. natur. seu doctrina scientifica evolutionis ». Ad differentiam opinionis *dualisticae* aut *teleologicae*, ipse ait in p. 33, theoria mechanica naturae amorganicae formas velut productiones necessarias naturalium virium respicit. In quacumque animalium vel vegetalium specie ipsa non inspicit ideam alicuius creatoris *personalis* (seu individui distincti ab hoc mundo), quae in actum reduceretur, sed signum transitorium alicuius phasis evolutionis mechanicae materiae, signum causae necessariae, quae est causa mechanica (en causa efficiens). Dum dualismus teleologicus quaerit tantum in prodigiis Creationis ideas alicuius Creatoris arbitrarie confectas, monismus contra veras causas observans, effectus necessarios legum naturalium, aeternarum, ineluctabilium in istis phasibus evolutis tantummodo invenit ».

Deinde distinguendo inter materialismum *moralem* et *naturalem*, ostendit hoc ultimo sensu tantum hanc suam theoriam vocari materialisticam.

Tuetur proinde, uti vidimus, generationem spontaneam, quam vocavit *plasmagoniam autogonicam* vel *archigoniam*, ac decernit primum opus huius archigoniae esse *archiplasson;* nempe

(1) Cfr. P. Pesch, *Phil nat.*, n. 578, 579.

protoplasma primigenium exortum ex intrinsecis materiae viribus cui subsequitur *bioplasson*, quod eo tendit ut primam extruat materiam organicam, atque ita transitus habetur a natura anorganica ad *monerам;* quae est materia protoplasmatis sine organis ac determinata figura, imo etiam sine nucleo (1), praecipuas habens operationes vitales: nutritionem, reproductionem, motum necnon sensibilitatem. Huiusmodi tamen originem ipse non probat, sed supponit ita habitam, ex eo quod elementa quibus constat (carbonium, acidium, hydrogenium et azotum) *debuerunt* per actionem affinitatis chimicae, electricitatis, caloris solis ac multarum causarum nobis ignotarum, gignere vitam in monera (2).

Ita pariter, prosequitur iuxta Darwinianam doctrinam reliquorum viventium genealogiam per lentam evolutionem ab imperfectioribus ad perfectiora texere ad hominem usque, quem filium brutorum animantium facit, exemplum secutus Caroli Vogt, Thomae Huxley aliorumque, qui iam prius hanc belluinam hominis originem praeformaverant (3). Dein principium illud, transformistis valde carum, statuit, nimirum historiam evolutionis phylogeneticae seu seriei totalis viventium explicandam esse secundum historiam evolutionis autogeneticae, vel embryonalis singulorum individuorum, hancque velut compendium et summam illius esse reputandam. Hoc principium inferius, n. 135, expendemus ac refutabimus.

(1) Praecipua proprietas monerae, ut ait etiam R. Hertwig, Haeckelii discipulus, est carentia nuclei; sed revera ut idem advertit (in *Lehrbuch der Zoologie*, 1903, 161) exquisitioribus adhibitis instrumentis, adinventi sunt nuclei in pluribus viventibus, quae prius putabantur anucleata et vocabantur monerae, quarum numerus proinde in dies minuitur imo probabile est etiam in ceteris adesse. Ita ipse existentiam quoque monerae in discrimen ponit.

(2) *Die Welträtsel*., Bonn 1903, s. 8, 10.

(3) In tota hac evolutionum serie autem placuit Häckelio 22 stadia assignare, in iisque totidem capita praecipua diversarum stirpium vel totidem ramos unius communis arboris genealogicae. Ex quibus quatuor priora in primo vitae statu constituuntur utpote valde simplici ac fere uniformi corporis structura praedita, quatuor sequentia pertinent ad metozoaria, quia maiore gaudent organismi diversitate; sequuntur dein vertebrata ac demum mammifera.

Primum stadium est « monera », secundum « amaeba », tertium « synamaeba » (morula), quartum « larva ciliata » (planula), quae sunt in primo vitae statu; quintum « gastraea » vel gastrula, sextum « turbellaria », septimum « vermis scolecida », octavum « ascidia », nonum « amphioxus », decimum « lampetra », undecimum « squalus », duodecimum « protopterus dipneumon », tertiodecimum « salamandra et triton », quintodecimum « protomnium », sextodecimum « promammalium », decimum septimum « marsupiale » (Kanguroo et sarigue), decimum octavum « prosimius » (lemur, maki), decimum nonum « simius catarrhinus caudatus » vel semnopithecus, vigesimum « anthropoides simius » aliquis cauda carens (similis gorillae, chimpanzé, orang-outang et gibbon quamvis ab omnibus his diversus), vigesimum primum « homo alalus », vel loquela privatus, seu « pithecanthropus », id est homosimius ac tandem « homo ».

111. **Transformismus moderatus.** — Attamen *darwinismus* in dies deseri videtur, quamvis hypothesis *evolutionis* diversis sub formis a quamplurimis biologis adhuc defendatur (1).

Nonnulli enim variabilitatem organismorum penitus *indeterminatam*, quam Darwin tuebatur, reiicientes, ut e. g. Von Bär, Nägeli, Kölliker, de Vries, Eimer, Reinke, Cope, O. et R. Hertwig, Kassovitz, Wasmann, Depéret, Driesch... etc. aliam tamen agnoscunt, quae per *internum principium* determinetur ac regatur, quae teleologica dici solet; at diverso omnino modo ab eis res explicatur.

Item *selectioni naturali*, cui vim tantum eliminativam, non autem novarum specierum formativam tribuunt, alias addunt causas e. g. *usum* sive *non usum organorum* ad mentem Lamark et Geoffroy St-Hilaire, una cum *causis externis*, quae iuxta internam dispositionem augent transmutationis tendentiam. Ac demum transmutationem *per saltus* adstruunt, quum *continuatam* per minima discrimina nulla ratione demonstrare queant. Weismann vero conatur ex una parte omnia tribuere selectioni, quam tamen ad ipsas germinis partes reiicit (2); alia vero ex parte omnes organismos omniaque eorum organa in ipsis protoplasmatis germanis dispositionibus praeformata esse contendit, quas haereditate transmitti autumat. Quare quamvis ipse omne respuat principium teleologicum (Zweckthätige Prinzipien sind das Ende der Wissenschaft, ait in « Ubergerminalselektion, X), ipsum tamen hic reapse amplectitur.

Inter istos tamen recentiores plures, quamvis evolutionem *monophyleticam* reiiciant, evolutionem tamen *biologicam polyphyleticam* tuentur saltem intra ambitum cuiusque regni sive plantarum sive animalium vel generum superiorum, ita e. g. Zittel, Depéret, Koken, Steinmann, Reinke, O. Hertwig, Wasmann, Gemelli, Donat... et alii. Porro haec mutatio, si revera ex experimentis adesse probatur, haud difficulter ad mutationem stirpium reduci potest, ut inferius diserte monstrabitur.

112. **Doctrina Spencerii.** — Postremo peculiaris mentio fa-

(1) Non defuerunt qui conati sint diversas obtrudere hypotheses ad vitae originem explicandam ex mundo anorganico. Quinton theoriam exposuit qua vitam ex aqua oceani repeteret: (cfr. *L'eau de mer milieu*, Paris 1905), quae diversis adinventa est obnoxia contradictionibus: *Arrhenius* asserit materiam, vires et vitam semper extitisse in mundo, et tantum mutavisse in spatio modum ac locum, per motus undulatorios vibrationis corporum, quae subiiciuntur diversis modis radiationis opticae, caloris... etc., cfr. *Das Schiksal der Planeten*, Leipzig, 1913. Sed praeter difficultatem biologicam transvehendi germina vitae ex uno spatio in aliud ob diversum calorem, haec hypothesis contradicit existentiae ordinatae ac systematicae unitati collectionum plantarum et animalium, quae in terra reperitur.

(2) Cfr. « Die Allmacht der Naturzücht » 1893 et « Ubergerminalselektion » 1896.

cienda est systematis, quod Herbert Spencer (1820-1902) confecit, vel ultima philosophica explicatio evolutionismi dici potest, innixus potius in principiis metaphysicis, quae ipse *a priori* statuebat, quam in argumentis ex experientia deductis, exemplum ducens ab Hegel. Sicut enim philosophus iste, unum principium statuens *Ideam-Ens*, totam rerum universitatem explicari conatus est per illius evolutionem in triplici momento, *logico*, *physico* vel *naturae*, et *psychologico* vel *spiritus;* ita Spencer omnia quae existunt in natura, ad unitatem reducere conatus est.

Ipse enim, Kantii vestigia premens, quum advertit in quaestionibus scientificis ac religiosis multas haberi controversias praesertim circa spatium, tempus, materiam..., non agnoscit in huiusmodi conceptibus verum obiectivum valorem, hinc infert *veritatem esse tantum relativam*, (prout nempe cuique videtur, ita aliquid asseritur esse verum aut falsum). Et statuit ultimam rationem rerum omnium esse aliquid *ignotum imo incognoscibile*, quod sese necessario evolvens, diversas rerum naturas constituit et nobis manifestatur sub diversis formis ac legibus, quas in mundo deprehendimus, et videtur esse veluti ultimum substratum permanens in evolutionibus totius universi, quae nobis apparent in *spatio*, in *tempore*, in *materia* et *motu*. Ipse agnoscit in mundo distinctionem diversorum individuorum, specierum ac generum. At haec omnia simul colligantur *per legem synthesis universalis*, mediante *evolutione* et *dissolutione* materiae et motus. Hinc necessario procedit ad tuendum evolutionismum ac transformismum, quae ipse extendit usque ad ultimos actus cognitionis, intelligentiae ac voluntatis animalium et hominum (1).

(1) Accipe brevissimum conspectum ab ipso Spencer in 16 punctis propositum in introductione ad opus « Compendium philosophiae syntheticae » a cl. Honrad Collins exaratum cum eius approbatione et in linguam gallicam translatum a cl. Henrico de Varigny ed. 4, a. 1904. Iuvat ipsum paucis referre. — 1) Producitur in toto universo in generali et in particulari iugis distributio materiae et motus, quae indesinenter renovatur. — 2) Huiusmodi distributio constituit *evolutionem*, ubi praedominat integratio materiae e diminutio motus, et *dissolutionem*, ubi oppositum contingit. — 3-4) Evolutio est simplex, si non adest complexio aliarum combinationum; est composita si aliae adsunt mutationes ob diversas circumstantias, in quibus diversae partes componentes reperiuntur. — 5) Huiusmodi mutationes constituunt transformationes ex materia homogenea in heterogeneam, quae locum habet in toto universo, in astris, in hac terra... in ipsa conscientia, in societate, in omnibus productionibus activitatis socialis. — 6-7) Evolutio integrationis secum fert differentiationem, quatenus mutatio fit ex *homogeneitate* indeterminata in heterogeneitatem determinatam... Ita enascitur distributio motus, qui in istis compositis servatur cum mutua relatione, atque adeo materia heterogenea evadit magis determinata. — 8-9-10) Causa huius evolutionis est instabilitas materiae homogeneae ob diversas vires, quae agunt in diversis eius partibus: et haec transformatio evadit magis complexa ob multiplicationem effectuum. — 11) Istae duae causae adiuvantur praesertim ex segregatione, vi cuius unitates similes uniuntur, et dissimiles separantur. — 12-14)

113. **Diversae quaestiones distinguendae.** – Iamvero ut examen transformismi rite instituamus, diversas in eo quaestiones ac sententias distinguamus oportet: Nam iudicium ferendum venit — 1° de transformismo atheo et universali: — 2° de prima specierum productione sub Dei influxu: — 3° de specierum mutabilitate, et hic duplex adhuc quaestio occurrit; *α*) altera de possibilitate sive *metaphysica*, sive *physica*, *β*) altera de ipso facto *experimentali* Prior eo spectat ut intrinsecam transformismi possibilitatem et rationem, secundum quam contingere posset, rimetur: altera vero inquirit utrum reapse aliquando contigerit. Et priori quaestioni ita reponimus:

Thesis XXI.

Transformismus atheus et universalis, praesertim uti statuitur ab Haeckel et a Spencer, omnino repugnat.

114. **Prob. I p.** — *Transformismus atheus repugnat.* — Huiusmodi transformismus conatur explicare omnia phaenomena et praesertim generationem ac diversitatem naturae viventium per solam evolutionem materiae anorganicae sine ullo principio interno teleologico, nec ullo concursu causae superioris. Atqui haec sententia omnino repugnat, ut liquet ex iisdem argumentis, in n. 100 allatis, ad ostendendam repugnantiam generationis spontaneae. Ergo.

Praeterea haec sententia ideo adstruitur, ut excludatur omnis alia causa a materia ac motu distincta, quae vitae generationem explicet. Atqui hoc ipsum prorsus repugnat. Nam aut ista materia in motu posita iam est producta ab aliqua causa a se distincta, et tunc haec erit certe admittenda, atque adeo opposita sententia corruit. Aut illa materia

Loquitur de aequilibrio quod habetur in evolutione, et perrumpitur in dissolutione. Deinde addit in n. 15) Omnia haec phaenomena sunt effectus permanentiae virium sub suis formis materiae et motus... 16) Id quod persistit invariabile in quantitate, sed iugiter mutatur sub sua forma in istis apparentiis sensibilibus, quas in toto universo percipimus, superat captum humanae mentis et nostram cognitionem. Est potentia (i. e. ens omnipotens) incognita et incognoscibilis, quam nos debemus agnoscere tamquam illimitatam in spatio et sine principio in tempore.

est improducta et existens vi suae essentiae, et tunc esset aeterna, immutabilis, perfectissima. Nam eius improductum habet esse a se ac ratione sui, quo proinde constituit eius essentiam; sed essentiae rerum sunt aeternae, et immutabiles. — Item ens increatum dicit *ipsam rationem essendi actu*, et ideo in se complectitur omnem perfectionem, quippe quae non est nisi quaedam ratio essendi. Atqui certe materia in motu posita non est aeterna, ut ipsi mechanici et physici manifesto fuentur, quum motus aeternus omnino repugnet: neque est immutabilis, nam secus actum esset de ipso evolutionismo ac transformismo; multo minus est perfectissima: nam ens perfectissimum est immutabile, dum contra motus est *actus entis in potentia*, atque adeo carentis aliqua perfectione. Ergo materia improducta, quae per motum in diversas species evolvitur, repugnat. Ideoque agnoscenda est eius causa efficiens, sine qua nulla unquam evolutio haberi potest.

Prob. II p. — *Transformismus universalis repugnat.* — Iuxta ipsum omnis generatio et operatio viventium explicari deberet per purum materiae motum. Atqui hoc repugnat. Nam — *a*) iste motus existere nequit sine viribus a materia distinctis, ut alibi ostendimus: — *b*) motus corporum anorganicorum imperfectior est motu viventium, uti pariter vidimus, ac proinde insufficiens ad ipsum gignendum: — *c*) motus item viventium est diversus, et determinatam sibi causam vindicat, quae nequit esse solus motus, qui est prorsus indeterminatus et communis: — *d*) tandem, et hoc est maioris momenti, in homine, uti deinceps directe probabitur, reperiuntur operationes quaedam praesertim intellectivae et volitivae, quae nullo modo exercentur per materiae vires, ideoque explicari nequeunt per materiae evolutionem. Ergo praesertim ex hoc capite ipse prorsus repugnat.

Confirmatur ex falsis consectariis — Nam *a*) transformistae fere unice solliciti sunt explicare materialem similitudinem unius viventis cum alio et *probabilem* evolutionem organismorum, quin inquirant in naturam illius vis et activitatis, quae ad ipsam peragendam requiritur. Atqui vita non est in sola materiali structura, sed potius in illa vi et activitate

intrinseca, quae est tum ratio ipsius organismi tum causa phaenomenorum vitalium. Ergo ipsi propriam ac veram vitae rationem prorsus interimunt. — *b*) Item adnituntur explicare omnia phaenomena vitae et evolutionis specierum per solas leges mechanicas et chimicas, et aspernantur agnoscere causam istarum legum ac diversi finis in quem constanter tendunt. Atqui, lex causam exposcit, a qua in finem dirigitur, ac determinatur ad constanter agendum. Ergo idem ac prius. — *c*) Ipsi tandem eo perveniunt ut omnium rerum operationes, etiam hominum, ipsam societatis evolutionem et religionis cultum inferre conentur ex legibus evolutionis materiae. Atqui haec videtur ultima humanae mentis aberratio. Nam non modo tota historia pugnat contra hanc conclusionem, quae etiam destruit libertatem hominis, sed multa prava complectitur consectaria. Tunc enim omnia opera bona et mala essent aequa lance pensanda, omnes sententiae verae et falsae aequo iure amplectendae; omnes morales eventus societatis sive a nequitia sive a probitate hominum producti eadem ratione approbandi, virtus ac vitium, honor ac vituperium, amor et odium, bellum et pax, innocentia et impietas... omnia essent pura et mechanica evolutio materiae! Sed haec sufficit memorare ut refutata maneant, et maximam absurditatem sententiae ostendant, ex qua eadem profluunt.

115. **Sententia Haeckelii directe refutatur.** — Contra eum *ad hominem* ita arguere possumus. Ipse defendit transformismum universalem ob hanc praecipue rationem, ut reiiciat creationem; et ita ratiocinatur. — Ad explicandam generationem viventium et omnium phaenomenorum, aut debet admitti creatio aut transformatio universalis. Atqui creatio *debet* reiici, quia non est, vel melius non *debet dici* necessaria ad hanc generationem explicandam. Ergo *debet* admitti transformatio universalis. — Quare ita retorqueo argumentum. Ad explicandam generationem viventium et omnium phaenomenorum aut debet admitti creatio aut transformatio universalis. Atqui transformatio universalis prorsus repugnat, multis scatet absurditatibus, et si deducitur ad purum *monismum materialisticum*, est verus complexus omnium

absurditatum. Ergo ipsa est prorsus reiicienda, sed debet omnino admitti creatio seu causa superior, quae haec phaenomena progignat.

Minor nostri argumenti a nobis solide probata est; minor Haeckelii vero ab eo minime probatur, nec probari potest. Et sane, argumentum ad eam probandam conficitur vel *a priori* vel *a posteriori*. Atqui a priori confici nequit, quia nunquam inveniri potest a priori aliqua ratio, quae suadeat repugnantiam existentiae causae superioris, quae haec phaenomena producat. Imo *a priori* inspecta haec causa potius exigitur, vi principii rationis sufficientis et causalitatis, quod expostulat causam vere sufficientem istorum, et causa debet semper perfectior esse quam effectus. *A posteriori* vero, idest ex experimentis, inutile est expectare aliquod argumentum: tum quia id quod a priori repugnat, nunquam a posteriori evinci potest, tum quia, ut vidimus in th. XX, et inferius iterum monstrabitur, ex experientia nullum extat argumentum quod mutationem specierum suadeat praesertim ab uno regno in aliud. Ergo.

116. **Iudicium fertur sententiae Spencerii.** — Ea revera non meretur peculiarem refutationem, quum nullis solidis videatur innixa argumentis, sed potius dici posset divinatio, hypothesibus referta, ex eo orta, quod debeat necessario admitti transformatio, ut reiiciatur creatio, quae plena videtur contradictionibus. Et si forte quaedam facta experimentalia affert, ad suam sententiam suadenda, ipsa nunquam evincunt veram specierum transformationem, et multo minus ostendunt processisse ex sola materia ac motu.

Sed potius possumus advertere contra principia totius systematis: — *a*) Quod *falso innititur fundamento*, denegando nempe *rerum* obiectivum valorem conceptuum, qui a rebus hauriuntur et circa rerum essentias, prout in se sunt, versantur; qui proinde veritatem gignere debent absolutam, eandem in omnibus et non relativam; iuxta ea quae in logica docuimus (1). — *b*) Quod *plenam vim principii causalitatis* non agnoscit. Hoc enim exposcit: *a*) quod omnis ef-

(1) Cfr. quae ibid. fuse exposuimus praesertim in Th. II et IV, necnon Th. XLVI et XLVII.

fectus, seu quidquid novi est causam sui habeat; *β*) quod causa efficiens sit iam actu et perfectior quam effectus; ac proinde realiter distinguatur ab effectu, nam id quod nunc est, debet realiter distingui ab eo, quod nunc non est et postea fit; *γ*) tandem quod omnis effectus sit aliquo modo similis causae, quia causa debet certe in se continere perfectionem, quam communicat effectui vel formaliter, vel eminenter. Hinc sequitur quod ex effectibus cognoscimus tum existentiam causae, tum etiam eius naturam saltem aliquo modo (1). Atqui haec omnia Spencer videtur prorsus negligere imo etiam denegare. Ipse enim asserit utique existentiam ultimae causae omnium phaenomenorum, at simul addit causae naturam esse nobis imperviam, nec unquam cognosci posse. Dum contra non valet rite distinguere substantiam istius causae a substantia phaenomenorum, quae sunt eius effectus, et illam videtur potius considerare, tamquam causam materialem seu subiectum, in quo ista phaenomena accidunt. — Hinc *c*) videtur *fateri abnormem illum pantheismum*, qui tot contradictiones et absurditates in se complectitur (2). — *d*) Tandem destruit libertatem hominis, ac proinde tot illa prava consectaria in se continet, quae antea retulimus.

Accedamus modo ad argumenta expendenda, quibus adversarii suam sententiam communire nituntur. Interim seponimus argumenta ex experientia deprompta, utpote inferius examinanda, quaeque tamen, uti videbimus, nunquam valent

(1) Cfr. quae hac de re disseruimus in *Metaph. gen.*, *in* Th. XLIV et XLV.

(2) Qua ratione recte dici potest, Spencer fieri pantheismum, ita breviter exponit P. Urraburu l. c. p. 548. « Etenim quum Herbertus Spencer admittat existentiam supremi cuiusdam entis *Incognoscibilis*, per quod omnia existunt, manifestum est ex mente illius, *Incognoscibile* huiusmodi non esse causam efficientem mundi vel rerum in eo existentium. Sane tres hypotheses fieri posse docet circa originem universi: *a*) quod existat a se; *b*) quod seipsum creet; *c*) quod creetur ab externa quadam causa; primam hypothesim vocat *atheismum*, alteram *pantheismum*, tertiam *theismum*, omnesque tres ab Auctore reiiciuntur. creatio vero diversorum viventium fuse impugnatur, et excluditur, et in eius locum systema evolutionis eligitur, ac propugnatur. Ex quo manifesto sequitur *Incognitum*, secundum Spencerum, non posse esse auctorem rerum omnium, nisi per evolutionem, nempe pantheistico modo. Praeterea calor, lumen, affinitates chimicae, etc., immo affectus, sensationes, et cogitationes dicuntur *modi* vel modificationes *Incogniti*. Atqui haec doctrina iterum aperte sapit evolutionem pantheisticam unius cuiusdam realitatis, quae sub aliis formis veluti totidem accidentibus velata sese nobis contuendam praebeat in omnibus mundanis phaenomenis, sive spiritus nostri, sive corporeae realitatis ».

ostendere, quod haec transformatio fiat independenter ab omni causa superiori ac formali a materia distincta.

117. **Obiiciunt.** — I. Non est admittenda causa superior ad explicandam generationem viventium, si sola materia in motu posita per sui evolutionem sufficit ad ea generanda. Atqui revera materia sufficit, ut experientia docet. Ergo. — *R. D. M.:*... si supponitur ipsa materia increata ac perfectissima, *c.;* (sed nego suppositum, utpote absurdum, uti ostendimus) si supponitur creata, *n.;* (quia tunc saltem debet admitti causa, quae materiam creavit, et ordinavit in finem). — *Contrad. m.;* materia simul cum causa a qua creata est, *transeat;* sine illa causa, *n.;* — *dist. rationem additam*, experientia materialis seu pure sensibilis, *c.;* experientia scientifica, quae simul inquirit in causas phaenomenorum, *n.* — Et ita ruit hoc praecipuum Häckelii argumentum. Et sane ad explicandam generationem viventium non sufficit sola experientia sensilis phaenomenorum, sed necesse est eorum causam investigare, quae nempe sit vere sufficiens ad eadem progignenda.

II. Illa causa est sufficiens ad effectum obtinendum, qua posita effectus sequitur. Atqui posita materia in motu, quae sese evolvit, habentur diversa viventia. Ergo. — *R. D. M.:*... si ista causa ponitur sola, *c.;* si simul cum ea semper adest alia causa quamvis sensibus non usurpetur, *n.* — *Contrad. m.;* supposito concursu causae superioris ac principii formalis a materia distincti, *c.;* sine istis, *n.* — Ad hoc ut exhibeatur causa vere sufficiens alicuius effectus, non sufficit assignare causam illam *proximam* sensibilem, ex qua effectus immediate consequitur, sed omnino necesse est inspicere, utrum illa sit sola causa illius effectus, aut aliam praerequirat, quum ipsa sola sit prorsus insufficiens. Atqui revera vidimus, solam materiam, quae sese evolveret, esse causam prorsus insufficientem. Ergo.

III. Hypothesis creationum diversarum specierum est unum ex praeiudiciis primitivis generis humani. Atqui multa ex istis praeiudiciis inventa sunt aut falsa aut valde imperfecta. Ergo etiam hoc praeiudicium habendum est tamquam falsum aut saltem valde suspectum. — *R. D. M.;* est praeiudicium exortum ex aliqua falsa apparentia vel aliquo defectu cognitionis experimentalis, *n.;* est praeiudicium vel melius iudicium certum innixum in argumentis rationis validis et ineluctabilibus, *c.* — *Contrad. m.* Non enim satis est appellare aliquam sententiam *praeiudicium*, ut ea reiiciatur. Sed prius examinanda sunt argumenta, quibus ea demonstrari solet; quae si apparent nihil evincere, et ortum habere ex aliqua deceptione vel errore, tunc ius tribuunt vocandi sententiam illam merum praeiudicium. Et hoc nunquam praestiterunt, imo nec praestare poterunt adversarii nostri.

IV. Praeiudicium creationis singularum specierum est ex iis,

iuxta quae homines rudes solent singula phaenomena totidem causis ignotis adscribere. Atqui certe tale praeiudicium non videtur inniti solido argumento, sicut multa alia similia, quae iam seposita sunt. Ergo. — *R. N. M.;* vel si placet, *D.;* ita ut hoc idem iudicium admittatur etiam a sapientioribus ob rationes omnino solidas, *c.;* ita ut ab istis rationabiliter reiiciatur, *n.* — *Contrad. m.;*... Hoc argumentum non multum differt a priori. At hinc iam elicitur, quam arbitrarium sit systema Spencerii, qui his utitur rationibus ad suum oppositum systema adstruendum.

V. Creatio specialis organismorum vel est ex nihilo sui et subiecti, vel ex materia praeiacente. Atqui prima repugnat, quia involvit relationem inter ens et nihilum, quae repugnat, altera nequit intelligi, quomodo contigerit. Ergo. — *R. C. disiunctivam M.; — ad min., N.* 1am *p., et d. rat. additam;* involvit relationem realem..., *n.;* relationem rationis inter ens et nihilum, quae nullo modo repugnat, *c.* — *D.* 2am *p. m.;* nequit positive et intime explicari tota ratio, secundum quam ipsa contigerit, *c.;* nequit haberi aliquis conceptus, qui sufficit ad ipsam agnoscendam, *n.* — Creatio specialis organismorum potuerit contingere utroque modo, prout in maiori innuitur. Eligimus tamen alterum membrum, quia de facto hac ratione contigisse videtur. Nunc vero ineptum videtur dicere, quod intelligi nequit, quomodo ipsa locum habuerit. Tum quia hinc nullum habetur ius denegandi ipsum factum; tum quia revera comparari potest aliquis conceptus ipsius, uti inferius probabitur. Sed tandem potest forte melius intelligi generatio in doctrina transformistarum? Inspiciat quis, quot hypotheses arbitrarias ipse Spencer in medium profert, quot adhibet conatus ad investiganda indicia, quae sunt nullius momenti, ad suam thesim evincendam, ut appareat, quam inepte hoc argumentum ipse protulerit.

VI. Nemo unquam vidit specialem creationem ullius speciei. Ergo non est admittenda. — *R. D. A.;* nemo unquam suis sensibus eam usurpavit, *c.;* nemo potuit ratiocinando eius existentiam deducere, *n.* et *N. Cons.* — Sed potiori iure dici potest, quod nemo unquam vidit portentosa illa dogmata, quae ipse statuit ad suam doctrinam suadendam. At *negatur* consequentia; certissimum quippe est contra omnes positivistas, uti fuse docuimus in logica critica, experientiam non esse unicum fontem veritatis: imo innumeras esse veritates, quae nostram experientiam transcendunt, et ratio per viam analysis eas omnino tenendas esse demonstrat. Talis est creatio specierum.

VII. Inter species, quae dicuntur a Deo creatae, plures reperiuntur quae naturaliter inclinantur ad nocendum aliis, hinc perpetuae enascuntur rixae et sanguinis effusiones. Atqui hoc esset vertendum in insipientiam Creatoris, quod nefas est cogitare. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. primo et per se ordinantur ad conservationem sui, quacum secundario connectitur occisio alterius, *c.;* primo ordinantur ad nocendum aliis, *n.* — *Contrad.*

m.; si primo et exclusive ordinarentur ad destructionem aliorum, *c.;* si primo et per se ordinantur ad conservationem sui, *subd.;* si creator non posset etiam ex huiusmodi rixis et sanguinis effusione suum ultimum finem consequi, in quo maxime sua relucet sapientia, *c.;* si hoc potest obtinere, *n.* — Et praeprimis advertimus, modo nos praescindere a quaestione, quam ipse Spencer innuit; utrum Deus potuerit omnia simul ita componere, ut suum ultimum finem assequeretur, etiam sine tanta luctu ac sanguinis effusione. Hoc enim excedit munus nostrum, et forte dici posset cum S. Augustino: *numera stellas si potes*, ac dein audebis inquirere, utrum Deus potuisset ordinem viventium inter se melius statuere. Interea dicimus, certum esse quod viventia primo et per se non tendunt nisi ad conservationem sui, secundario vero ad aliorum destructionem, quae tamen in se non est illicita (1), quum possit aequo modo dirigi ad ultimum finem, nempe ad ordinem universi.

VIII. Multa dantur animalia inutilia imo homini obnoxia. Atqui indignum videtur sapientia creatoris ea directe creasse. — *R. D. M.;...* quatenus ignoramus quamnam utilitatem nobis afferant, *c.;* quatenus revera ad nullum finem tendant nobis et ipsi universo utilem, *n.* — *Contrad. m.;* si revera ad nullum finem vel nobis vel universo utilem tenderent, *c.;* secus, *n.* — Difficultati iam satisfecerat S. Augustinus, redarguens Manichaeos, qui idem iactitabant: « Solent, inquit, etiam istam manichaei movere quaestionem, ut dicant: Quid opus erat, ut tam multa animalia Deus faceret, sive in aquis, sive in terra, quae hominibus non sunt necessaria? multa etiam perniciosa sunt et timenda. Sed cum ista dicunt, non intelligunt, quemadmodum omnia pulchra sunt conditori et artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, qui summa lege dominatur. Si enim in alicuius opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat; et si multum est insipiens, superflua putat. Iamvero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, se ipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia existimat illi esse multa. Quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam eius irridet, et verba inepta non curans, officinam suam instanter exer-

(1) Huic difficultati iam occurrerat S. Augustinus, quem Spencer conferre potuisset « Dicet aliquis, ipse aiebat, cur ergo invicem bestiae nocent, quibus nec peccata ulla sunt, ut vindicta ista dicatur, nec ullam recipiunt tali exercitatione virtutem? Ideo nimirum, quia scilicet aliae cibi sunt aliarum. Nec recte possumus dicere: Non essent aliae, quibus aliae vescerentur. Habent enim omnia, quamdiu sunt, mensuras, numeros, ordines suos, quae cuncta merito considerata laudantur, nec sine occulta pro suo genere moderatione pulchritudinis temporalis, etiam ex alio in aliud transeundo, mutantur. Quod etsi stultos latet, sublucet proficientibus, clarumque perfectis est » *De Genesi ad litt.* l. 3, c. 16, n. 25. — Cfr. etiam quae hac de re habet P. Urraburu l. c. p. 559.

ect. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quae ignorant, sed cum ea viderint, credant esse necessaria et propter usus aliquot instituta: in hoc autem mundo, cuius conditor et administrator praedicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, et in operibus atque instrumentis omnipotentis Artificis volunt se videri scire, quod nesciunt » (1).

Thesis XXII.

Supposito Dei influxu una cum viribus ab ipso Deo materiae inditis, potuisset haberi absolute loquendo prima specierum productio per evolutionem materiae sive idealem, sive activam, sive passivam.

118. **Status quaestionis.** Quaestio, iam soluta, maioris erat momenti, quia praecipua ratio, cur tot conatus a recentioribus adhibiti sunt ad transformismum tuendum, in eo est, quod ipsi putent, posse inde faciliter inferre negationem omnis entis spiritualis.

Nihilominus alii exstant, qui professi existentiam Creatoris, adhuc tuentur, sub eius influxu posse quandam specierum evolutionem obtineri, et inter istos in primis ipse Darwin recensendus videtur; at non omnes huiusmodi influxum eadem ratione explicant.

Quare praestat hanc alteram aggredi quaestionem, ut rem sub omni respectu exploratam habeamus. Et istam iterum in duas distribuimus partes, ut innuimus in n. 113, 2° et 3°. — *Prior* est: supposito influxu creatoris, quomodo explicari potest *prima origo* diversarum specierum? — *Altera*: facta prima creatione diversarum specierum, potestne admitti *successiva* transformatio unius in alteram? — Priori quaestioni respondet thesis, quam hic defendimus.

Porro modo praescindimus a *quaestione positiva de facto primae productionis specierum* (2), sed dumtaxat inqui-

(1) *Contra Manich.* l. I, c. 16, n. 25.

(2) Hanc quaestionem theologis penitus committimus. Cum enim Sacrae Litterae primam rerum molitionem narrent, merito quaestio positiva de prima specierum productione ad revelationem divinam pertinere dicenda est.

rimus in intrinsecam possibilitatem diversarum rationum, secundum quas ipsa contingere potuerit. Sed praestat primo quaedam in tuto ponere

1° Ut ratum modo supponimus, materiam esse a Deo productam, ac viribus praeditam diversis iuxta diversas rerum species, et cum sua propria ac diversa *forma substantiali*. Sed in prima rerum molitione non una eademque forma toti materiae communis producta est, sed plures, secundum quas in primo rerum initio iam distinguerentur quaedam diversae species, diversis praeditae viribus. Ipsae vero potuissent ad invicem agere ac transformari, ita tamen ut nunquam formae perfectiores gignerentur per solam actionem formae imperfectioris.

2° Nihilominus vires quaedam alicuius formae concurrere possunt vel *dispositive* vel *instrumentaliter* vel *partialiter* ad generationem formae perfectioris, quum non repugnet effectus perfectior causa instrumentali vel partiali.

3° Qua de re quum de productione specierum viventium sermo sit, quamvis repugnet, unam produci ab alia imperfectiori, tamquam a causa adaequata; plane contingere potest, ut producatur ab ea tantum ut a causa dispositiva, instrumentali, vel partiali. Ac proinde omnino requiritur causa principalis, quae sit vel solus Deus, vel novae vires a Deo additae, vel aliae vires iam existentes sed nondum ad actum reductae. In hoc fundamento innituntur tres hypotheses in praesenti recensitae; quae communiores ac praecipuae videntur. Brevitatis causa non immoramur ad eas singillatim explicandas, quum opportunius videatur, explicationem exhibere in propria cuiusque demonstratione.

119. **Prob. I p.** — ...*non repugnat evolutio idealis*. - Haec evolutio esset creatio continua et successiva diversarum specierum viventium, quas Deus produceret per directum influxum in materiam ex ea educendo diversas formas proprias viventium, correspondentes diversis ideis diversarum specierum, iam antea in mente statutis. Atqui certe haec hypothesis nullo modo videtur repugnare. Haec enim reapse nulla est evolutio realis, sed tantum successiva crea-

tio secunda. Ergo (1). — Haec tamen hypothesis hoc sibi vindicaret ut, si forte ex palaeontologiae inventis reperiatur, diversas haberi species iuxta diversos terrae stratus, nullo modo dicendum foret istas ab iis oriri, quae propinquiores sunt, sed potius affirmari posset, eas forte dispositive cooperatas esse ad generationem novae formae, quae a Deo producta esset, ut a vera causa efficiente.

Dices I. — In hac hypothesi oporteret semper recurrere ad supernaturalem Dei influxum. Atqui philosophus debet explicare hanc generationem per ipsas naturae vires. Ergo. — *R. D. M.;*... i. e. ad influxum Dei miraculosum et extraordinarium, *n.;* ad influxum Dei directum et ordinarium ab eo statutum pro initio creationis, *c.* — *Contrad. m.;* i. e. non debet recurrere ad miracula extraordinaria, *c.;* non debet recurrere ad directum Dei influxum *subd.;* si ipsae naturae vires iam ponuntur productae, *c.;* si sermo est de ipsa productione virium seu formarum, ex quibus ipsae fluunt, *n.* — Concursus supernaturalis dicitur proprie ille, qui est extraordinarius et praeter naturae vires, sed si Deus statuerit velle creare successive diversas viventium species per directum influxum, iste iam non esset amplius extraordinarius.

II. — In opere creationis Deus requievit die septima. Atqui in hac hypothesi Deus non requievisset, sed adhuc perrexisset in opere creationis. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. requievit a prima creatione entium, *c.;* requievit ab omni opere et ulteriori concursu, *n.* — *Contrad. m...* Et primo advertimus, magnam esse controversiam in explicando nomen *dierum*, in quibus creatio accidit, unde sequitur, non esse tam facile explicare, quaenam sit dies illa septima, in qua Deus requievit. Sed hac modo controversia transmissa, certum est, quod Deus non ita requievit, ut ab omni opere et concursu sese abstineret; in primis enim Deus

(1) Iuvat addere hanc animadversionem, quam facit cl. Farges in confirmationem huius hypothesis, *La Vie et l'évol.*, p. 208-209. « Lorsque nous visitons quelqu'un de ces musées où sont rangées par ordre chronologique toutes les œuvres de l'industrie ou de l'art, depuis la flèche du sauvage jusqu'au fusil à aiguille et au canon rayé, depuis l'humble brouette jusqu'à la locomotive la plus perfectionnée, nous sommes bien forcés de reconnaître que ce progrès continu à travers les siècles est le résultat d'une *évolution idéale*, et nullement d'une descendance généalogique. Dans le règne minéral, ne voyons-nous pas de même une véritable gradation, par exemple, dans les formes de plus en plus complexes des cristaux, que personne n'a jamais songé à attribuer à un progrès héréditaire?

« Oh! qui oserait refuser à la puissance divine le pouvoir de produire dans le règne vivant, par un seul acte de sa volonté, des séries de créations continues et progressives! L'*évolution idéale* serait donc une première explication possible et strictement suffisante; c'était l'opinion d'Agassiz ».

debet omnia conservare, et haec *conservatio* est *continuata creatio;* deinde adhuc creat animas hominum, quando eas in corporibus infundit. Unde etiam D. N. I. C. aiebat: « Pater meus usque modo operatur et ego operor ». Ergo...

III. — Deus certe creavit omnes species entium. Atqui creatio est sine praeiacente materia. Ergo — *R. D. M.;* creavit in uno instanti, *n.;* successive, *c.* — *Contrad. m.;* quando eus creatur in uno instanti, *c.;* quando creatur successive, *n.* — Ad hoc ut dicatur Deus creasse diversas entium species, omnino sufficit asserere, quod ipse prius creaverit materiam, ac deinde ex ea eduxerit diversas formas, constituentes diversas species, et in hoc stat propria ratio creationis successivae.

120. **Prob. II p.** — ... *non repugnat evolutio activa.* — Haec evolutio in eo est, quod *Deus omnia simul creavit sed in statu virtuali,* quatenus materiae indidit diversas vires fere similes iis, quae in semine reperiuntur, quae deinde evolutae sunt, et constituerunt diversa illa viventia, quae postea cum pleno suo organismo apparuerunt. Atqui haec hypothesis certissime non repugnat (1). Et sane, hoc in casu dicendum foret, vel Deum initio creasse diversas formas proprias viventium, quae prius fuissent in materia in statu latente, sicut formae vegetativae sunt in semine, (iuxta ea quae antea praestituimus n. 67-69), ac deinde pedetentim in actum vitae exierunt: vel forte quasdam tantum formas cum diversis inclinationibus ad species perfectiores, ita ut transeundo per diversas species inferiores, ut scholastici docebant fieri in semine, pervenirent ad statum proprium,

(1) Huc redit sententia quam refert P. Wasmann, l. c., p. 241-242, « Se si dicesse che i primi esseri viventi sono stati originati dalla materia non ancora organizzata mediante una forza di formazione posta dal Creatore della protomateria nella materia stessa (il che si potrebbe verificare soltanto in certe condizioni fisico-chimiche ad onta del fatto che la sostanza viva sta al di sopra delle leggi della materia inorganica), allora contro una simile interpretazione della generazione spontanea non si potrebbe obbiettare ch'essa è impossibile, e che è in contraddizione con l'essenza della materia vivente; si potrebbe tutt'al più dire che essa sorpassa la possibilità di quanto noi possiamo pensare, perchè i fenomeni attuali non danno più tali processi. Sarebbe inoltre incomprensibile il fatto che oggi non conosciamo qual'è l'essenza della vita, cioè il fatto che non sappiamo spiegarci la vita con le leggi fisico-chimiche.

« Ma non si dimentichi che una tale generazione spontanea sarebbe essenzialmente diversa da quella che forma il postulato principale del monismo materialistico. Questi vorrebbe che la materia inorganica avesse formato in sè stessa i primi organismi e perciò si pone in contraddizione con i fatti biologici ». Cfr. etiam quae habet in p. 283, 284.

nempe suae primae inclinationi debitum, vel etiam quin istas species constituerent, ad ipsum tenderent eadem ratione ac evolvitur semen. Atqui talis evolutio non repugnat, ut in ipso semine evidens habetur exemplum. Ergo l. c.

Praeterea, ut recte arguit P. Pesch (2) « nescio cur ulli incredibile inopinatumque videri possit, si res elementares, quas Deus in prima rerum creatione effecerit, per vires a natura sibi inditas *active* cooperari potuisse dicamus ad mundi efformationem *ideoque etiam ad viventium productionem*), dummodo ponatur, Deum ad hoc primitus eis dedisse convenientem motum localem, convenientem distributionem in spatio, convenientesque dispositiones ceteras (*et praesertim vires aptas ad materiae transformationem*) (3).

121. **Sententia S. Augustini.** — Haec hypothesis videtur praeformata a S. Augustino, qui, ut explicaret, quomodo Deus omnia simul creavit, prius ostendit, qua ratione in seminibus inveniuntur ipsa viventia, deinde addit: « Sicut autem in ipso grano invisibiliter erant omnia simul quae per tempora in arborem surgerent; ita ipse mundus cogitandus est, cum Deus simul omnia creavit, habuisse simul omnia, quae in illo et cum illo facta

(1) Hanc sententiam tuetur etiam P. Hugon, O. P., *Philos. natur.*, p. II, Tr. I, q. II, a. II, n. V, ubi reiecta generatione spontanea in sensu evolutionis passivae absque ullo divino influxu, addit: « Aliquo tamen sensu possibilis est generatio spontanea, nempe in sensu evolutionis activae, non enim implicat ut quod virtute in alio continetur, fiat actu per spontaneam evolutionem, seu per naturalem transitum de potentia in actum. Sed potuisset efficere Deus ut vita contineretur in materia virtute et quasi seminaliter. Ergo tunc non implicaret, vitam spontaneo ex materia, per naturalem transitum, de potentia in actum, oriri.

(2) *Philos. naturalis*, n. 551, 3.

(3) Porro quamvis hoc argumentum nihil evinceret si inspicerentur *tantummodo* vires, quas actu nunc corpora exhibent, plane tamen probat, si agnoscuntur determinatae quaedam tendentiae in corporibus, ab auctore naturae inditae, ut in perfectiores species evolverentur, redigendo in actum vires quasdam virtualiter iam existentes. Istae vires eae essent, quae *virtutes seminales* a quibusdam appellantur: quippe quae ita inessent materiae, ut exposcerent dispositiones quasdam ac determinatas conditiones, ut ad actum reducerentur. Ac proinde quousque hae conditiones desiderantur, illae vires nequeunt reduci in actum, eodem pacto ac vires quae sunt in semine. Quum autem agentia extrinseca eiusmodi influxum exerunt in materia, ut eam disponant aptamque reddant ad exercitium illarum virium, istae ad actum perducuntur, et sic enascitur nova species exhibens has determinatas vires. Ea tantum instrumentaliter vel partialiter ab illo agente extrinseco produceretur, et principaliter a forma extrinseca ac praedita illa vi nondum ad actum reducta.

Cfr. hac de re Suarez, *De opere sex dierum*, L. I, 1, c. 7, n. 11; et L. II, c. 10, n. 11, et P. Pesch, l. c., n. 574, 575.

sunt, quando factus est dies : non solum coelum cum sole et luna et sideribus, quorum species manet motu notabili, et terram et abyssos, quae velut inconstantes motus patiuntur, atque inferius adiuncta partem alteram mundo conferunt, sed etiam illa quae aqua et terra produxit potentialiter atque causaliter, priusquam per temporum moras ita exorirentur, quomodo nobis iam nota sunt in eis operibus, quae Deus usque nunc operatur » (1). Et paulo antea loquens de productione insectorum, « quae de animalium gignuntur corporibus et maxime mortuorum, ait, absurdissimum esse dicere tunc creata, cum animalia ipsa creata sunt : nisi quia ingrat iam omnibus animatis corporibus vis quaedam naturalis, et quasi praeseminata et quodammodo liciata primordia futurorum animalium, quae de corruptionibus talium corporum pro suo quaeque genere ac differentiis erant exortura, per administrationem ineffabilem, omnia movente incommutabili Creatore » (2).

Hanc eandem opinionem refert S. Th. (3), quin eam improbet. « August. dicit quod causaliter tunc dictum est produxisse terram, herbam et lignum; id est, producendi accepisse virtutem. Et hoc quidem confirmat auctoritate Scripturae. Dicitur enim Gen. II, 4) : *Istae sunt generationes coeli et terrae, quando creatae sunt, in die quo Deus fecit coelum et terram et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret.* Ante ergo quam orirentur super terram, factae sunt causaliter in terra. Confirmatur autem hoc etiam ratione : quia in illis primis diebus condidit Deus creaturam originaliter, vel causaliter, a quo opere postmodum requievit; qui tamen postmodum secundum administrationem rerum conditarum, per opus propagationis usque modo operatur. Producere autem plantas ex terra ad opus propagationis pertinet. Non ergo in tertia die productae sunt plantae in actu, sed causaliter tantum » (4).

Dices I. — Formae propriae viventium diversas exigunt dispositiones in materia. Atqui dici nequit quod in materia primitus creata iam aderant omnes huiusmodi dispositiones. Ergo. — *R. D. M.;...* quando gaudent pleno vitae exercitio, *c.;* quando sunt etiam in statu latente, *subd.;* dispositiones proprias diversorum organismorum, *n.;* illas quae sufficiunt ut habeatur saltem vita

(1) *De Genesi ad litt.*, L. V, c. XXIII, n. 45.

(2) Ibid., L. III, c. XIV, n. 23; cfr. etiam c. 4 et 5.

(3) I p., q. 69, a. 2.

(4) Bene advertit quoad hanc hypothesim cl. Farges. « Cette évolution exceptionnelle de certaines cellules aurait l'avantage de reculer un peu plus loin l'intervention directe de Dieu — avantage qui à nos yeux est bien mince et insignifiant — mais elle aurait surtout celui de ne pas contredire la loi de la fixité naturelle des espèces, et d'éviter la pluspart des critiques que nous allons adresser à l'évolutionisme universel et au transformisme restreint », l. c., p. 225.

in actu primo vel in statu latente, *c.* — *Contrad. m.:* non aderant priores dispositiones, *c.;* neque istae aliae, *n.* — Nam nos revera ignoramus, quaenam sint istae dispositiones *prorsus necessariae*, ut habeatur vita in actu primo. Ideoque non possumus asserere *a priori*, utrum ipsae in materia adsint vel non. Sed si semel ostenditur, quod primitus erant in materia huiusmodi diversae formae, concludendum est, quod ibi erant necessariae dispositiones, quamvis forte non valeamus ostendere, quaenam ipsae esse debuerint.

II. — Opera Dei perfecta sunt. Atqui si creasset tantum materiam cum illis viribus, productio specierum non fuisset opus perfectum. Ergo. — *R. D. M.;* quatenus dat rebus omnia necessaria ad suum finem consequendum, *c.;* quatenus omnia producit in suo pleno et ultimo complemento, *n.* — *Contrad. m.;* i. e. non haberentur in materia omnia necessaria ad finem consequendum, *n.;* non essent omnes species in suo ultimo complemento, *c.* — Et hoc nullo modo refragatur potentiae ac sapientiae Dei, qui quum posset omnia facere solus, gaudet potius creaturis activitatem communicare, ut iis utatur tamquam instrumentis, ad diversos effectus consequendos.

122. **Prob. III p.** — *non repugnat evolutio passiva.* —Iuxta hanc hypothesim prius creata fuissent materia et quaedam species viventium imperfectiores, deinde paullatim Deus eis indidisset diversas vires, secundum diversas circumstantias, in quibus reperiebantur, ut deinde in novas species perfectiores evolverentur. Atqui neque haec hypothesis repugnare videtur: nam iuxta ipsam novae inditae a Deo vires essent semper causa sufficiens eductionis novarum formarum, quae forent propriae specierum perfectiorum. Ergo (1).

Dices I. — Iuxta hanc hypothesim species non essent amplius immutabiles. Atqui hoc nequit admitti. Ergo. — *R. D. M.:*...

(1) D. Gaudry, qui hanc hypothesim tuetur, affert etiam hanc rationem convenientiae in eius confirmationem. « Pourquoi, ipse ait, l'infinite sagesse aurait-elle détruit toutes les espèces qu'elle a formées? Les premiers êtres qu'elle a organisés lui ont servi à faire ceux qui ont suivi; il lui a suffi de les modifier peu à peu, très légèrement, pour amener la variété des formes qui se sont déroulées pendant les âges géologiques ». *Les ancêtres de nos animaux*, p. 161. Praeterea de hac hypothesi ita recte loquitur R. D. Hy, professor in Academia catholica in Angers. « C'était bien la pensée de M. l'abbé Vey, professeur aux facultés catholiques d'Angers, lorsqu'il écrivait naguère. « Ainsi entendu comme un simple moyen de création, qu'il a plu à Dieu de choisir de préférence à d'autres, la génèse des organismes de parents communs n'a rien d'irréconciliable avec les plus saines notions philosophiques ou avec les dogmes révélés » (Rev. des fac. cath. d'Angers, *Les plantes fossiles*, avril, 1895, p. 588).

species iam constitutae post plenam productionem ac formationem diversarum specierum non essent immutabiles, *n.;* species quaedam in prima productione earundem, *c.* — *Contrad. m.;* species debent esse immutabiles in ipsa prima productione earundem, *n. donec probetur*, post plenam constitutionem omnium, *transeat* (hoc enim inferius erit discutiendum). Imo, uti bene advertit D. Gaudry, ita melius affertur ratio, cur quaedam species vetustioris aetatis nunc amplius non reperiantur inter viventia.

II. — Haec hypothesis videtur incidere in transformismum. Ergo est reiicienda. — *R. D. A.;...* in transformismum atheum et universalem, *n.;* in transformismum mitigatum sub Dei influxu, *subd.;* dumtaxat quoad primam productionem specierum, *c.;* in transformismum iugem, *n.*

III. — Deus debet dici auctor distinctionis diversarum specierum. Atqui in hac hypothesi potius evolutio materiae esset causa huius distinctionis. Ergo. — *R. D. M.;...* vel causa mediata vel immediata, *c.*; tantum immediata et unica, *n.* — *Contrad. m.;...* esset causa unica, *n.;* esset causa instrumentalis, *c.* — Certum est, Deum ipsum esse auctorem distinctionis creaturarum. At non est aeque certum, qua ratione Deus hanc distinctionem peregerit, utrum nempe mediate vel immediate, quum revera utroque modo eam in actum traducere potuisset. Imo neque fides hac de re aliquid docet: uti testatur etiam S. Th. « Circa mundi principium aliquid est quod ad substantiam fidei pertinet, scilicet mundum incepisse creatum, et hoc omnes sancti concorditer dicunt. Quo autem ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cuius veritatem diversa expositione sancti salvantes, diversa tradiderunt » (1).

123. **Quaeres.** — *Quaenam ex istis hypothesibus videtur saltem probabilior? — Respondeo.* — Si rem *a priori* inspicimus, videtur probabilior sententia S. Augustini, nempe *evolutio activa*, hac tamen ratione intellecta. Videlicet Deus prius creaverit materiam et quasdam diversas species sive pro regno vegetali, sive pro regno animali; ita ut vel in quibusdam speciebus, vel in quibusdam *tantum individuis* quarundam specierum, peculiares indiderit vires, ut in species perfectiores sese evolverent, quousque pervenissent ad statum proprium illis viribus respondentem. Ex hac enim hypothesi sequeretur: *a*) quod Deus initio omnia creaverit, una cum distinctione diversarum specierum saltem in virtute, ac proinde creatio diversarum specierum semel facta esset. — *b*) Quod illae species, vel illa individua perfectio-

(1) II, S. D. 12, q. 1, a. 2. — Praeterea ut ait etiam P. Pignataro, *De Deo Creatore*, p. 177. « Neque aliquis sensus textuum Scripturae, qui hanc quaestionem respiciunt, ab Ecclesia determinate tenetur ».

ra diversarum specierum, iam ab initio habuerint determinatam inclinationem ad perfectiores species constituendas. — *c*) Haec autem transformatio necessario non requireret arctum illum nexum inter diversos gradus viventium, quem physiologi expostulant. — *d*) Tandem in hac hypothesi facillime explicarentur omnia illa facta experimentalia, quae Darwin et alii transformistae adinvenerunt, quin necesse foret eorum sententiam sive transformismi athei, sive mitigati, sed continui et universalis, agnoscere, uti mox videbimus. — Quare cum ista consectaria, quae certe videntur omnino suasibilia, facilius ac perfectius cohaereant cum hypothesi evolutionis activae, haec videtur prae aliis probabilior (1).

Thesis XXIII.

Quamvis metaphysice loquendo non appareat repugnare transformatio materialis unius speciei in aliam, physice tamen spectata, iuxta vires, quibus naturae rerum ornantur, repugnare videtur.

124. **Status quaestionis.** – Inquirendum nunc occurrit, utrum verum sit quod a multis cum Linneo asseritur: « tot nunc species (2) sunt, quot ab initio creavit infinitum ens »; vel potius dicendum: « nunc species numero plures sunt iis, quas ab initio Deus creavit ». Profecto si hoc alterum asserere fas est, quoniam nemo agnoscit novas veras successivas creationes aliarum specierum, plane consequitur, eas ortas esse per evolutionem ex aliis. Merito ergo inquiritur: estne hoc possibile? et quomodo? Et si forte possibile est, contigerit etiam de facto?

(1) Quare de hac hypothesi recte dici potest quod advertit Farges: « L'évolution des espèces aurait-elle existé, ne saurait supprimer les nombreux arguments qui nous prouvent la contingence du monde et la nécessité d'un Etre nécessaire. Bien plus, l'évolution des espèces si elle avait eu lieu, serait elle-même une merveille nouvelle, d'ordre et d'harmonie, qui viendrait s'ajouter à toutes les autres merveilles d'ordre par lesquelles nous prouvons la nécessité d'une intelligence ordinatrice. Elle confirmerait la nécessité de cet ordinateur bien loin de la supprimer; et bien loin de supprimer la création, elle serait un des modes de la création ». *Annales de philosophie chrétienne*, décembre 1897, p. 324.

(2) Melius dicendum videtur: *tot species nunc sunt*, quam *tot numeramus*. Nam numeratio nostra fallibilis est ac mutabilis secundum progressum scientiarum experimentalium, quae ostendere possunt vel quasdam species diversas ab aliis adinveniri vel easdem cum quibusdam aliis. At ipsae in se semper eaedem sunt, sive recenseantur similes cum aliis, sive non. Et quaestio praecise est, utrum nunc *in se sint* tot, quot ab initio Deus creavit.

Quare tres distinguimus quaestiones: alteram *metaphysicam*, alteram *physicam*, tertiam *positivam* seu experimentalem. In praesenti thesi duas priores solvendas aggredimur.

In priori parte loquimur de intrinseca et absoluta possibilitate transformationis materiae, seu organismi unius speciei in aliam, non per ipsas vires naturales in ea exsistentes, sed per quascumque vires, additas prioribus. Et asserimus, non repugnare, novis hisce viribus adhibitis, etiam miraculosis, si opus est, ut organismus alicuius viventis ita transformetur, ut valeat actuari a forma substantiali alterius speciei (1).

In altera vero asserimus hoc esse impossibile per solas vires naturales actu existentes in unoquoque vivente, et addimus, hanc quaestionem non pertinere tantum ad campum experimentalem, sed etiam ad campum philosophicum.

Nam quamvis philosophus determinare nequeat omnes ac proprias vires specificas individuorum eiusdem speciei, iure tamen statuere potest limites, ultra quos vires quaedam naturales rerum iam ratae porrigi nequeant. Hoc pacto philosophus determinare valet repugnantiam vel impossibilitatem physicam alicuius phaenomeni naturalis, quod forte metaphysice non repugnat. Ita e. g. physice repugnat quod mortuus in vitam redeat, dum metaphysice nullo modo repugnat.

Iamvero repugnantia physica in eo est, quod vires naturales alicuius viventis impares sint ad mutandum indivi-

(1) Ideoque nostrae sententiae non videtur opponi quod asserit P. Urraburu, l. c., p. 500: « Cum species viventium essentialiter mutari nequeant, aut in alias transformari, systema evolutionis et transformismi generatim et in se inspectum falsum omnino reputari debet ». Nam revera ipse in hac thesi non distinguit quaestionem metaphysicam ab experimentali, uti patet ex argumentis, quae affert, praesertim ex 50. Imo ipse idem concedit, quod ob *peculiare Dei iuvamen* posset hoc contingere. Ait enim ibid., p. 503: « Quod si transformistae admitterent altius aliquod atque indebitum iuvamen, causis inferioribus a Deo concessum, facile quidem praedicta transformatio specierum dari posset; id tamen naturaliter fieri nequit, et miraculum importaret, nec iam amplius doctrinam saperet transformismi, qualis ab eius assertoribus obtruditur ». Atqui certe si metaphysice transformismus repugnaret, neque per aliquod peculiare Dei iuvamen posset contingere. Ergo... Non videtur tamen quod tunc dicendum foret, miraculum contigisse, saltem sensu strictiori, quum non requirerentur vires supernaturales, sed tantum novae seu extraordinariae at semper ordinis naturalis.

duum quoddam in aliam speciem vel ad generandum individuum speciei perfectioris, uti statim ostenditur (1).

125. **Prob. I p.** — Generatio spontanea metaphysice loquendo certe non repugnat, ut vidimus in *Scholio* sub n. 101, expendendo sententiam Scholasticorum et in n. 103, V. Ergo multo minus repugnat transformismus. — *Prob. consequentia.* — In generatione spontanea aliquod vivens gigneretur a materia non vivente: in transformismo una species vivens gigneretur ab alia specie vivente. Atqui minor est distantia inter unam speciem viventem et aliam speciem viventem, quam inter vivens et non vivens. Ergo minus repugnat transformismus, quam generatio spontanea. — Hinc etiam sequitur quod transformismus specierum in eodem regno minus repugnat, quam transformismus in regnum animale a regno vegetali.

Quoad hominem vero etiamsi forte non repugnet, quod suus organismus potuerit gigni per transformationem ex organismo animalium inferiorum, certum omnino esse debet, quod eius anima a Deo creatur in unoquoque individuo, quando materia est apta ad eam recipiendam.

Dices I. Si transformismus posset contingere, nihil foret certum in scientiis psychologicis ac physiologicis. Atqui hoc est maximum absurdum. Ergo. — *R. N. M.;* vel si placet, *D. M.;* si ipsa species abstracte spectata transformaretur in aliam, *c.;* si individua unius speciei transformarentur in individua alterius, *n.* — Et sane omnis scientia per se considerat rationes specificas individuorum in se et abstracte spectatas, quae semper eaedem manent. Nunc vero si contingeret transformismus specierum, sequeretur tantummodo quod individua unius speciei generarent individua alterius speciei, et tunc istis individuis applicarentur principia propria istius speciei non autem prioris. At ipsa principia scientiarum in se eadem semper manerent. Ergo....

II. Conceptus universales objectivi necessario requirunt in rebus naturas multiplicatas, quae semper eaedem manent. Atqui

(1) Hinc liquet immerito quosdam succenseri contra P. Wasmann, eo quod ipse agnoscit *philosophice loquendo* possibilitatem evolutionis specierum. Eius enim verba rite explicari possunt, si de metaphysica possibilitate sermo sit. Cfr. quae ait, l. c., p. 283.

Qua de re si quid forte in hoc auctore reprehendi poterit, in eo esse videtur, quod non distinguens inter possibilitatem transformismi metaphysicam et physicam, utramque agnoscit, quum asserat philosophice loquendo, possibilem esse evolutionem specierum

in hypothesi transformismi naturae non manerent eaedem. Ergo conceptus non essent obiectivi, quod est maximum absurdum. — *R. D. M.;...* naturas reales quae in se semper eaedem manent, quando reperiuntur in individuis, *c.;* ita ut ipsa individua deberent habere semper eandem naturam nec possent generare alia individua diversae naturae, *n.* (Nam certe quando vivens moritur, suam naturam mutat). — *Contrad. m.;* ipsae naturae non essent eaedem in illis individuis, in quibus reperiuntur, *n.;* illa individua forte non haberent semper eandem naturam vel generarent individua alterius naturae, *c.* et *N. Cons.* — Et distinctio non videtur indigere declaratione, suppositis iis, quae in Log. crit. de obiectivo valore conceptuum universalium disseruimus, in thesi XII, XIII, et in n. 87, II (1).

III. Omnis potentia generativa est limitata ad generandum individuum suae speciei. Atqui in transformismo ipsa extenderetur ad generanda individua alterius speciei. Ergo. — *R. D. M.;...* ordinarie loquendo et ratione suae virtutis, *c.;* ita ut repugnet, advenientibus extrinsecis circumstantiis, posse quandoque ita immutari ut valeat generare individuum alterius speciei, *n., donec probetur.* — *Contrad. m.;...* ordinarie ac vi suae virtutis..., *n.;* vi circumstantiarum extrinsecarum, quae simul concurrerent, et extraordinarie, *c.* — Difficultas hoc unum probat; transformismum nempe non posse admitti tamquam ordinarium generationis modum. At hinc nondum deduci potest eius metaphysica atque intrinseca repugnantia, sed forte iam insinuatur ratio repugnantiae physicae, de qua statim loquamur oportet.

126. **Prob. II p.** — I. Omnis vis generativa alicuius viventis est ordinata ad generanda individua eiusdem spe-

(1) Sed placet hoc idem confirmare auctoritate et argumento D. Guibert, l. c., p. 151, qui simul in confirmationem nostri asserti ipsa principia scholasticorum et S. Th. affert: « Soit, ipse ait, les essences sont invariables en elles-mêmes; mais l'Ecole tient pour certain qu'une essence peut céder la place à une autre essence. Quand, par exemple, l'oxigène et l'hydrogène se combinent pour former de l'eau, l'Ecole ne dit pas que les essences de l'oxygène et de l'hydrogène se modifient, mais qu'elles disparaissent pour céder la place à un autre, celle de l'eau. Lorsque saint Thomas enseigne que, dans son développement embryogénique, l'homme a d'abord (post formam spermatis) une âme végétative, puis une âme sensitive, puis une âme spirituelle, sa pensée n'est pas que chacune de ces âmes se modifie et se transforme en une âme supérieure, mais bien que l'âme inférieure disparaît (*reducitur in potentia materiae*) pour faire place à une autre (*quae educitur ex potentia materiae*). Or il y a substitution d'essence au moment où il y a substitution de forme substantielle. Donc l'invariabilité intrinsèque des essences n'entraîne pas la permanence des êtres dans un premier état. Si l'observation montre que, dans le cours des temps, un être a subi de profondes transformations, vous pourrez dire que des formes substantielles nouvelles surgirent (*ex potentia materiae*), à mesure que des états morphologiques nouveaux furent produits par les milieux ».

ciei; ideoque nequit generare individua alterius speciei, nisi evadat vis propria illius speciei: effectus enim semper similis suae causae sit oportet. Atqui nequit nova vis generativa haberi, nisi nova quoque anima vivens habeatur, et nullum vivens potest secundum vires naturales amittere priorem animam et aliam acquirere, seu, quod idem est, prius mori et deinde ad vitam redire cum anima novae speciei. Ergo physice repugnat evolutio specierum.

II. Praeterea confirmatur sequenti argumento S. Th. qui ostendit, quod etiamsi possibile foret angelum evadere similem Deo, « hoc esset contra naturale desiderium. Inest enim unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse; quod non conservaretur si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res quae est in inferiori gradu naturae, potest appetere superioris naturae gradum: sicut asinus non appetit esse equus; quia si transferretur in gradum superioris naturae iam ipsa non esset. Sed in hoc imaginatio decipitur; quia enim homo appetit esse in altiori gradu quantum ad aliqua accidentalia, aestimatur quod possit appetere altiorem gradum naturae, in quem pervenire non posset, nisi esse desineret » (1). Unde Cicero aiebat: « Est tanta vis naturae, ut homo non velit nisi homini similis esse. Et quidem formica formicae » (2).

Videlicet omne ens etiam vivens tendit ad perseverandum in suo esse ipsumque communicandum aliis simile sibi. Atqui haec tendentia opponitur mutationi unius speciei in aliam, vel generationi individui alterius speciei. Ergo.

III. Insuper anima entium materialium non producitur nisi in materia disposita. Atqui materia disposita est tantum semen foecundatum a parentibus, qui proinde nequeunt eam disponere nisi ad generandam animam eiusdem speciei. Ergo si admitteretur mutatio speciei, sive in ipso individuo sive per viam generationis, agnoscendus esset alius modus productionis animae, qui exurgeret ex agentibus extrinsecis, ex selectione, ex lucta et huiusmodi. Atqui iste modus physice repugnat, quum semper haberetur causa physice impar ad productionem novae animae. Ergo.

(1) S. Th., I p., q. 63, a. 3.
(2) *De natura deorum*, l. I, c. 28.

IV Tandem aliud argumentum desumi potest ex thesi seq., et ita confici. Si physice non repugnaret materialis evolutio specierum, ipsa quandoque saltem habita fuisset. Atqui, ut constans experientia docet, a remota usque aetate, nunquam ulla habita est specierum evolutio. Ergo — Vel alio modo. — Quod experientia docet nunquam accidisse in rerum natura, dicendum est repugnare praesentibus naturae viribus, quum admitti non possit virtus naturae, quae nunquam reducatur ad actum. Atqui experientia docet, nullam dari specierum evolutionem. Ergo.

Dices: Ex istis argumentis, si probarent, sequeretur potius metaphysica repugnantia. Atqui haec non admittitur. Ergo. — *R. D. M.:...* metaphysica repugnantia per solas naturae vires, *c.;* etiam per alias vires a Deo additas prioribus, *n.* — *Contrad. m.* — Libenter concedimus, solas naturae vires impares esse ad speciem mutandam, ac proinde hac ratione metaphysice repugnare specierum evolutionem. At hinc non sequitur *absoluta* et intrinseca eius repugnantia, uti ostendimus in priori parte; quum plane haberi possit transformatio per alias a Deo indifas vires, quod nullo modo repugnat. Quocirca hae duae partes sese complere videntur et omnem arcent timorem, ne per nova experimenta a nostra sententia recedendum sit.

Instas: Magnum videtur inconveniens et philosopho indignum recurere ad novas vires a Deo additas. Ergo. — *R. D. A.:* si sermo est de ipsa rerum creatione etiam secunda, *n.;* post completam creationem, *subd.;* si ostenderetur haec specierum evolutio fuisse factum quoddam ordinarium, *c.;* (sed nego suppositum) si factum tantum extraordinarium, *n.* — Profecto si forte deprehenderetur in antiquissima aetate quaedam specierum evolutio, nil vetaret dicere, eam respicere ipsam specierum creationem, dummodo tamen primam rerum molitionem attingeret: et tunc res explicari posset iuxta unam e tribus hypothesibus in thesi superiori propositis. Si vero in aetate posteriori, praesertim post hominis creationem, hoc advenisse ostenditur, asserere non dubitamus, ipsum certe demonstrari non posse tamquam factum ordinarium, sed tantum uti extraordinarium, quamvis hoc quoque nunquam contigisse videatur. Sed hoc clarius patebit ex iis, quae mox explicanda veniunt.

Thesis XXIV.

Transformatio materialis unius speciei in aliam omni experientiae hucusque habitae prorsus refragatur.

127. **Status quaestionis.** — Quaestionem restringimus ad *veram specierum naturalium mutationem*, quia modo praescindimus ab alia inter recentiores etiam catholicos agitata de mutatione specierum *systematicarum*, de qua inquirendum erit, utrum sit *vera mutatio specierum*.

Et ratio dubitandi ex eo enascitur, quia magna extat difficultas in determinanda propria ratione speciei. Siquidem omnes in logica fatentur, speciem constitui per differentiam ultimam, quae oritur a forma, quaeque proinde specifica appellatur, eamque nos non posse dignoscere nisi ex proprietatibus specificis (1). At nunc quaeritur, quaenam sunt in viventibus proprietates illae specificae propriae diversarum specierum, ex quibus differentia specifica argui potest? Et haec quaestio nullo modo facilem se prodit (2): dum vero qui eam non solvit, perperam aggreditur quaestionem positivam de vera specierum mutatione absolvendam.

Iam age, ut a certioribus exordiamur: primo indubium est viventia, quae pertinent ad regnum vegetale, ad regnum animale et ad speciem humanam, specifice inter se differre, ita ut nemo sit sanae mentis, qui de hoc dubitare valeat. — Praeterea certum quoque est, non omnia viventia, quae a physiologis, zoologis ac botanicis dicuntur specifice differre, revera diversas constituere species, cum quaedam efforment diversas stirpes (razze), eo quod proprietates diversae, quibus gaudent, sunt potius accidentales (3). Hinc enascitur quaestio, quomodo percipere possimus, quod quaedam viventia praesertim eiusdem regni pertineant tantum ad *diversas stirpes* sed ad *eandem speciem*, alia vero omnino ad diversas species (4).

(1) Confer quae hac de re exposuimus in Log. crit.; in Metaph. generali, Th. XXVIII; et in Cosmol., n. 125, Th. XVIII.

(2) Hoc idem aperte fatetur cl. Farges, l. c., p. 213.

(3) Hoc advertit etiam Milne-Edwards, *Leçons sur la physiologie*, tom. 14. p. 319.

(4) Ideo merito cl. Farges advertit, p. 214. « Un criterium absolu et définitif pour juger si deux êtres ne sont pas de même espèce, et pour distinguer

Distinctio specierum. — Iamvero criterium ad hanc quaestionem solvendam ex viribus propriis cuiusque naturae desumi debet, et ex proprietatibus, quae cum activitate earum virium intime connectuntur. Haec activitas, sistendo modo in sola vita vegetativa, exercetur, uti vidimus in Th. XIV, per *nutritionem*, *augmentum* et *generationem*. Porro nutritio quamvis quoad viventia eiusdem regni, vel eiusdem familiae, ut aiunt, non multum differre videatur, in pluribus tamen discriminatur ratione diversarum virium et organorum, quibus gaudent. Ratio augmenti intime connectitur cum organismo eiusque proprietatibus, quoniam ex diverso augmento ipse organismus diversa ratione modificatur, ac diversas induit proprietates. Generatio tandem, quum sit praecipua inter istas operationes, habenda est tamquam nota omnino characteristica alicuius formae specificae.

Si vero de vita sensitiva loqui velimus, ea primo innotescit per diversa organa, quibus constituitur proprius viventium organismus, ac proinde per activitatem, quae per eadem exeritur. Unde illorum etiam viventium qui vita sensitiva gaudent, discrimen eruitur ex diverso, quo pollent, organismo eiusque viribus.

De vita intellectiva nihil addimus; quippe quae sine ullo materialis organi intrinseco concursu, uti videbimus, exercetur, ac proinde per se nullum peculiarem exigit organismum. Ipsa tamen huiusmodi praesefert activitatem plane distinctam ab illa, quae per vires organicas exercetur, ut probe valeat ostendere discrimen viventium intelligentium a ceteris. Diximus *per se*, quia quoniam haec vita indigeat *extrinseco* concursu facultatum sensitivarum, ideo peculiarem quoque organismum vitae sensitivae sibi vindicat.

Ergo medium ad distinguendam unam speciem ab altera est *generatio, secundum quam diversa individua iisdem praedita viribus eodemque organismo seu typo*, ut aiunt, *ad invicem progignuntur*. Sed ad typum quod pertinet, recolendum est: 1° ipsum exhibendum esse omnino determinatum intra proprios limites, plane distinctos a limitibus,

l'espèce de la race, supposerait donc une connaissance plus intime et plus complète de la nature de ces êtres, que celle que nous possédons dans l'état actuel de la science ». Etiam P. Urraburu hanc difficultatem agnoscit, l. c., p. 490.

quibus circumscribitur typus alterius speciei; 2° ipsum non esse primo et per se constitutivum speciei, sed tantum secundario et tamquam signum. Nam constitutivum speciei primo et per se est ex forma; sed quoniam forma exigit materiam rite dispositam sibique proportionatam, inde enascitur typus proprius cuiusque speciei, qui proinde est tum signum tum secundarium constitutivum speciei. At si forte contingit quendam typum mutari, non semper sequitur, mutatam fuisse speciem et formam.

128. **Quid species physiologica.** — Ea ita definiri potest: « est collectio individuorum viventium, quae easdem vires eundemque typum servant per generationem unius ab alio ».

Et sane haec definitio legitime sequitur ex iis omnibus, quae modo statuimus et ex proprietatibus, quas vidimus esse in viventibus (n. 30), iuxta mentem ipsius Arist. et scholasticorum. Praeterea adverte quod haec non est definitio abstracta speciei, sed applicatio eiusdem ad viventia sensibilia, quae est magni momenti ob peculiares difficultates, quae hac in re extant. Quare priora verba « collectio individuorum viventium » constituunt veluti genus; cetera vero differentiam specificam; quae plane cohaerent cum certis principiis et experimentis omnium scientiarum cultorum, qui definitiones tradunt quae in nostram incidunt.

Recentiorum definitiones. — Et sane primus occurrit Ioannes Ray, qui in suo opere *Historia plantarum*, edito a. 1686, hoc statuit criterium ad determinandas plantas eiusdem speciei, quae nempe *generantur ad invicem per semina*. Deinde Tournefort in opere *Institutiones rei herbariae*, a. 1700 fusius hanc evolvit quaestionem et primo definit genus: *collectionem plantarum quae eandem habent structuram;* et speciem: *collectionem eorum, quae aliquod peculiare habent distinctivum.* Quare uti patet, utraque definitio considerat unum tantum elementum, ideoque ad invicem ipsae complentur (1).

(1) Audias De Quatrefages, *L'Espèce*, p. 43. « Pour avoir une notion complète de l'espèce, il faut tenir compte des deux éléments. C'est ce que comprirent fort bien Linné et Buffon. Le premier, il est vrai, n'a donné nulle part une définition proprement dite; mais A. Laurent de Jussieu n'a guère fait que formuler ses idées à cet égard quand il a dit: « L'espèce est une suc-

Hoc iam pridem adverterunt Linné et Laurent de Jussieu, qui ita speciem definivit: *est successio individuorum omnino similium, quae per generationem perpetuantur;* et similiter Buffon: *Species nil aliud est quam successio constans individuorum similium qui sese progignunt.* Hinc recentiores fere omnes eandem definitionem speciei tradiderunt, saltem quoad substantiam. Ita e. g. Cuvier. *Species est collectio corporum organicorum, quae ad invicem generantur vel ex iisdem parentibus vel ex illis qui eis assimilantur sicut et ipsa inter se similia sunt.* Et Isidorus Geoffroy, postquam in opere citato multas retulerit definitiones, suam profert: « Species est collectio individuorum quae distinguuntur per complexum distinctarum notarum, quarum transmissio est naturalis, regularis et indefinita in praesenti rerum ordine » (1). Unde elicitur, nos quoque agnoscere difficultates quas Ioannes Canestrini asserit reperiri in definitione speciei determinatae, dummodo eae rite explicentur (2). At minime concedere possumus nullas species habere determinatos suos limites perfectionum similium. Nam quamvis nos quoque cum Darwin asserere possimus, quum determinandum occurrit, utrum quaedam forma vocanda sit species vel stirps variabilis, exquirendum esse iudicium doctissimorum scientiarum cultorum, quod saepe etiam fallibile est, nihilominus, ut ipse idem advertit (3), certum

cession d'individus entièrement semblables, perpétués au moyen de la génération ». Quant à Buffon il est on ne peut plus explicite. Pour lui, « l'espèce n'est autre chose qu'une succession constante d'individus qui se reproduisent ».

« La plupart des définitions données par les naturalistes modernes se rattachen de près ou de loin aux précédentes ».

(1) « L'espèce est une collection ou une suite d'individus caractérisés par un ensemble de traits distinctifs dont la transmission est naturelle, régulière et indéfinie dans l'ordre actuel des choses ».

(2) Post relatas quasdam imperfectas definitiones, ipse addit: « Da quanto precede risulta che è molto difficile definire bene la specie (i. e. in concreto). Tale difficoltà è determinata da due cause precipue: primieramente la specie è un concetto assai più vasto e meno uniforme di quello che generalmente si creda; in secondo luogo, si volle esattamente definire ciò che non ha limiti precisi ». (*La Teoria dell'evoluzione, esposta nei suoi fondamenti*, Torino, 1877, pag. 7). Sed haec valent tantum quoad quasdam perfectiones organicas et vires, quae dubium est, utrum pertineant ad essentiam speciei vel ad accidentia plus minusve communia.

(3) En quae idem advertit, postquam retulerit quasdam variationes specierum vel melius stirpium columbarum. « Qui bisogna evitare una esagerazione. Non tutte le specie sono variabili in quel grado come i colombi. A ragione dice il dott. Iaeger (*In sachen Darwin's insbesonder contra Wigand.* Stuttgard, 1874, p. 5). « V'hanno senza dubbio delle specie invariabili nel senso dei costanziani, specie di cui si può dire: sint ut sunt, aut non sint, le quali cioè portate in condizioni diverse da quelle che non corrispondono alla loro natura, periscono senza produrre nuove forme... Di queste forme così dette costanti, ossia variabili entro limiti assai ristretti, noi ne troviamo tanto tra gli animali viventi allo stato di natura, come tra i domestici. Esempi ne for

est quasdam imo plures adinveniri formas determinatas invariabiles, quas evidens est determinatas quoque constituere species.

At nunc bene advertendum est cum de Quatrefages (1), quod istae definitiones et aliae his similes traduntur a scientiarum cultoribus, qui magnae sunt auctoritatis, et quamvis diversa amplectantur systemata, omnes tamen in eandem conveniunt definitionem.

Si vero discrimen aliquod in eis reperitur, unice pendet ex quaestione de transformismo. Omnes enim, imprimis Linné et Buffon, assumendo generationem naturalem tamquam criterium determinationis alicuius speciei, hoc sibi proponebant problema: individua, quorum complexus eandem speciem constituit, manent *indefinite* inter se et cum prioribus parentibus similia? aut possunt ipsa processu temporis tales proprietates novas induere, quae ipsa a prioribus dissimilia reddant, ita ut quis nequeat amplius agnoscere inter ea veram cognationem? quare: *species manent fixae, aut possunt hac ratione transformari?* En totum problema quod modo nobis solvendum manet.

129. **Quid stirps.** — Sed ad pleniorem ipsius solutionem, aliquid addendum est de *stirpe et eius variabilitate* in eadem specie. Haec variabilitas definiri potest: « mutatio quoad aliquas proprietates determinatas, quas induunt quaedam individua quae progignuntur per eandem generationem » vel cum de Quatrefages: est ea quae versatur circa « individuum vel complexum individuorum quae eandem habent naturalem generationem, et distinguuntur ab aliis eiusdem speciei per unam vel plures proprietates peculiares » (2).

Stirps autem definiri potest cum Buffon: « varietas constans quae per generationem servatur; vel clarius cum Richard: « habentur varietates constantes, quae iugiter reproducuntur mediante generatione; huiusmodi varietates appellantur stirpes » (3); vel accuratius cum de Quatrefages: « est complexus individuorum similium, quae ad eandem pertinent speciem, et receperunt ac transmittunt per viam generationis proprios characteres alicuius varietatis primitivae » (4). Sed, ut idem auctor advertit,

nisce ogni classe, sopratutto degli animali superiori (vertebrati) e tra gli animali domestici si possono citare l'asino, l'oca, l'anitra, il pavone, ecc. » ibid., pag. 13.

(1) Cfr. eius verba, l. c., p. 45.

(2) « Un individu ou un ensemble d'individus appartenant à la même génération sexuelle, qui se distingue des autres représentants de la même espèce par un ou plusieurs caractères exceptionnels », l. c., p. 69.

(3) « Il y a certaines variétés constantes et qui se reproduisent toujours avec les mêmes caractères par le moyen de la génération; c'est à ces variétés constantes qu'on a donné le nom de races ».

(4) « La race sera donc l'ensemble des individus semblables appartenant à une même espèce, ayant reçu et transmettant par voie de génération les

inutile est plures afferre auctoritates, quum omnes quamvis diversarum sententiarum, in eandem conveniant definitionem.

Quapropter istis omnibus praestitutis, quaestio modo solvenda huc redit: ex experientia hucusque habita, potestne deduci vera mutatio unius speciei in alteram vel tantum stirpis in aliam? (1) Nos amplectimur secundum membrum cum Linné, Buffon, Cuvier, Blainville, de Quatrefages (2) et communiori sententia recentiorum; ita ut D. de Nadaillac in conventu scientiarum cultorum habito a. 1890, asserere non dubitaverit, hanc sententiam tantum sibi promereri favorem, ut ipsi adversarii, qui ab ea quondam recesserunt, nunc pedetentim in eandem concedant (3).

130. **Prob.** — Si quae specierum transformatio habita esset, ea deprehendi deberet, contigisse vel in tempore *praesenti* vel in *praeterito*. Atqui nunquam extat ullum vestigium huius mutationis, imo positiva adsunt documenta, quae suadent iugem specierum stabilitatem. Ergo...

caractères d'une variété primitive ». Etiam Fargès eandem tradit definitionem. Ait enim, l. c., p. 214. « A la suite des plus célèbres naturalistes, nous pourrions donner de l'espèce la définition suivante: une collection d'individus ayant un type semblable et inaliénable ».

(1) Scite advertit idem Canestrini in loc. cit., p. 13, post verba nuper relata. « Un'altra esagerazione, in cui caddero non tanto il Darwin quanto alcuni dei suoi seguaci, fu esposta dal Seidlitz, e da me nelle note all'*Origine della specie*. (Dr. George Seidlitz, *Die Darwinische Theorie*. Leipzig, 1875, p. 215. *Origine della specie*, traduz. ital., 2ª ediz., 1875, note, p. 447). Il fatto incontrastabile che non esiste un limite deciso fra le specie e la varietà, ha condotto alcuni naturalisti ad una conclusione estrema ed erronea. Essi dicono: Le specie non esistono, il loro studio è fatica gettata, la zoologia sistematica è una scienza inutile. Qui giova riflettere che la teoria della trasformazione della specie non distrugge il concetto della specie, ma lo modifica. Dovremo noi trascurare lo studio delle isole di un dato mare, perchè ci consta che esse sono soggette a sollevamenti ed abbassamenti, e perchè sappiamo che esse, ad una profondità maggiore o minore, sono collegate insieme?

(2) De Quatrefages, l. c., p. 47, ostendit quod Linné semper retinuit invariabilitatem specierum; Buffon vero prius eandem amplexus est sententiam, deinde in oppositam omnino concessit, ac tandem « après avoir exploré, pour ainsi dire, les deux hypothèses extrêmes de la fixité absolue et d'une variabilité presque indéfinie, Buffon se trouva ramené par ses propres travaux à une doctrine moyenne nettement exprimée dans ses derniers écrits. « L'empreinte de chaque espèce, écrivit-il alors, est un type dont les principaux traits sont gravés en caractères ineffacables et permanents à jamais; mais toutes les touches accessoires varient ». Le milieu resta d'ailleurs pour lui la cause de ces variations. — Là est la doctrine définitive de Buffon, qu'on peut appeler celle de la *variabilité limitée*; là est aussi la vérité.

« Les opinions tour à tour professées par Linné et par Buffon ont servi de point de départ à autant de doctrines qui se sont propagées jusqu'à nos jours ».

(3) Cfr. *Compte-rendu du Congrès scientifique intern.*, 1891, t. VIII, p. 5, 9

Pr. m. — I quoad tempus *praesens*. — Omnibus in comperto est : *a*) nunc certo existere et a scientiarum cultoribus ratihaberi determinatas species, ac familias, quae constanter generantur omnino immutatae, praeter variationes accidentales proprias individuorum (1). — *b*) has species inter se distingui ratione propriae activitatis ac typi constantis ac permanenter existentis sub influxu etiam diversorum agentium. Et quamvis per *selectionem artificialem* videatur novus quidam typus gigni, certum est ipsum non diversificari nisi inter limites plane angustos (2), et in proprietatibus secundariis, quae non sinunt arguere novam speciem: ac praeterea, quod maius est, cessante influxu selectionis artificialis redit omnino prior typus, quod ostendit nullam adfuisse speciei mutationem (3) : — *c*) omnes species, quae nunc extant, deprehendi in statu omnino perfecto, nec una reperitur, quae spectari possit tamquam media inter species perfectas ac fixas, et veluti *in via* ad eam efformandam.

II quod tempus *praeteritum*. — Indubium est : *a*) plurimas species per ingentia temporum spatia mansisse immutata, uti testantur exuviae canum, felium, boum, simiarum, avium, repertae in Aegyptiorum sepulcris, ibique ante saltem 5000 annos reconditae, quas Cuvier monstravit easdem esse cum organismis nostrae aetatis : item reliquiae polyporum in coralliis Floridae inclusae, quarum aetatem Agassiz 30000 annorum esse contendit, ossa caprarum ex periodo, quam lapideam vocant, in Helvetiae montibus inventa, cupressi ex alluvie Mississipi fluminis relictae, con-

(1) Confer omnes auctores, qui zoologiae ac botanicae operam navant, et accurate distribuunt omnia animalia ac plantas in species, genera, familias, classes, ut scientificas ac universales de eis instituant investigationes.

(2) Cfr. quae exponit Wigand, *Der Darwinismus*, t. 1, p. 48, 52.

(3) Hoc testatur inter alios De Baer, *Studien a. d. Gebiete der Naturwissenschaft*, tom. 2, p. 348: « Varietäten, welche durch natürliche Züchtung erzeugt sind, fallen gewöhnlich, sobald diese künstliche Fürsorge aufhört, sehr bald in den normalen Hauptstamm zurück... Sehr häufig findet sich bei künstlicher Züchtung, bei der man irgend eine Eigenschaft des Thieres recht hoch treiben will dass die Propagations fähigkeit geschwächt ist oder ganz aufhört... Die einzelnen Arten scheinen ihre Grundform mit einer gewissen Starrheit zu bewahren, leichte Veränderungen allerdings zuzulassen, aber stärkere unmöglich zu machen ».

chylia, gasteropoda, acephala ex tempore plioceno et eoceno residua, omnia reperiuntur immutata ac similia organismis nostrae aetatis (1) : — *b)* pariter ratum est apud palaeontologos species omnes reperiri statim exortas in eadem perfectione, qua nunc gaudent, quin ullum adesset vestigium cuiusdam transmutationis (2) : — *c)* tandem nulla in antiquitate reperta est species media, inter species perfectas (3). Ergo.

Insuper omnia facta experimentalia, quae hucusque attulerunt physiologi ac fautores transformismi, debent reduci ad mutationem stirpium in eadem specie manentium, nunquam vero ad mutationem specierum. Ergo. — *Pr. A.* — Ut habeatur mutatio specierum requiritur : *a)* quod individua generata typum morphologicum novum praeseferant, ita ut non possit amplius recognosci eorum cognatio cum parentibus remotioribus : — *b)* quod ipsa possint generare alia individua eiusdem omnino typi, atque ita constituere novam naturam eiusdem rationis, in pluribus individuis multiplicatam : — *c)* quod post aliquam generationem non redeant individua similia prioribus : nam secus hoc in casu elucet, semper mansisse eandem formam substantialem : — *d)* quod istae mutationes non sint mere artificiales seu purus effectus humanae industriae, qua cessante deinde iterum apparent priores perfectiones parentum. Atqui in omnibus mutationibus hucusque expertis aut omnes aut plures ex istis conditionibus desiderantur, praesertim secunda et tertia (4), ubi aperte fatentur omnes physiologi ac botanici

(1) Ita Pfaff, *Schöpfungsgeschichte*. Ed. alt. Frankfurt, 1877, p: 670 aperte asserit arbores, (Waldbäume) animalia, e. g. cervos, vulpes, lupos..., etiam in remotissima aetate reperiri omnino similia nostris, sive inveniantur 20000 abhinc annis sive 100000, sive etiam 200000 annis manent fere eadem. Qua de re liquido patet, ne verbum quidem dici posse de continua transmutatione huiusmodi specierum.

(2) Cfr. Wigand, *Der Darwinismus*, I, p. 289; Pfaff, l. c., p. 680... Barrande, *Trilobites*, p. 267.

(3) Pfaff, l. c., p. 684, 685; Zittel (apud Pfaff, p. 692.

(4) Confer ea quae asserit cl. Farges de sterilitate hybridorum, in quibus videretur facilius posse contingere mutatio specierum, l. c., p. 216. Dein ipse addit « Le fameux *léporide* issu du lapin et du lièvre, dont le Dr. Broca et ses amis ont fait tant de bruit, est venu finalement, de la troisième génération, faire retour au type lapin, si bien qu'il a fallu abandonner des expériences longtemps poursuivies avec ardeur ».

imo ipsi iidem transformistae (1), et melius apparebit ex difficultatum solutionibus. Ergo.

Praeterea illa sententia certe contradicit experientiae, quae ab ipsis fautoribus asseritur non propter argumenta experimentalia, sed vel ob praeiudicia in mente praeformata, vel adstruendo hypotheses arbitrarias et innixas in indiciis, quae de se sunt insufficientia et ad invicem destruuntur (2). Atqui transformismus ita defenditur a Spencer, a De Maillet, Lamark, Darwin et praesertim ab Haeckel, uti vidimus. (3). Ergo.

131. **Ex auctoritate scientiarum cultorum.** — Profecto argumentum directum innixum in ipsis experimentis, a nobis modo transmitti posset, quum potius ad cultores scientiarum experimentalium pertineat, et plane evolutum invenitur apud Cuvier, Agassiz, Blainville et praesertim De Quatrefages. (4). Ii omnes

« Tout récemment encore la fameuse *mule* du jardin d'acclimatation, à Paris, dont on vantait déjà la fécondité extraordinaire, a vu ses produits retourner au type cheval dés la seconde génération, ajoutant ainsi une nouvelle démonstration à notre thèse, *il y a des êtres capables de conserver, de perpetuer, de défendre et même de rétablir leur type fondamental, si la violence l'avait défiguré*. Les groupes semblables de ces êtres sont ceux que nous nommons *espèces* »

(1) Farges non dubitat omnes scientiarum cultores provocare, quod nunquam valeant aliquod factum experimentale in medium proferre.

Et addit p. 220: « De l'aveu de M. Contejan, tous les exemples apportés jusq'ici ne portent que sur des créations de varietés et de métamorphoses de races, toutes choses bien connues et que personne n'a jamais songé à contester » (*Géologie et paléontologie*, p. 466. — *Revue scientifique*, 1881, tome I, p. 554). M. Perrier et bien d'autres transformistes ont dû faire le même aveu (*Philosophie zoologique*, p. 272)

(2) Cfr. quae de veritatibus experimentalibus tradidimus in log. critica.

(3) Hoc idem advertit et fuse exponit cl. De Quatrefage in opere *Ch. Darwin*..., p. 150. Idem etiam deprehenditur saepe apud Darwin, ut idem auctor testatur, l. c. p. 767, et alios plures. Ita e. g. Gust. Jager: « Die Abstammungslehre wurzelt weniger in der Kentnniss der naturwissenschaftlichen Thatsachen, als vielmehr in der methode unseres Denkens » (in libro: *Die Darwinisme Theorie*, Stuttgart, p. 4).

Idem etiam tuetur D. Yves Délage, quamvis sit transformismo addictus. In opere *Structure du protoplasme*, p. 184.

(4) Placet hic transcribere argumentum, quo De Quatrefages breviter recapitulat argumenta aliorum (in opere *L'Espèce*, p. 62): « On le voit, les partisans de l'invariabilité s'appuient sur des faits importants bien observés et sur des arguments sérieux. Ils peuvent dire à leurs adversaires: « Nous poursuivons un certain nombre d'espèces végétales ou animales jusqu'aux premiers temps de l'histoire jusqu'à six ou huit mille ans en arrière, et nous les voyons semblables à ce qu'elles sont aujourd'hui. Nous dépassons les limites de l'é-

fatentur superiora saltem animalium genera vel phyla seu classes non modo in praesenti verum etiam per aetates geologicas antiquissimas eadem constanter permanere, quin unquam unius in aliud transformatio observari queat.

Hoc inter alios testatur Koken, aiens : « Omnia suprema genera (grossa phyla) ad Cambrium ūsque plene distincta se praebent » (1). Et alibi : « Nulla hucusque inventa est forma fossilis, quae tamquam transitus a genere vertebratorum ad aliud genus explicari posset » (2). Fleischmann : « Magnus et profundus extat hiatus inter ordines systematicos vertebratorum minimi organismi » (3). Et Depéret ait : « Archaeopterix, spectata secundum totam suam structuram, vere avis iam dicenda est » (4), quae proinde perperam a quibusdam tamquam forma media inter aves et reptilia afferri solebat.

Cum eo concinit Depéret : « Iamdiu notum est plerosque magnos ordines (suprema genera) invertebratorum ab ipsa cambrica aetate fuisse complete inter se distinctos » (5).

Insuper per priores aetates geologicas huiusmodi genera nullam ostendunt *tendentiam* se evolvendi vel in alia transformandi, ita e. g. ait L. Waagen : « Iam in prioribus stratis a nobis cognitis omnia suprema genera regni animalis, nisi excipiantur spirilli (animalia organismi minimi), praeseferunt plenam de-

poque géologique actuelle, et nous trouvons encore certaines espèces identiques à ce qu'elles sont de nos jours. En outre, parmi les espèces qui ont assisté à la dernière révolution de notre globe, toutes n'ont pu supporter les nouvelles conditions d'existence qui leur étaient faites. De celles-ci, les unes ont émigré, sans pour cela se modifier. Nous ne trouvons pas les autres. Pourquoi admettre que ces dernières sont les ancêtres immédiats de nos espèces actuelles? Nous ne connaissons ces animaux éteints que par leurs restes fossiles; mais ces restes suffisent pour faire reconnaître entre eux et ceux qu'on veut regarder comme leurs petits-fils des différences parfois très grandes. Où sont les traces de modifications progressives qui auraient inévitablement relié entre elles ces formes diverses, si elles dérivaient en effet les unes des autres? Nulle part. — A en juger par tous les faits connus, par toutes les expériences possibles, la transformation, la variation de l'espèce est donc une pure hypothèse, et la vérité ne peut être que dans la doctrine de la fixité! ». Telle est en résumé l'argumentation de Cuvier, de Blainville et de leurs disciples plus ou moins avoués ».

(1) « Scharf getrennt reichen alle die grossen Phyla bis in das Kambrium zurück » *Palaeontol. u. Deszendenzth.* (1902), 12.

(2) « Irgend eine fossile Form, die als Uebergang von Vertebratenstamm zu einem andern Phylum gedeutet werden könnte, ist bisher nicht gefunden », l. c., 12.

(3) « Die Kluft zwischen den systematischen Gruppen der Wirbeltiere gänt gross und gewaltig ». *Die Deszendenztheorie* (1901), 128.

(4) « L'archaeopterix est déjà dans l'ensemble de sa structure un véritable oiseau », l. c., 256.

(5) « Nous savons depuis longtemps que dès l'époque Cambrienne la plus-part des grands groupes d'invertébrés étaient déjà nettement distincts ». *Les transformations du monde animal* (1908), 259.

terminationem specierum, quare nullum adest vestigium eorum evolutionis, sicut in omnibus deest omnis forma media quae suprema genera, ordines vel classes connectat » (1). Zittel testatur nullum extare vestigium transformationis specierum, und ait : « Utrum mollusca ex vermibus orta sint, uti saepe admittitur, ex factis palaeontologicis colligi nequit ». « Utrum et quae membra dibranchiata (mollusca) praecesserint, nequit interim cum certitudine statui ». « Duo ordines brachiopodorum (vermium), qui in Cambrio inveniuntur independenter ab invicem sese evolvunt, et saltem nullam exhibent dependentiam per aliquam formam intermediam quae cognita sit ». « Palaeontologia nullum exhibet indicium de origine vertebratorum » (2).

Idem etiam de plantis alii testantur : e. g. J. Reinke : « Fructus inquisitionum Palaeontologiae quoad cryptogamos non est nisi in eo quod nullae formae recognitae sunt, quae tamquam intermediae inter algas et bryophyta, vel inter bryophyta et filicinas spectari possint ». Item : « Nullae connexiones inter antiquissimas angiospermas et gymnospermas inveniri queunt » (3).

Thesis XXV.

Palaeontologia aperte ostendit, nullam unquam adfuisse veram et iugem specierum transformationem.

132. **Status quaestionis.** Ut huius theseos momentum rite perspiciatur, recolendum est in diversis terrae stratis contineri corporum tum anorganicorum, tum organicorum reliquias, quae, testantibus geologis, respondent diversis telluris periodis. Iamvero huiusmodi reliquiis examini rite subiectis, hoc constare videtur. — 1° Quoniam haec

(1) « Schon in den ältesten Schichten finden wir alle Stämme des Thierreiches mit Ausname der Wirbelthiere in hoher Spezialisation vertreten, doch haben wir Anhaltspunkte für deren Entwicklung, wie überhaupt jegliche Verbindungsglieder zwischen den grossen Kreisen oder Stammen und Klassen der Lebewelt fehlen ». *Die Entwicklungslehre u. die Thatsachen der Paläontologie* (1909), 48.

(2) « Ob die Lamellibranchiaten aus Würmern hervorgegangen sind, wie vielfach angenommen wird, lässt sich auf palaeontologischer Grundlage nicht entscheiden » *Grundzüge der Paläeontologie* (1903), 336. « Dass die beiden Gruppen der Brachiopoden, die im Kambrium auftreten, sich unabhängig von einander weiterentwickelt haben und wenigstens nicht durch bekannte Bindeglieder miteinander zusammenhängen », 480. Item « Die Paläontologie gewährt über die Entstehung der Vertebraten keinerlei Auskunft », 482.

(3) « Das Ergebnis des Paläontologischen Befundes in Bezug auf die Kryptogamen ist, dass keine Formen bekannt geworden sind, die als Bindeglieder zwischen Algen und Moosen, oder zwischen Moosen und Farnen angesehen werden könnten ». — *Philosoph. der Botanik* (1905), 184.

strata olim superficies terrae fuerunt, et nunc alia in aliis stratis viventium genera cernuntur, sequitur quod alia in aliis temporibus floruerunt, ex quibus plura iam diu penitus extincta sunt, quorum modo quaedam solum exuviae manent. — 2° Haec diversa strata cum suis exuviis simul comparando, apparet viventia successionem quamdam perfectionis referre; nam in imis quidem stratis imperfectiora deteguntur genera, in superioribus autem gradatim semper perfectiora. — Iamvero inde adversarii inferunt, perfectiores species exortas esse ex imperfectiorum immutatione et continua transformatione. Secus enim, aiunt: *a*) explicari non posset huiusmodi ordo successionis, quo variae species extiterunt; et *b*) praesertim intelligi non posset, quorsum species imperfectiores, extinctae, a Deo creatae fuerint, ut mox interirent. Utrumque vero aiunt, in transformismi systemate facile intelligi. — Ita arguunt Häckel, Perrier aliique transformistae 1). Nos contra asserimus, non modo non sequi eorum sententiam, sed nostram potius confirmari.

133. **Praenotiones historicae.** — Primus, qui palaeontologiae studiis operam navavit, fuit Cuvier, qui sinum terrae veluti aperuit, et ex naturalibus monumentis in ea repertis historiam existentiae viventium redigere conatus est. Ipse advertit, quod fossilia animalium vertebratorum secernebantur in species omnino diversas iuxta diversa strata geologica, quae deinde in tres aetates distribuit. Sed alii deinceps adverterunt huiusmodi aetates posse in plures alias dividi iuxta diversam *collectionem plantarum* et *animalium* (la flora e la fauna); et Alfridus d'Orbigny, primus palaeontologiae professor Parisiis a. 1853, distinxit iuxta 27 strata telluris 27 periodos diversae existentiae viventium. Cuvier putavit extitisse in fine singularum transformationum geologicarum profundas rerum omnium conversiones, quibus omnia viventia periissent, ac dein initio novae periodi nova eorum loco creata fuissent partim similia et partim eis perfectiora. Hanc explicationem alii merito deseruerunt, tum uti arbitrariam ac nullo suffultam argumento, tum quia ipsa non paucis obnoxia apparet difficultatibus. Hinc nonnulli statim intulerunt diversa viventia, quae diversis hisce periodis respondent ac perfectiora

(1) Vide hoc argumentum apud Claus, *Traité de Zoologie*, p. 157; Haeckel, *Anthropogenie*, ed. 3ª, p. 86; Duilhé, op. cit., p. 286, Ch. de la Vallée Poussin, *Revue de questions scientifiques*, tom I, pag. 274 seqq.; P. Haté, *Controverse*, ann. 1880, 1881, p. 519 seqq.

reperiuntur, habita esse ex priorum transformatione (1). Sed hanc quoque sententiam plurimi recentiores merito uti falsam reiiciunt, praesertim si ipsa ad omnia viventia extenditur, et evolutionem *monophyleticam* adstruere conatur.

Imo, ut asserimus in thesi, palaeontologia potius oppositum testatur, nimirum non odfuisse in prioribus aetatibus veram et iugem illam transformationem, quam multi praesertim athei ac materialistae tuentur.

Dicimus: *veram* et *iugem*, quia revera non negamus dari quandam affinitatem inter aliquot viventia diversorum stratorum, quae forte habita sunt ex prioribus, uti testatur etiam P. Wasmann, l. c., p. 279, 280. Sed haec evolutio facile reduci potest ad simplicem organismi modificationem, vel ad *solam* transformationem specierum systematicarum, ut inferius explicabitur (2).

Quare ceteri maiori iure ostendunt, hoc potius inferendum esse, nimirum « *primitus omnes viventium species simul creatas fuisse, quae deinde diversas subiere modificationes, iuxta diversas periodos, respondentes diversis stratis telluris* ».

134. **Prob.** — Et sane: *a*) certum est quod in istis periodis non habetur ordinata illa gradatio ab imperfectioribus viventibus ad semper perfectiora. — *b*) Imo in quibusdam periodis habentur viventia perfectiora in prioribus et imperfectiora in posterioribus, in aliis habentur viventia semper eiusdem perfectionis. — *c*) Sed quod maius est prae-

(1) Interim iuvat advertere, scite asseruisse Canestrini, l. c., p. 14, « Le due ipotesi, intorno alla costanza della specie e intorno ai cataclismi generali non sono necessariamente collegate insieme »; sed perperam addidisse, « ma chi ammette la prima è quasi costretto ad accogliere anche la seconda » ut colligitur ex ipsa ratione quam affert: « perchè altrimenti dovrebbe ritenere che una potenza creatrice, anzichè manifestarsi a dati intervalli, è continuamente in azione per distrugger le specie e crearne altre ». In primis ut potentia creatrix destruat speciem nullam debet ponere *actionem*, sed sufficit eam *non conservare in esse*: et hoc nullo modo repugnat. Si quaeris, cur Deus creaverit species, quas noluerit semper conservare; responsio patet ex iis quae diximus et explicaturi sumus. Sed merito retorqueri potest: cur Deus teneatur semper conservare in esse species, quas semel creavit? Porro quoniam omnia viventia materialia nata sunt mori, nullum apparet inconveniens in hoc quod omnia viventia alicuius speciei pereant, quin alia generentur.

(2) Unde idem P. Wasmann contra universalem transformationem aperte asserit, l. c. p. 295: « Le scienze naturali non ci danno nessuna prova che ambedue i regni organici si siano formati da una comune protocellula.

.....Tutti poi i sostenitori della teoria dell'evoluzione, i quali attribuiscono ai fatti un valore conveniente, hanno ammesso che le prove per una reale affinità d'origine delle forme organiche diventano sempre più scarse quanto più si tratta delle divisioni maggiori del sistema organico ».

sertim in doctrina Darwiniana, nunquam ostendi potest coniunctio illa necessaria ad transitum unius speciei periodi antecedentis in speciem, quae reperitur in periodo subsequenti. Et si forte reperiantur formae quaedam indeterminatae, quae haberi possent tamquam intermediae inter species, quae evolverentur, ipsae minimae sunt, et accuratioribus inquisitionibus subiectae, apparent plane pertinere ad determinatas species cum quibusdam tamen imperfectionibus (1). Atqui hoc aperte ostendit, nullam adfuisse in prioribus aetatibus veram transformationem sed quasdam tantum organismorum modificationem... Ergo.

Nec valet quorundam effugium, qui spem adhuc fovent ex futuris adinventionibus, quum omnis spes evanescere deberet ob adinventiones iam certo agnitas et ob rationes superius allatas (2).

Praeterea ut quaedam transformatio suaderi posset, exhibendae essent diversae formae, veluti stipites, ex quibus enascerentur diversae formae organicae viventium, secus non intelligitur, quomodo exortae sint organismorum diversitates. Atqui istae plane desiderantur, ita ut Häckel, ut eorum defectibus suppleat, saepe cogatur recurrere ad formas hypotheticas (3). Nec asseri potest eas deperditas esse;

(1) Huiusmodi sunt e. g. *archaeopteryx lithographica et compsonathus longipes*, quae mediae videntur inter aves et reptiles; avis quaedam *odontornis* dicto, dentibus instructa, inventa inter Americam et Angliam, quae media videtur inter aves et mammalia; *ichthyornis*, quae avis est et dentibus instructa ac vertebris, uti pisces, item *mastodonsaurus, ornithocephalus, protopterus*, et quaedam huiusmodi. Porro fatentibus ipsis scientiarum cultoribus, etiam transformismo addictis, ipsae nequaquam uti formae indeterminatae habendae sunt ac transitoriae, sed uti formae pertinentes ad determinatas species, in quibus ob rationes extrinsecas reperitur vel aliquis defectus, vel aliqua organismi pars ad aliam speciem pertinens. Confer e. g. De Baer, *Studien*, t. II, p. 378; Pfaff, l. c., p. 684-691; Ch. Lyell, *L'ancienneté de l'homme*; Claus, op. cit., p. 174; imo ipse quoque Huxley et Darwin coacti sunt priores agnoscere ut veras species avium; cfr. Lecomte, *Le Darwinisme et l'origine de l'homme*, p. 72.

(2) Cfr. quae scite ad rem advertit Barrande, *Trilobites*, p. 183.

(3) Vide quot ipse saepe in medium affert. « La forma stipite comune di tutti i cordati, la quale era prossima parente del *balanoglossus*, è da gran tempo estinta. Designeremo questo *ipotetico* gruppo-stipite, che verisimilmente viveva già nel primitivo periodo Laurenziano o Cambriano, col nome di *Prochordata* o *Prochordonia*. Da essa nacquero come rami divergenti, da un lato, i più antichi tunicati (*copelata*), dall'altra i più antichi vertebrati (*protovertebrata*) » *La creazione naturale*, p. 352. Item « L'*ipotetica* forma-stipite di tutti

nam si in stratis terrae innumerae reperiuntur formae diversarum classium viventium, imo etiam reliquiae specierum, quae facillime extinctioni obnoxiae sunt, mirum sane esset nisi etiam incredibile, si praesertim formae stipites huic cladi damnatae fuissent, eo vel magis quod non una tantum vel altera sed plures omnino desiderantur.

Insuper ex iis quae geologia certo docere potest, clare colligitur, plures species perfectas ita ortas esse, ut nullo modo ab aliis ac mediantibus speciebus mediis evolvi potuerint, quippe quae in primis stratis geologicis iam se produnt in statu plane perfecto. Atqui istae per nullam evolutionem oriri potuissent, quum prorsus desiderentur in periodo praecedenti non modo formae mediae sed etiam species aliae determinatae inferiores, ex quibus evolutio incipere debuisset. Ergo.

Pr. m. — In periodo e. g. palaeozoica desiderantur vertebrata, nisi pisces imperfectiores excipiantur; in periodo mesozoica pauca tantum ac parva apparent mammifera etc. Item e converso in stratis Cambricis iam prostant plures articulatorum exuviae seu arthropodum ac molluscorum (1). Et in Silurianis usque ad decem millia diversarum specierum animalium reperiri asseruntur (2). Imo Barrande, qui fere per totam vitam huiusmodi studiis incubuit in opere, cui titulus « Systema Silurianum centri Boëmiae » argumenta profert maximi momenti contra transformistas, deprompta ex investigationibus peractis tantum in spatio 24000 k q. centri Boëmiae. Et inter alia ostendit, inveniri *trilobita* (quae essent prima species animalis crustacei) iam plene evoluta in periodo primordiali (prima fauna) sine formis transeuntibus et sine praedecessoribus agnitis, et ex 350

gli amniati e che noi possiamo chiamare *protamnion* o *protorettile* e che forse era strettamente affine al fossile *proterosaurus*, probabilmente pel complesso della sua forma esterna e dell'interna struttura stava in mezzo fra le salamandre e le lucertole ». Ib., p. 369.

(1) Cfr. A. Lapparent, *Traité de Géologie...*, ed. 2ª, p. 713, 714...

(2) Barrande, *Crustacès diverses et poissons*, p. 92... Pragae, 1872. — Quidam supponere vellent vitam iam extitisse diu ante periodum Laurentianam: sed quoniam nullum extat vitae vestigium ante Cambrianum, hypothesis illa nullo fulcitur fundamento, imo quoniam difficillimum est investigare, utrum in Laurentiano conditiones terrae huiusmodi fuissent ut sinere potuissent exercitium vitae, prorsus reiicienda illa hypothesis videtur.

formis eorumdem, 10 tantummodo praeseferunt aliquam modificationem, sed 340 apparent omnino invariatae per totum integrum decursum eorum existentiae. Item apparent animalia cephalopoda iam plene evoluta secundum totum organismum in secunda periodo (fauna seconda). Quae omnia ostendunt huiusmodi viventia nullo modo generata esse per lentam illam transformationem, uti adversarii comminiscuntur. In eandem sententiam plures alii devenerunt, e. g. Gosselet, Carruthers, Grand'Eury, Agassiz, Pfaff... (1), qui uno ore profitentur ex palaeontologia nec unum haberi indicium transformationis specierum.

Confirmatur testimonio ipsius Gaudry, qui post multos susceptos labores, in has devenit conclusiones, oppositas transformismo, quem tamen ipse tuetur. 1) « In omnibus classibus regni animalis et in omnibus periodis geologicis, reperiuntur quaedam viventia, plene distincta ab iis, quae praecesserunt, ita ut dici nequeant progenita ex istis ». 2) « Reperiuntur formae transitionis nimis vagae, quae non exhibent nisi debile argumentum ad tuendam theoriam transformationis ». 3) « Alia viventia intermedia videntur favere huic opinioni... Sed extant adhuc tot lacunae inter species cuiusque periodi consecutivae, ut nequeat adhuc positive demonstrari, quod istae species sint ad invicem transformatae » (2). Et quoniam ipse magnam *fidem habet* in transfor-

(1) En quaedam eorum testimonia. Gosselet e. g. ait: « Voilà vingt-cinq ans que je poursuis les horizons fossilifères du bassin belge, en les isolant avec soin les uns des autres... Je n'ai encore trouvé, ni dans le temps, ni dans la forme, le passage de deux types bien déterminés ». Item Carruthers: « Une chose est certaine, c'est que l'ensemble du témoignage des flores fossiles est opposé à la doctrine du développement dû à l'évolution par filiation ». Grand'Eury. « D'un côté, tous les faits sont en faveur de la création indépendante: de l'autre, ils sont non moins contraires à la transmutation ». Cfr. *Revue scientifique*, avril 1897... Agassiz: « Il est donc établi par des faits innombrables, que l'idée d'une succession graduelle des rayonnés, des mollusques, des articulés, et des vertébrés est pour toujours hors de cause. On a la preuve indutable que les rayonnés, les mollusques et les articulés se rencontrent partout ensemble dans les terrains les plus anciens, que les plus precoces d'entre les vertébrés leur sont associés, et que tous ensemble se continuent à travers les âges géologiques jusqu'aux temps actuels ». *De l'espèce*, p. 32, 33.

(2) 1) « Dans toutes les classes du règne animal, à toutes les époques géologiques, on trouve certains êtres nettement séparés de ceux qui les ont précédés en sorte que l'on ne saurait dire quels furent leurs ancêtres ». — 2) « On rencontre des formes de transition peu accusées, qui ne fournissent

mismum, spem nutrit, fore ut in posterum huiusmodi viventia adinveniantur. Sed huiusmodi spes in dies minuitur, testante inter alios etiam Contejan, quamvis materialistarum placitis imbuto, qui vocat huiusmodi spem *splendidam sed illusoriam chimaeram*. Nam, ut ipse ait, omnes adinventiones palaeontologorum nil aliud ostendunt, nisi quod complexus diversorum graduum viventium sit magis completus, quam nobis apparet in viventibus nostrae aetatis (1).

Conclusio. - Quare ut omnia simul complectamur, dicimus : — *a*) ex palaeontologia hucusque nullum haberi potuit certum argumentum existentiae viventium, quae ex aliis speciebus essent transformata : — *b*) imo nullum habetur indicium existentiae viventium intermediorum, quae *necessario* (2) requirerentur ad lentam transformationem : — *c*) at si forte in posterum adinvenientur, quod videtur impossibile, huiusmodi viventia intermedia, nihil omnino consequitur, quod faveat transformismo atheo : — *d*) sed possunt explicari vel per transformismum mitigatum, vel etiam sine ullo transformismo, quum nullum adsit ius inferendi evolutionem specierum ex arcta et ordinata coniunctione earundem.

Nam, ut ipse Broca, eorundem principiis addictus, asserere non dubitavit, ex huiusmodi inventis palaeontologicis, etiamsi omnia prorsus concederentur quae ipsi assumunt, nunquam verum argumentum in favorem sui systematis eruere possent, nisi forte leve quoddam indicium alicuius praesumptionis, quae tamen diversis etiam rationibus explicari posset (3). Et praeterea stricte loquendo, hoc tantum inferre

que d'assez faibles arguments en faveur de la théorie de la filiation des espèces ».

3) « D'autres intermédiaires semblent favoriser cette idée... Mais il existe encore de telles lacunes entre les espèces d'époques consécutives, qu'on ne peut encore démontrer d'une manière positive que ces espèces sont descendues les unes des autres » (Gaudry, *Les ancêtres de nos animaux*, p. 162-165).

(1) Cfr. integrum eius testimonium in *Revue scientifique*, a. 1881, t. I, p. 555-559.

(2) Hoc saltem concedunt ii omnes, qui Darwinii principia amplectuntur. Non desunt tamen inter recentiores, qui hoc negant, praesertim si admittatur evolutio *polyphiletica*.

(3) « Ces faits paléontologiques n'établissent en faveur de l'idée de descendance directe ou de parenté collatérale qu'une présomption, et non une preuve. Ils prouven seulement le développement sériaire des caractères, sans qu'on puisse dire si les espèces de chaque groupe ont dû leur origine à une

liceret, nimirum viventia perfectiora *post* imperfectiora existentiam sortita esse, non vero perfectiora *ex* imperfectioribus transformatis prodiisse.

Ad rationem autem ab adversariis n. 132 propositam dicimus: — *a*) illum ordinem plane explicari, quum natura non procedat per saltus, et ideo produxit gradatim perfectiora post minus perfecta; — *b*) quoad alteram rationem iuvat recolere quae exposuimus in solutione difficultatum in n. 117.

Quod autem spectat ad corpus humanum, videbimus palaeontologiam adhuc magis adversari transformistarum placitis.

Praestat modo aliud argumentum expendere, quod adversarii nimium extollunt, dum contra ex eius solutione nostra thesis iterum confirmatur.

135. **De lege biogenetica ex embriologia desumpta.** — Huiusmodi lex huc redit. Ova et semina diversorum viventium sunt perfecte inter se similia, et quum ex eis evolvitur integer eorum organismus, videntur transire per species inferiores, quousque ad rationem propriam cuiusque speciei perveniant. Atqui hoc est validum indicium ad arguendum quod omnes species originem duxerunt ex una eademque cellula vivente. Ergo (1). — Haec *lex* primo a Müller (1863) proposita fuit, ac dein ab Häckel potissimum propugnata. Ea tamen faciliter ostenditur nihil evincere. — Quare *R. D.* 1^am^ *p. M.:* sunt similia, si materialiter tantum inspiciuntur, *c.;* vel, *transeat;* si inspicitur etiam vis cuique propria, secundum quam diversimode evolvantur, *n.* — *D.* 2^am^ *p. M.:* transeunt per species inferiores omnino determinatas, *n.;* per quaedam stadia, quae quandam similitudinem praeseferunt cum speciebus inferioribus, *c....* — *Contrad. m.* Si admitti posset in

seule évolution, ou à plusieurs évolutions parallèles, mais distinctes et indépendantes, ou à toute autre cause inconnue. La succession chronologique des termes peut fournir à la doctrine transformiste un argument très sérieux; mais, cet argument n'est pas péremptoire, ne constitue pas une démonstration ». Apud P. Hatt, *Controverse*, anno 1880-1881, p. 514-515.

(1) Audias, quanti aestiment adversarii hoc argumentum. Ita e. g. ait Lubbock, *De l'orig. et de la métamorph. des insects*, p. 216. « Je crois que le temps viendra où il sera généralement admis que la structure de l'embryon et les transformations des êtres organisés dans les anciens temps, au même titre que les débris enfermés dans les roches et l'ordre dans lequel ils se suivent nous enseignent le passé de la terre elle-même ». Item Claus (*Traité de Zoologie*, p. 142 ex Müller, *Für Darwin*, Leipzig, 1864). « Comme M. Fr Müller l'a si bien montré, *l'histoire de l'evolution individuelle est une répétition courte et abrégée, une récapitulation en quelque sort, de l'histoire de l'évolution de l'espèce* ».

ovulis et seminibus eadem vis vitalis, secundum quam evolvitur ac determinatur propria ratio cuiusque viventis, *c.*; si contra debet necessario admitti diversa vis propria cuiusque speciei, *n.* — Et revera hoc argumentum nequit proponi nisi ab iis, qui materialisticis principiis addicti, nil aliud in rerum natura inspiciunt, nisi solam materiam sensibilem. At si, ut par est, rite investigatur vis illa intrinseca, quae est verum ac proprium principium vitae ac diversitatis viventium, evidenter apparet nihil prorsus evincere.

Et sane quaeri potest: evolutio organismi proprii cuiusque viventis estne ex sola materiali structura seminis vel ovuli, aut potius ex aliqua vi intrinseca propria diversorum viventium? Si primum dicis, tunc quomodo explicatur tam constans ac determinata evolutio diversorum organismorum, qui diversas species constituunt? Ergo omnino agnoscenda est in illis diversa vis propria diversorum viventium, quae diversos organismos determinat. Quod vero haec diversa vis inveniatur in materia, quae apparet omnino eadem et cum iisdem dispositionibus, non est aliquid mirum, si praesertim recolitur propria ratio evolutionis organismi, seu *ontogeneticae*, quae fit per *epigenesim*, uti in antecessum exposuimus (1).

Quare si quis cum Fred. Müller, Claus et Haeckel vellet asserere quod *historia evolutionis individuorum ex germine est repetitio et quodam sensu recapitulatio evolutionis specierum*, vel, ut aiunt, *historia evolutionis ontogeneticae est historia philogeneticae*, semper admittere deberet in materia diversas vires proprias cuiusque speciei viventium (2), iuxta quas indi-

(1) Ad rem facit argumentum quod refert Leroy, l. c., p. 39. « Dieu ayant fait de la génération la loi de reproduction des animaux, le troisième parallélisme tiré des phases du processus embryologique n'a rien qui nous doive étonner. C'est le contraire qui serait surprenant. Les organismes vivants ne préexistent pas dans l'ovule tout formés, et comme à l'état de miniature, n'ayant plus qu'à croître. Tous, les plus complexes comme les plus élémentaires, commencent par une simple cellule qui se multiplie par segmentation ou par bourgeonnement. Les fœtus que cette cellule développe, s'il sont ceux d'animaux supérieurs, doivent donc présenter, pendant les phases plus ou moins longues de leur évolution, des ressemblances avec les fœtus des types inférieurs qui s'organisent de la même manière, d'apres des lois identiques, et dont les formes définitives reflèteront l'unité de plan commune aux êtres d'un même embranchement. Dans les embryons des mammifères, par exemple, les quatre membres ne peuvent guère se différencier selon les espèces qu'au moment où ils perdent l'aspect de spatules informes pour prendre le caractère de pieds à un ou plusieurs doigts, de mains de singe ou d'homme. Et puisque l'ordre d'apparition des organismes est aussi l'ordre de leur perfection, mais pour des causes indépendantes du transformisme, parce que les conditions biologiques de la planète le voulaient ainsi, il est dès lors tout naturel qu'un certain parallélisme existe réellement entre les processus de l'embryon et la marche à travers les âges du développement des deux règnes ».

(2) Hoc iam adverterat celebris physiologus Coste in opere *Hist. du développement des corps organisés*. 1847, t. 1, p. 17.

vidua generantur in diversis speciebus. Et tunc potius redimus ad evolutionem activam, nunquam ad transformismum Darwinii eiusque sectatorum.

Praeterea organismi praesertim perfectiores, quum suam perficiunt ontogeneticam evolutionem, necessariam exhibent dependentiam ab organismo parentum eiusdem speciei, sine quo sese evolvi, vel saltem incipere suam evolutionem non possent. (1). — Tandem advertimus, non esse tam faciliter concedendam istam plenam similitudinem inter semina et ovula; nam plures physiologi ut e. g. Milne-Edwards, Edmond Perrier, Von Baer, William His, professor embryologiae in Lipsiis, aperte asserunt in ipso foetu iam adinveniri quasdam notas proprias diversorum viventium (2).

Et sane cellulae eandem habent formam sphaericam vel elipsoidicam pro diversis organismorum speciebus et eae quae oriuntur, quum organismus efformatur, magno inter se tum externo tum interno discrimine differunt, ac motus exhibent multiplicis generis. Nam protoplasmatis filamenta incredibili varietate huc illuc moventur, sese per cellulam extendunt ac retrahunt, ita ut totum protoplasma iugem ac multiplicem exhibeat motum, qui tamen *idem est in organismis eiusdem speciei, diversus vero in organismis diversarum specierum.* Item nucleus modo apparet esse in medio, modo in hoc vel illo latere. — Praeterea motus, qui extra cellulas ad habendam nutritionem secundum leges physicas absolvitur, praesertim per endosmosim et exosmosim, diversus est ac naturae et perfectioni uniuscuiusque organismi in unaquaque specie accomodatus.

Quare merito inter recentiores O. Hertwig asserit: « Iuxta legem ontogeneticam causalitatis cellulas ovales foecundatas diversarum specierum animalium iuxta propriam naturam eadem ratione inter se differre, itidemque esse subiecta diversarum differentiarum specificarum, sicut individua perfecta in ontogenis » (3). Unde ipse concludit: « Puto demonstravisse, antiquam

(1) Cfr. Kölliker, *Entwicklungsgeschichte des Menschen* (Leipzig, 1879) p. 391.

(2) Audiatur quid testatur William His. « Bien que les différences entre embryons ne soient pas aussi nettement accusées qu'entre sujets adultes, elles existent dè la première heure: et les rides du corps surgissant du disque proligère indiquent déjà la distribution future de la masse entre les divers organes. Ces rides à peine visibles sont les lignes fondamentales de l'édifice qui va se construire; et comme un architecte sait déduire de lignes analogues le plan d'un bâtiment et construction, ainsi l'embryogéniste de l'avenir saura de la première segmentation d'un germe, déterminer la forme qu'il réalisera » (*Etudes Religieuses*, mai 1877, p. 685).

(3) « Dass nach dem ontogenetischen kausalgesetz die befructeten Eizellen der verschiedenen Tierarten ihrem Wesen nach ebensosehr voneinander verschieden und ebensogut Träger verschiedener Art unterschieden sind, wie zum Ende ihrer Ontogenes bei ausgebildeten Individuen ». *Allgemeine Biologie* (1901), 674.

formam hypothesis recapitulationis sustineri non posse » (1). Item Depéret; postquam dixerit, quod « haec lex semper indiget applicari maxima cum prudentia » (2) nonnulla affert experimenta in quibus ipsa aegre omnino applicari valeat. Et concludit : « Haec exempla facile multiplicari possent. Ea tamen sufficiant, ut demonstrent, quam debile lumen inquisitiones ontogeneticae praesentium organismorum nobis afferant quoad organismos actatis geologicae anterioris » (3). Unde ipse Häckel fateri coactus est multas extare formationes embryonales a lege biogenetica valde discrepantes, quas ipse exceptiones esse putat, et fingit naturam, nescio qua adaptationis ratione, *falsificationum* seriem percurrere, quam ipse novo nomine *cenogenesis* exornavit, atque adeo contendit *ontogenesim* exoriri ex *palingenesi* et *cenogenesi*. Imo, uti testatur Arduin, embriologistae agnoscunt has diversitates in ovulo etiam ante fecundationem (4). Quare ipsum suppositum totius argumenti videtur, si non omnino falsum, saltem valde dubium, et nullius momenti ad sententiam adversariorum evincendam.

Nam si quae reperitur materialis similitudo inter stadia inferiora diversarum classium organismorum praesertim inferiorum, ea potius *generica* est, minime specifica. Neque in hoc aliquid miri adest; siquidem uti scite adverterat S. Th. « In his quae generantur, invenimus quod primo unumquodque est imperfectum et postea perficitur. Manifestum est autem, quod commune se habet ad proprium et determinatum, ut imperfectum ad perfectum, et ideo videmus, quod in generatione animalis, prius generatur animal quam homo vel equus » (5). Nimirum quum generatio procedat ab imperfecto ad perfectum, in prioribus stadiis inveniuntur formae organicae imperfectiores, quae proinde convenire possunt cum formis aliarum specierum secundum aliquam rationem communem universaliorem seu genericam. At

(1) « Ich glaube nachbewiesen zu haben dass sich die Rekapitulationstheorie in ihrer alten Fassung nicht aufrecht erhalten lässt ». Ib.

(2) « Cette loi demande toutefois à être maniée avec la plus extrême prudence ». *Les transformations du monde animal* (1908), 45.

(3) « Il serait facile de multiplier ces exemples. Il suffiront à montrer quelle faible lumière les recherches ontogéniques sur les êtres actuels nous apportent sur les êtres des périodes géologiques antérieurs ». Ib., 118.

(4) « Les embryologistes les plus éminents s'accordent à dire que les êtres organisés offrent des différences caractéristiques jusque dans les ovules mêmes avant toute fécondation. M. Coste enseigne (*Cours d'embryologie comparée*, apud *Revue scientifique*, 1864, p. 459) par exemple, que, dans l'ovule des oiseaux, la membrane viteline est fibreuse, tandis qu'elle est mince et granulée chez quelques espèces de poissons, de reptiles, de mollusques et d'insectes, fibreuse chez quelques autres, comme chez les oiseaux. Ce qui est particulièrement remarquable, c'est que ces différences affectent non pas les organismes d'embranchements différents, mais ceux des diverses espèces d'un même ordre ou d'un même genre ». Arduin, *Controverse*, a. 1882, t. 4, p. 367.

(5) S. *Theol.*, p. I, q. 119, a. 2.

certe hinc nil inferri potest in favorem evolutionis philogeneticae.

136. **Obiicies** I. — **Ex distributione geographica viventium.** — Darwin advertit diversa distingui organismorum genera (diverse faunæ e flore) iuxta diversas dissitas regiones in quibus ea reperiuntur. Atqui hoc facile explicatur supponendo, quod omnia haec genera ortum habuerunt ex aliqua specie primitiva, quae iuxta diversas regiones, quae subiectae fuerunt diversis perturbationibus physicis, semper magis dissimilia evaserunt. Ergo... — *R. C. M.;* et *D. m.;* hoc debet necessario explicari per hanc transformationem, *n.;* potest explicari per ipsam, *subd.*, tamquam per hypothesim arbitrariam, quae multas patitur difficultates, *c.;* tamquam per hypothesim solide probatam, *n.* Et certe quod haec explicatio nullo modo sit necessaria, nemo est qui non videat; quod vero ipsa in quamplurimas offendat difficultates, sufficit audire ipsos scientiarum cultores; e. g. Miwart, Günther, Maximilianum Perty, quorum testimonia quaedam invenies apud Lecomte (1), qui ideo concludit, quod facta experimentalia, quae ab istis afferentur, huiusmodi sunt, ut omnem hypothesim transformistarum subvertant.

II. — **Ex morphologia.** — Existit inter viventia quaedam identitas et unitas typi, imo ipsae diversitates quandoque sunt tantum apparentes, quia organa, quae apud quaedam viventia reperiuntur omnino evoluta, apud alia sunt in statu *rudimentari.* Atqui hoc manifeste ostendit huiusmodi viventia ex una eademque specie fuisse transformata. Ergo. — *R. D. M.;* ita ut haec identitas reperiatur quoad omnes illas proprietates, ex quibus determinatur identitas specifica, *n.*, quoad quasdam proprietates

(1) Cfr. Lecomte, *Le Darwinisme*, p. 110-116; Saint George Miwart, *On the Genesis of Species;* Dr. Guenther, *Catalogue of Acanthopterygias Fishes in the British Museum.* Sed iuvat saltem unum testimonium, quod Lecomte affert. p. 112, hic transcribere: « Le genre *Galaxias* a au moins une espèce qui est commune à la fois à la Nouvelle-Zélande et à l'Amérique méridionale, et une autre à l'Amérique méridionale et à la Tasmanie. Ces poissons sont *absolument et exclusivement d'eau douce.* D'après le darwinisme, la classification n'étant que l'expression des rapports généraliques, l'espèce actuellement répandue dans la Nouvelle-Zélande et dans l'Amérique méridionale, par exemple, a dû partir d'un point unique, habité par la souche primitive. Quel moyen de concevoir que des poissons, exclusivement d'eau douce, incapables de vivre dans l'eau salée, aient pu aller ainsi, par delà l'Océan, chercher des eaux douces dans des continents éloignés? C'est sans doute à cause de la grande importance d'une difficulté de ce genre que Darwin nous dit encore dans la dernière édition de l'*Origine des espèces*: « En ce qui regarde les poissons, je pense que les mêmes espèces ne se rencontrent jamais dans les eaux douces de continents éloignés. (In regard to fish, I believe that the same species never occur in the fresch Waters of distant continents. Ch. Darwin, *On the Origin of Species*, p. 463, 5th edition. London, 1869). Or les faits relevés par le Dr. Günther prouvent qu'une telle assertion ne peut plus être maintenue ».

plus minusve generícas, *c.* — *Contrad. m...* Omnia entia creata, ideoque etiam viventia aliquam praeseferunt similitudinem in unitate formali, uti in logica explicavimus (1), una tamen cum aliqua dissimilitudine vel in unitate specifica vel in propria unitate numerica. Et ob hanc similitudinem philosophi omnium temporum invexerunt divisiones in species et genera, sive proxima sive remota; vel ut nunc usu receptum est apud recentiores, in species, genera, familias vel tribus, ordines, classes ac supremos quosdam typos. In eadem specie infima continentur ea individua, quae unitate tantum materiali, seu principiis individuantibus et accidentibus discrepant inter se, sed in eadem conveniunt essentia specifica.

Iamvero ex hac viventium similitudine perperam infertur omnes species fuisse ad invicem transformatas. Species enim diversas habent formas substantiales, quae proprias ac determinatas sibi vindicant dispositiones in materia, unde potius videntur exigere, prout experientia docet, determinatam ac propriam generationem ex parentibus eiusdem speciei (2). Tandem ex hac similitudine morphologica melius relucet unitas ideae archetypae creatoris, qui cum propria differentia diversarum specierum viventium, voluit easdem in quadam unitate ordinis simul complecti (3).

IV. — **Ex plasticitate viventium.** — Certum est viventia subiecta esse multis modificationibus, uti apparet ex transformatione, quae habetur ex una in aliam stirpem per media ordinaria. Atqui quum adveniunt etiam media extraordinaria, ut e. g. *lucta pro existentia* et *selectio naturalis*, debet haberi etiam transformatio specierum. Ergo. — *R. D. M.;...* modificationibus accidentalibus, *c.*, substantialibus, quae gignunt diversas species, *n. donec probetur.* — *Contrad. m.;* si darentur modificationes substantiales, *c.*, si dantur tantum modificationes accidentales, *n.*, vel *subd.*, i. e. metaphysice non repugnat, ut, advenientibus quibusdam mediis extraordinariis, habeatur transformatio specierum, *c.*, de facto ipsa habetur et haberi potest eadem facilitate ac mutatio stirpium, *n.* — Magnum adest discrimen inter mutationem stirpium et mutationem specierum. Illae enim eandem habent formam substantialem, quae ob diversas accidentales dispositiones, quae in materia extant, diversas determinatas proprietates exhibent; quare ad habendam mutationem stirpium sufficit apponere quasdam circumstantias, ita ut parentes

(1) Confer quae diximus in log. crit., in n. 63, 64 et in Thesi XII.

(2) Unde recte ait Benedikt, professor viennensis: « L'identité des formes embryonnaires ne prouve qu'une chose; c'est que la nature emploie des substances identiques et qu'elle travaille selon des plans ayant entre eux une grande analogie ». *Biomécanisme ou néovitalisme en médicine et en biologie.* Maloine, 1904.

(3) Cfr. hanc animadversionem, quae afferri solet contra hoc argumentum, apud Leroy in opere *Pour et contre l'évolution*, p. 37.

filios generent diversae stirpis. Species contra diversas habent formas substantiales, quae proinde diversas omnino dispositiones in materia exigunt. Unde ratio adest omnino propria, quae opponitur transformationi unius speciei in aliam. Praeterea quando huiusmodi mutationes habentur per selectionem artificialem hominis, omnes species systematicae vel stirpes, quae exoriuntur, nunquam immutabiliter permanent cum eodem typo, sed multis obnoxiae manent mutationibus, quousque redeunt ad priorem typum, praesertim postquam, cessante hominis cura, sibimetipsis relinquuntur (1). Insuper ad factum quod attinet, sicut multa habentur experimenta transformationis stirpium, nullum vero adest exemplum transformationis specierum.

Sin autem inspicimus media a Darwin statuta, experientia adhuc magis eis contradicit. Si enim viventia transformata essent per illa media ab aliqua cellula primordiali, tunc semper et constanter in origine specierum adinveniri debuissent prius viventia inferiora et postea perfectiora. Atqui, ut ipsa palaeontologia docet, oppositum obtinuit, uti vidimus. Imo omnia viventia typi inferioris deberent disparere. Cum enim *lucta pro existentia* esset naturalis et universalis, non intelligitur, cur quaedam viventia perfectiora sese perfecerint et alia pericrint, cetera vero in eodem statu permanserint, relinquendo simul in pace alia inferiora (2). Quinimmo viventia illa simpliciora et cum typo quodammodo indeterminato debuissent multo magis transformari per illa media, quippe quae magis viderentur apta ad transeundum in speciem perfectiorem (3). Sed Darwin nihil aliud valet respondere nisi recurrendo ad diversos *casus* aut *conditiones* plus vel minus propitias. Tandem quomodo intelligi potest tanta determinata variatio et constitutio specierum, quae exortae essent ex una cellula prototypa per solam *luctam* ac *selectionem naturalem*? Selectio, uti bene advertit E. von Hartmann, nihil positivi gignere valet, sed nequit producere nisi effectum tantum negativum (4), impediendo nempe quominus generarentur imperfectiones vel defectus parentum, minime vero efficiendo, ut novae perfectiones exorirentur. Ipse Darwin coactus est fateri, se non posse ullo modo huic difficultati occurrere; imo cum nobis nullum medium praesto sit ad illam solvendam, omnis conatus in hac inquisitione videtur inutilis

(1) Hoc clare ostendit P. Wasmann, l. c., p. 315.

(2) Hoc egregie advertit De Quatrefages, *Ch. Darwin*, p. 212 et 213.

(3) Imo adverte cum Stanislao Meunier: « La paléontologie nous a appris que ce sont les êtres chétifs, qui résistent le plus longtemps: les espèces massives robustes sont voués à une disparition relativement rapide ». *Cfr. Revue Scientif.*, 19 déc. 1903.

(4) Cfr. quae ipse resumit, quum exponit *Die Abstammungslehre seit Darwin*, in *Annalen der Naturphilosophie*, II, 3, p. 354, ubi ostendit originem novarum specierum per iuges earum variationes nullo experimento demonstrari et evadere semper minus probabilem.

et omni fundamento destitutus (1). Atqui, nunc addimus, evolutio specierum, quae haberi debuerit per media naturalia, quae saepe impediuntur a causis accidentalibus, quaeque insufficientia sunt ad explicandam primam evolutionem specierum, nullo pacto dici potest scientifica explicatio constitutionis specierum. Ergo.

137. **Iudicium fertur systematis Lamarkii, Darwinii et Haeckelii.** — Iuvat aliquid directe contra eorum peculiaria principia modo breviter addere. 1° Quoad Lamark advertimus, contra suam doctrinam valere argumenta allata contra *generationem spontaneam*, quam ipse ponit uti primum vitae principium. Et praeterea media, quae ipse statuit ad transformationem peragendam, sunt prorsus insufficientia. Ipse enim recursum habet ad actionem *medii cosmici* in organismum viventium, et ad reactionem istorum in ipsum, quo explicatur *usus* et *non-usus organorum*, unde fit ut quaedam modificentur, alia perficiantur, cetera pereant.

At vero haec actio aut est casualis, et tunc quomodo explicat constantiam existentiae diversarum specierum? aut est fixa et constans, et tunc deberet adhuc vigere, quod patet esse falsum. Imo deberet exhibere rationem istius constantiae, coniunctae cum productione tantae varietatis specierum, quae quidem necessario expostulat diversitatem virium, in ipsa materia existentium, quaeque proinde responderent diversis formis substantialibus viventium, quas nos admittimus. Ergo illa actio prorsus insufficiens est ad originem diversarum specierum explicandam. Qui enim fieri potest, ut idem medium cosmicum, agens in eandem materiam, tantam gigneret varietatem viventium, quam nunquam satis admiramur? Et ipsa *haereditas naturalis*, quam ipse in medium profert, quomodo potest in diversas species distingui, si ortum habet ab una eademque materia?

(1) Hoc etiam advertit idem DE QUATREFAGES, ibid., p. 214. « Suffit-elle au moins pour rendre compte des variations premières du prototype, pour expliquer le premier partage accompli à l'origine des choses entre les animaux et les végétaux, pour éclairer les premiers pas faits vers la différentiation et la localisation des organes pour des fonctions de plus en plus spéciales? Non, répond franchement Darwin. D'ailleurs, comme nous n'avons aucun fait pour nous guider dans la recherche d'une solution, on peut regarder toute spéculation sur ce sujet comme vaine et sans base ».

2° *Darwin* conatus est huic defectui supplere, praesertim insistendo in *selectione naturali* (1) et in *lucta pro vita*. Sed haec media longo temporis spatio indigerent ad individua novae speciei progignenda, dum contra ut ex palaeontologia edocemur, iam ab initio apparent diversae species determinatae plantarum et animalium. Praeterea per huiusmodi media non explicatur origo novarum qualitatum, sed tantum indicatur, cur, postquam ortae sint, conserventur: multo minus origo qualitatum *morphologicarum* etiam fundamentalium, quae pro pugna vitae saepe indifferentes sunt. Imo *nullius organi* origo explicatur, quia eorum initia (rudimenta pedum, alarum...) in pugna vitae inutilia ac saepe nociva sunt. Neque tandem declaratur cur qualitates et organa ratione pugnae orta maneant ac per generationes transmittantur (2). Ergo Darwinismus quoque reiiciendus est.

(1) Opportunum autem videtur, hic transcribere profundam criticam, quam affert D. Yves Delage contra selectionem naturalem in opere *Structure du protoplasme*, p. 371 sqq. « La sélection naturelle, ipse ait, est un principe admirable et parfaitement juste. Tout le monde est d'accordo aujourd'hui sur ce point. Mais où l'on n'est pas d'accord, c'est sur la limite de sa puissance, et sur la question de savoir si elle peut engendrer des formes spécifiques nouvelles. Il semble bien démontré aujourd'hui qu'elle ne le peut pas ». Voici les arguments qui le prouvent.

1° Les causes de variations étant plus faibles que les causes de fixité, celle-ci doit nécessairement l'emporter sur celle-là. — 2° La sélection est impuissante, parce que la plupart des caractères qu'elle est censée avoir développé sont inutiles et ne lui donnent pas la possibilité de s'exercer. — 3° Il est de nombreux caractères utiles que la sélection n'a pu former, parce que leur utilité ne se montre que lorsqu'ils sont complétement développés. — 4° Les variations, même lorsqu'elles sont inutiles à tous les degrés, le sont trop peu pour créer un avantage donnant prise à la sélection. — 5° La sélection des variations accidentelles ne peut engendrer les espèces, parce que ces variations sont isolées et que pour constituer un avantage réel, elles devraient porter sur plusieurs caractères à la fois. — 6° La sélection est impuissante parce que les variations sur lesquelles elle pourrait s'exercer sont sans cesse détruites par la génération sexuelle. — 7° La sélection n'est pas la vraie cause de la formation des espèces, car, si elle était réelle, si faibles que fussent ses effets, elle transformerait une espèce en un temps beaucoup plus court que celui qui est évidemment nécessaire pour une espèce en un temps raisonnablement long, la protection nécessaire est si faible qu'elle devient illusoire.

La conclusion de cette critique (p. 391) est que la sélection est impuissante à former les espèces. Son rôle cependant n'est pas nul. Mais il se borne à supprimer les variations radicalement mauvaises et à maintenir l'espèce dans son caractère normal. Loin d'être un instrument d'évolution pour les espèces, elle garantit leur fixité.

(2) Cfr. quae scite ad rem animadvertit P. Wasmann, l. c., p. 264.

3° Quoad *Haeckel*, ut sistamus aliquantulum in eius experimentis ipse, relicta inventione bathybii, conatus est innumeras obtrudere moneras, quae nostra aetate inter vera viventia, proprio nucleo praedita, recensita sunt (1), ita ut omnibus nunc ratum sit, cellulam nucleatam esse primam unitatem viventem (2). Dein recursum habuit cum Altmann, Maggi, Le Dantec ad quaedam corpuscula, quibus nomen fecerunt, *granulorum* « glie », plastidulorum. Sed ut Gustavus Schlater a. 1899 fateri coactus est, nondum ad illam usque aetatem ea adinvenire potuit, nec in complexa molecula albuminae ullum reperitur vitae vestigium, quod ipsam in viventem organismum mutaret (3).

Unde iterum a Gulielmo Harvey a. 1651 in op. « De generatione animalium », statutum est principium illud : *omne vivum ex ovo* vel melius *ex viro*, cui a Rodulpho Virchow a. 1858 additum est hoc aliud : *omnis cellula ex cellula;* et a Strasburger a. 1897 hoc tertium : *omnis nucleus ex nucleo*.

Pariter conatus est, alios adstruere vitae gradus cum *sozouris*, *gastraeis*, *chordoniis*, *protammiis*, *promammalibus* et *pithecantropis*, quorum nullum uspiam extat vestigium, nec alia fingendi datur causa praeter eius arbitrium (4).

Gratis praeterea assumit principium illud, quod etiam

(1) Audias ad rem P. Wassmann, p. 226: « Nella classe delle monere Haeckel aveva radunati tutti quegli esseri viventi semplicissimi che secondo le sue ricerche non avcano un nucleo cellulare; e da principio il numero di questi esseri sembrava dovesse essere enorme, e tale da autorizzare le più grandi speranze nella teoria dell'evoluzione; ma col perfezionamento del microscopio e della tecnica di ricerca il loro numero si dileguò come si fondono i fiocchi di neve al sole di primavera. Gli obiettivi apocromatici, e i nuovi metodi di colorazione ne diedero modo di scoprire in quasi tutti i protozoi quel nucleo che sino allora non si era potuto vedere; e perciò questi esseri non fecero più parte di quella classe delle monere la quale invece andò sempre più divenendo esigua; perciò noi dobbiamo ritenere che non sia molto lontano il giorno nel quale anche le ultime monere subiranno la sorte degli ultimi *Moichani* ».

(2) Cfr. P. Wasmann, l. c., p. 232. « Noi possiamo affermare che non esiste in realtà alcun essere vivente il quale sia organizzato in modo più semplice della cellula ». Cfr. etiam p. 236.

(3) Cfr. *Biologischen Centralblatt*, a. 1899, p. 732: item Wasmann, p. 246.

(4) Id egregie docet nobilis scriptor Agassiz, *De l'Espèce*, p. 387-388.

Idem testatur Du Bois-Reymond: *Les arbres généalogiques de la phylogénie Häckelienne ont à peu pres autant de valeur, qu'en ont, aux yeux de la critique historique, les arbres généalogiques des héros homériques.* — Vide apud ipsum Haeckel, *Les preuves du transformisme*, pag. 129.

alii evolutionistae supponunt, historiam germinis esse historiam arboris genealogicae, vel evolutionem ontogenicam seu embryonalem esse exemplum et summam evolutionis phylogeneticae, ac proinde inter evolutionem embryonalem et evolutionem totius seriei viventium ab imo ad summum adesse perfectam similitudinem et parallelismum; uti iam vidimus.

Et quod peius est ad istud principium utcumque probandum, ipse inventa quaedam effronti audacia finxerit. Sane unius eiusdemque ovuli humani triplicem imaginem finxit in prima sua *Historiae creationis* editione, mentiens illas esse imagines ovi hominis, simii et canis, mox simili modo eadem imagine expressit embryonem canis, pulli ac testudinis, ut nempe hoc pacto probaret perfectam horum ovorum embryonumque similitudinem.

Fraudem detexit Rütemayer, quem in posterioribus eiusdem operis editionibus indignis quidem conviciis appetivit Häckel, confutare tamen non potuit. Nuperrime iterum Dr. Brass eius discipulus huiusmodi falsitates clarius adhuc in lucem posuit in opere cui titulus: *Das Apfenproblem*. Anthropogenia etiam abundat imaginibus, partim mutuatis ab aliis auctoribus, partim ab ipso Häckel primum expressis: harum autem postremarum, quaedam non sunt penitus verae, quaedam sunt penitus confictae. Huiusmodi fraudum plures detectae sunt a peritissimis scriptoribus Pfaff d'Erlanghen, Carolo Semper, Guillelmo His Rutimeyer, Bischoff, Hamänn et ab eodem Brass, quorum repellendis accusationibus imparem se reperiens, prius opponit se responsurum opportuniorem nactus occasionem, dein silentio rem praeterire conatur (1). Sed iterum a Brass impetitus, coactus fuit

(1) « Häckel lui-même a avoué implicitement son impuissance de répondre à ces terribles accusations. Il a publié un opuscule: *Ziele und Wege der heutigen Entwickelungsgeschichte*, pour répondre aux attaques dont sa doctrine de l'evolution et principalement sa *loi fondamentale* ont été l'objet; mais il ne répond rien aux accusations de falsification: il se réserve, dit-il, ce point critique (sic) pour une occasion ultérieure. Mais quel homme laisserait peser sur lui un poids si accablant, s'il avait le moyen de s'en décharger? D'ailleurs Häckel n'a pas daigné profiter d'une occasion qui s'est de nouveau présentée. Dans la préface de la troisième édition de son Anthropogénie, il répond aux attaques du professeur Semper par des injures suivant se méthode, mais sur le chapitre des falsifications, silence complet. Cette sortie lui a valu une nouvelle leçon du professeur Semper, c'est-à-dire une plus ample démonstration

fateri se quasdam imagines falsas gefälscht protulisse, forte 6 vel 8 supra 100 [1]. Cui Brass iterum reposuit, eas potius esse 60 vel 80 supra 100 (2).

Denique gratis fingit leges transformationis, cumque aliquid occurrit legis falsitatem ostendens, novas dictat leges ad priores exceptiones declarandas, novoque verborum apparatu exornat. Quae cum ita sint, nihil mirum, si vel ipsi transformismi assertores merito causae suae haud leve nocumentum timuerint ab eiusmodi scriptoris temeritate (3).

138. **Scholion. - De Mutatione quarundam specierum systematicarum.** *Quid species systematica, quid species naturalis.* — *Species systematicae* sunt illae, quas botanici ac zoologi inter se distinguunt « iuxta diversum typum morphologicum, quem *nunc* servant et quem *nunc ordinarie* per generationem ad alia individua transmittunt ». — Species autem naturales sunt « series naturales typorum inter sese affinium, qui reduci debent ad typum quemdam primitivum, a quo originem ducunt per generationem » (4). Quare isti typi affines ii essent, qui constituerent diversas species systematicas.

de ses falsifications inouïes. Après ces épreuves accablantes tout homme de bonne foi dira avec His, que Häckel en agissant de la sorte a renoncé lui-même au droit de compter désormais parmi les observateurs sérieux. Tout cet assemblage de figures embryologiques est bon pour être jeté au feu en compagnie de la fameuse loi biogénique, qu'elles devaient démontrer ». V. Becker. *Un duel darwiniste* apud *Etudes religieuses* etc., ann. 1877, serie 5ª, tom. II, pag. 678.

(1) Hoc ipse protulerit in Ephem. *Berliner Volkszeitung* d. 29 dec. 1908; ubi in sui favorem hanc affert excusationem quod alii quoque scientiarum cultores in inquisitionibus experimentalibus, sint « *falsarii sicut et ipse* ». Forte loquebatur de iis, qui sicut et ipse conantur hac ratione suadere transformismum universalem. Habemus reum confitentem!

(2) Vide opus italice translatum A. Brass-A. Gemelli, *L'origine dell'uomo e le falsificazioni di E. Haeckel*, Firenze, Libr. Ed. Fiorentina, 1910.

(3) Hoc testatur inter alios Carazzi, « L'Haeckel... osservatore inetto e destituito di senso critico, o vide male o anche suppose di aver visto e *illudendosi* di spiegar tutto, finì con esser *dannoso* alla scienza ». Apud Gemelli, *L'enigma della vita*, p. 211 in nota.

(4) Accipe explicationem P. Wasmann, p. 197: « Karl v. Linné der als Hauptbegründer des heutigen Begriffs der systematischen Art anzusehen ist, u. der deshalb auch der Vater der Konstanztheorie genannt wurde, hat den Satz aufgestellt: *Tot species numeramus, quot ab initio creavit infinitum ens.*

« Wie muss dieser Satz im Sinne der Entwicklungstheorie lauten? Nach

Haec definitio spectat speciem potius physiologice et sub ratione mutabilitatis. Philosophice vera species naturalis, iuxta ea quae diximus in n. 124, definiri posset: vel 1° spectatis principiis essentialibus intrinsecis: « est collectio individuorum, quae constant eadem forma specifica eodemque organismo apto ad exercitium activitatis formae et quae ad invicem generantur »; vel 2° spectatis proprietatibus sensibilibus: « est collectio individuorum exhibentium easdem vires, eandem activitatem eundemque organismum quae ad invicem generantur » (1).

Ex hac definitione iam elucet discrimen inter speciem *naturalem* et *systematicam*. Ut habeatur enim species naturalis requiritur primo *eadem activitas* in omnibus individuis, et consequenter talis *identitas* organismi, quae sit prorsus necessaria ad illam eandem activitatem exercendam. Quapropter si forte in serie multorum individuorum, quae ad invicem generantur, deprehendatur quaedam immutatio organismi seu *typi morphologici*, quae non arguat diversam activitatem ac proinde diversam formam substantialem, nullum habetur ius inferendi mutationem speciei naturalis. E converso species systematica primo desumitur ex identitate organismi fixi ac determinati, quae servatur in quibusdam

ihr stellen die systematischen Arten der Gegenwart nicht die ursprünglich geschaffen Formen dar, sondern das Resultat einer Entwicklung, welche die Arten der Gegenwart u. der Vergangenheit zu natürlichen Formenreihen verbindet, deren Glieder unter sich stammesverwandt und deren jede auf eine ursprüngliche Stammform als auf ihren Ausgangspunkt zurükführt. Bezeichnen wir nun iede dieser selbständigen, mit andern nicht verwandten Formenreihen oder Stämme als eine natürliche Art, so können wir auch heute nach dem Satze Linnés beipflichten: *Tot species numeramus, quot ab initio creavit infinitum ens.* Iede dieser natürlichen Arten hat sich im laufe der Stammesentwicklung in eine mehr oder minder grosse zahl von systematischen Arten differenziert ». Cfr. verba italice translata in op. cit., p. 299.

Attende bene quod hic non loquimur nisi tantum de individuis *specierum eiusdem regni*, in quibus nempe non apparet magna diversitas activitatis. Dum contra species, quae sunt in diverso regno, certissime diversam exhibent essentiam, ob diversam, qua gaudent, activitatem: ideoque de istis nulla esse potest controversia. Imo quoad illas species etiam, nulla est quaestio, si ipsae typum praeseferunt omnino diversum, uti pisces, volatilia, animalia quadrupeda... et huiusmodi. Tunc enim diversitas tanta est, ut apertissime appareat differentia principii formalis, quo actuantur, quodque essentialem ac specificam constituit diversitatem.

(1) In idem redit quod asserit P. Gemelli, l. c., p. XC.

individuis, quae ad invicem generantur. Et ratio est, quia ipsa determinatur a botanicis ac zoologis, qui *primo* respiciunt organismum eiusque internam structuram.

Ex quo sequitur, quod si forte in collectione individuorum, quae ad invicem generantur, quaedam offenduntur, quae organismi diversitatem praeseferunt, iam fas erit mutationem speciei systematicae arguere. Sed tunc tantum ex ea erui posset mutatio speciei naturalis, quum in individuorum serie ad invicem generatorum inveniretur talis mutatio organismi, quae necessario argueret mutationem activitatis ac formae substantialis (1). Quare hoc tuemur

139. **Assertum. — Admitti potest mutatio specierum systematicarum, dummodo ipsae non pertineant ad diversas species naturales.** — Nam praecipuum criterium, quo discernuntur ac determinantur species systematicae, est organismus, seu typus morphologicus, qui intra determinatos ac statutos fines constanter ad longum saltem tempus deprehenditur in serie individuorum, quae ad invicem generantur. Atqui nulla est repugnantia non modo metaphysica sed neque physica in eo quod processu temporis, ratione tum agentium externorum tum cuiusdam internae aptitudinis, individua alicuius speciei pedetentim suum organismum ita modificent ut perveniant post plurimas generationes ad novum induendum, quem proinde constanter generant atque adeo nova species organica exoriatur. Ergo.

Contra vero si species systematicae ita inter se distinguuntur ut diversas quoque constituant species naturales, nequeunt ad invicem mutari, quia, uti vidimus in thesi supe-

(1) Numquam oblivioni dandum est, omnem speciem naturaliter in se constitui per formam substantialem, ut liquet ex doctrina de constitutione corporum et ex iis omnibus quae in toto hoc capite exposita sunt, quod placet confirmare hisce Suarezii verbis. « Omnis forma substantialis habet propriam entitatem distinctam in re ipsa a materia vel aliis formis; ergo necesse est in illa entitate intelligere ultimam et propriam differentiam sive rationem, per quam distinguitur essentialiter ab aliis formis habentibus diversam essentiam, cum quibus convenit in communi ratione formae substantialis. Ergo omnis forma substantialis est necessario constituta secundum suam entitatem in aliqua ultima specie formae substantialis » (*Metaph.*, Disp. 13, s. 3, n. 16). Quocirca tunc reapse habetur mutatio speciei, quando habetur forma substantialis specifice diversa, quae proinde diversa gaudet activitate.

riori, vera mutatio unius speciei naturalis in aliam physice repugnat. Et revera ex experimentis recentiorum eruitur tantum mutatio specierum affinium habentium quidem determinatos typos, qui tamen cum uno typo morphologico primitivo conveniunt, a quo ortum habere potuerunt. Atqui haec mutatio nequit dici adesse inter species systematicas, quae ad diversam speciem naturalem pertinent. Quia tunc demonstrandum esset, eas diversam exhibere essentiam specificam ac formam substantialem, quod ex sola experientia colligi nequit. Imo eo ipso quod ad invicem generantur, iam suadetur oppositum. Ergo.

Quare relicta quaestione experimentali, nam quocumque modo ipsa solvatur, eadem semper manet sententia nostra, ita concludimus: *suppositis tamquam veris iis omnibus*, quae P. Wasmann expertus est circa diversas formicarum familias, coleoptera, dynardas... et huiusmodi, necnon iis, quae ex aliis refert, nullo modo deduci potest naturalium specierum transformatio. Quocirca merito concludi potest nihil haberi in sententia P. Wasmann, contra traditionalem doctrinam sanae philosophiae vel theologiae et quod viam aperire potest, ad ostendendam originem hominis per evolutionem (1).

Dices: I. — Hinc sequeretur quod huiusmodi species systematicae naturaliter spectatae, potius stirpes dicendae essent. Atqui hoc non videtur admitti posse. Ergo. — *R. D. M.*:... dicendae essent latiori sensu, *c.*; stricto ac proprio sensu, *n.* — *Contrad. m.*... Et primo dicimus, quod huiusmodi species vocari possint stirpes latiori sensu, quatenus non sint *verae species naturales*, non videtur esse inconveniens. Et sane duo sunt criteria ad arguendum, utrum duae species systematicae sint etiam naturales: *generatio* et *talis typus morphologicus*, qui requiritur ad propriam illius speciei activitatem exercendam.

(1) Hinc elucet, quam immerito contra eum tantus rumor factus sit tum a fautoribus transformismi, tum ab eius osoribus. Quidam enim, qui videntur in horrorem habere ipsum nomen evolutionis, quocumque sensu accipiatur, statim scandalum passi sunt, quasi timerent sententiam P. Wasmann in sententiam Darwinii et Haeckelii incidere. Imo etiam adversarii hoc idem repetunt et ipse Häckel in orationibus habitis Berolini in Singakademie mense aprili a. 1905, asserere non dubitavit: « Iam PP. Iesuitae agnoscunt evolutionis theoriam, et Ecclesia catholica iam in eo est ut sese in eius favorem vertat ». Iamvero quantum distet sententia P. Wasmann a sententia Darwinii et Häckelii vel ex eo patet, quod ipse eos nervose ac profunde refutet, ut ipse Haeckel questus est.

Iste autem typus potest quibusdam subiici mutationibus, iuxta quas determinantur diversae stirpes. Ad dignoscendum autem utrum istae varietates, quando sunt valde affines, diversas stirpes tantum vel etiam diversas efforment species naturales, non videtur aliud suppetere criterium nisi generatio (1). Atqui in nostra hypothesi illa individua diversorum typorum affinium supponuntur eandem habere generationem seu generari ab uno typo primitivo. Ergo diversitates istae typorum affinium non videntur constituere nisi diversitatem stirpium, ac proinde inter ista individua habergtur *generatio* unius ab alio, et idem *typus morphologicus*. Atqui quando istae adsunt proprietates, eadem habetur species naturalis. Ergo. Eae tamen vocari nequeunt stirpes *vero sensu;* quia discrepant per aliquam perfectionem etiam organicam; dum stirpes hanc discrepantiam non solent exhibere. Ideo requiruntur plura media et etiam extraordinaria, ut illam perfectionem modificent, et ita valeant ad invicem generari.

II. — Omnes species vocari possunt systematicae; ergo inter omnes dari potest mutatio. Atqui iste est verus transformismus Darwin. Ergo. — *R. D. A.* Etiam species diversorum regnorum, *n.;* tantum eiusdem regni, *subd.;* si sunt valde affines, *c.;* secus *n.* — *D. C.* eodem modo, et *Contrad. m.;* mutatio omnium specierum, *c.;* tantum specierum systematicarum affinium, *n.* — Et distinctio patet.

III. — Omnes species naturales sunt catena specierum affinium, eae quoque, quae in diverso inveniuntur regno. Atqui istae

(1) Hoc idem aperte asserit et ostendit Th. Ribot. « L'Evolution des Idées Générales », Paris, Félix Alcan, 1904, s. VI, p. 233 « Ces éléments constitutifs du concept d'espèce se recontrent dans presque toutes les définitions de naturalistes; ils sont au nombre de deux: l'espèce est déterminée par deux caractères essentiels: la ressemblance (critérium morphologique), la filiation (critérium physiologique). 1° La ressemblance paraît au premier abord facile à constater et il semble qu'il n'y ait qu'à ouvrir les yeux, mais avec ce procédé élémentaire, on ne dépasse guère le niveau des images generiques et on risque de commettre beaucoup d'erreurs. Il faut pénétrer jusqu'à des ressemblances plus profondes que celles qui se voient; ce qui est un premier degré de complication. Déjà Buffon faisait remarquer « que l'âne et le cheval qui sont des espèces distinctes, se ressemblent plus que le barbet et le lévrier qui sont de la même espèce ». Les faits désignés par les contemporains sous le nom de polymorphisme, mettent totalement en defaut le critérium de la ressemblance. Sans parler des différences évidentes entre la larve et l'insecte parfait, entre la chenille et le papillon, entre les mâles et femelles, et neutres des Sociétés d'abeilles, de fourmis, de termites, il s'est trouvé des cas où la disparité est si grande entre les deux sexes, que le mâle et la femelle, pris l'un et l'autre pour deux animaux différents, ont été classés dans des genres et même des ordres distincts: ainsi pour le lampyre ou ver luisant, pour les lernées et beaucoup d'autres. Le caractère de la ressemblance est donc souvent vague, quelquefois trompeur, presque toujours insuffisant, aussi doit-on avoir recours à l'autre, la filiation ».

possunt mutari. Ergo omnes. — *R. D. M.;...* ita ut multae ex istis talem determinatum typum et activitatem praeseferant, ut certo demonstrent essentiam specifice diversam, *c.;* ita ut hanc nunquam ostendant, *n.* — *Contrad. m....* — Hic non est locus ostendendi, quando species systematicae illos characteres exhibeant et quando non. Hoc enim eruendum est ex criteriis superius expositis. Sed, ut minimum dicamus, nemo est qui dubitet, quominus saltem species, quae ad diversas omnino pertinent familias, ut aiunt, illos praeseferant (1).

140. **Scholion. — De Unitate humanae speciei. —** Haec quaestio agitata est inter philosophos incredulos, qui diversimode explicant humanae speciei unitatem et originem. Ii vero qui eam per transformismum explicare conantur, adhuc magis inter sese discrepant. At omnes isti eo vires dirigunt, quamvis irrito conatu, ut ostendant falsam doctrinam a Moyse traditam et a S. Paulo confirmatam; et argumenta congerunt, quae revera nihil omnino evincunt. Fides autem catholica, innixa clara et aperta Dei revelatione, docet omnes homines ex uno Adamo cum Eva originem ducere atque adeo unius esse speciei; et argumenta rationis vel melius sophismata quorundam nil unquam contra eam conficere valent. Quare haec veritas, cum pertineat ad divinam revelationem, theologis probanda reliquitur. Nos tantum addimus, quod ipsa quoque ratio hoc suadet.

Assertum: Omnes homines ita sunt unius speciei, ut ex uno coniugio omnes ortum ducere potuerint.

Et primo plures sunt inter celebriores scientiae naturalis cultores, qui hoc idem affirmant, e. g. Linné, Buffon, Cuvier, Blumenbach, Prichard, Waitz, A. de Humboldt, Owen, de Quatrefages, Ioh. Müller, Flourens, Baer, Virchow, Kollmann, Ratzel, Ranke... et alii. « Nos deprehendimus, ait Ranke, varietates omnes corporeas humani generis tam perfecte inter se coniunctas per formas medias parum ad invicem discrepantes, ut diversitas harum differentiarum appareat series una in se clausa, (i. e. species). Haec est hodie sententia omnium anthropologorum, anatomiae cultorum, qui directe super homines suas instituunt inquisitiones » (2). Darwinistae vero et praesertim monistae tum homines tum cetera animalia ad unam reducunt spe-

(1) Hoc idem asserit P. Wasmann, p. 301. « In non pochi casi noi possiamo oggi in qualche modo dimostrare il tipo delle forme che appartengono ad una specie naturale, anche se non conosciamo quante specie sistematiche esso comprende ».

(2) « Wir sehen die körperlichen Verschiedenheiten des Menschengeschlechtes alle durch aufs feinste abgestufte Zwischenformen so vollkommen mit einander verbunden dass uns die Gesamtheit der körperlichen Differenze als eine in sich geschlossen Reihe (d. h. Spezies)... Das ist heute di Meinung aller selbständig über den Menschen forschenden anatomisch gebildeten Anthropologen ». (Der Mensch, ed. 2a, II, 261).

ciem iuxta eorum falsa principia. Sed nonnulli, ratione diversitatis coloris, structurae cranii, cerebri magnitudinis... et huiusmodi, diversas distinguunt species, ac *polygenismum* profitentur. Ita e. g. sentiunt Knox, Morton, Agassiz e schola, quam *Americanam* vocant, Carus, C. Vogt, Strauss.

Prob. — Et sane integrum genus humanum constituitur in sui ratione per animam spiritualem, quae peculiare sibi corpus expostulat. Atqui ipsa nonnisi a Deo per creationem produci potest. Ergo prima origo humani generis directe et immediate ab ipso Deo repetenda est, quatenus Deus ipse animam creavit, cui aptavit corpus ei conveniens. Atqui producto primo viro una cum muliere, ipsi apti erant ad generandum novum aliud corpus eiusdem rationis, quod proinde eandem exposceret animam, quam Deus crearet. Ergo posita immediata creatione primi viri cum muliere, probe explicatur productio omnium hominum per generationem ex ipsis. Aliunde autem novimus, Deum, sicut non deest in necessariis, ita non abundare in superfluis. Ergo plane dicendum videtur, re etiam a priori inspecta, Deum non creasse directe alios homines praeter Adam et Evam, et voluisse omnes alios ex eis progigni.

Quare merito gradus vitae intellectivae, qui proprius hominis est, non appellatur *regnum*, sed tantum species humana, uti diximus in n. 35.

Difficultates vero, quae petuntur ex diversitate stirpium, locorum, linguarum et ingeniorum, faciliter dissolvuntur, si inspicitur peculiaris Dei providentia, praesertim quoad propagationem hominum, et influxus diversorum elementorum naturalium tum in corpus, tum saltem indirecte in ipsam intellectualem educationem hominum. Quum contra eas firmum semper manet factum generationis, quae inter diversas stirpes habetur, et praesertim eadem activitas essentialis ordinis nempe rationalis. Ex eis Blumenbach numeravit quinque (caucasicam, mongolicam, aethiopicam, americanam, malaicam) alii sex, vel undecim, vel quindecim... et ita porro. Ex quo patet non haberi apud eos certum criterium ad eas rite distinguendas.

Siquidem, uti recte ad rem advertit P. Palmieri (1) « ex commixtione cuiuscumque stirpis hominum propagatio haberi potest sine fine. Copulatio speciatim Albi et Nigri, de quibus potior fuit dubitatio, fecunda est perrenniter pluribus in locis; quare si alicubi minus fecunda est, id ex causis extrinsecis et ex medio in quo versatur homo, repetendum est. Imo copulatio inter stirpes maxime diversas fecundior aliquando est quam in eadem stirpe. Porro ex animantibus diversae speciei obtinetur quidem aliquando series animalium hybridorum; requiritur tamen ad hoc industria specialis, ut fecunditas perduret; et nihilominus tandem post aliquas generationes proles redit ad species primi-

(1) *Anthrop.*, th. XX.

tivas, quemadmodum contingit in regno vegetali. At in commixtione diversarum stirpium hominum nulla specialis industria intercedit, prolesque similis priori sine fine propagatur.

Quod spectat ad qualitatum similitudinem, ea 1° colligitur ex perenni filiatione : 2° individua cuiuscumque speciei viventis, ideoque etiam speciei humanae subesse debent iis modificationibus, quae per vires physicas induci possunt. Nequit proinde immunis esse homo ab iis plus minus patiendis modificationibus, quae in aliis quoque speciebus brutorum et plantarum sunt. Hae diversae modificationes igitur similitudinem propriam individuorum eiusdem speciei tollere non possunt : neque sane a physiologis ut differentiae specificae habentur. Atqui differentiae omnes, quae inter stirpes humanas intercedunt, ex causis physicis agentibus in nos repeti possunt. Ergo ».

Coroll. — Ergo hic iterum patet, quam difficile sit ex sola organismi structura vel ex aliis accidentalibus qualitatibus, etiam in regno animali ac vegetali diversitatem specificam essentiarum arguere. Nam certum omnino est omnes homines unam constituere speciem naturalem, uti modo vidimus. Atqui isti, quum praesertim in dissitis regionibus reperiuntur, haud paucas habent diversas qualitates, ratione staturae, conformationis cranii, coloris capillorum, pellis... necnon diversarum aptitudinum rationalium. Ergo etiam quando in plantis et animalibus huiusmodi reperiuntur diversitates, haud semper facile erit statim inferre diversitatem specificam essentiarum, nisi accedat criterium ex generatione desumptum.

141. **Conclusio generalis de transformismo.** — Viventia materialia necessario expostulant causam sui, distinctam a sola materia anorganica eaque perfectiorem. Transformismus igitur atheus, materialista et universalis, praesertim prout a *Spencer*, *Haeckel* eiusque sectatoribus proponitur, metaphysice repugnat. Si quis vero admittit ens aliquod superius, ac vires ab eodem materiae inditas, et censet, viventia originem ducere per viam transformationis a materia anorganica et ab aliis speciebus inferioribus, tum dicimus : — *a*) Re *a priori* inspecta, talis vitae origo non videtur repugnare, dummodo dicatur, quod in viventibus inferioribus *educitur* propria forma substantialis a materia, quando adsunt in ea dispositiones aptae, et quoad hominem anima nonnisi a Deo infundi possit in sua materia. — *b*) Haec autem origo posset aequo modo explicari per evolutionem sive idealem, sive activam, sive passivam. — *c*) Postquam diversae viventium species iam productae ac distinctae

sunt cum propriis determinatis viribus, omnino dicendum videtur, quod ipsae fixae maneant oportet, quin earum individua transmutare aut generare valeant individua aliarum specierum naturalium, quamvis metaphysice loquendo haec transformatio non videatur aperte repugnare. — *d*) Si vero rem *a posteriori* inspicimus dicendum omnino est nullum hucusque haberi exemplum generationis viventium sine parentibus. — *e*) Item nullum adest exemplum transformationis unius speciei in aliam, et etiamsi recursus habeatur ad palaeontologiam et ad diversa strata geologica, nullum extat solidum argumentum, quod hanc transformationem suadeat, sed multa potius indicia, quae eam respuunt. Quare videtur *de facto* ipsa prima origo viventium habita esse sine transformatione specierum. — *f*) Imo media quae exhibentur sive a *Lamark* sive a *Darwin* ad hanc transformationem peragendam nullo modo videntur sufficere, sed vix ea possunt pervenire ad mutationem stirpium vel ad aliquam accidentalem modificationem progignendam. — *g*) Tandem si forte ex quibusdam experimentis evinci poterit, aliquam specierum transformationem quondam contigisse vel adhuc contingere posse, ea facile reduci potest, imo debet, ad mutationem specierum systematicarum, minime vero naturalium.

142. **Totius capitis conspectus.** – Vita ea est, in qua maxime relucet activitas corporum: et ideo ubi exercetur activitas, dicitur adesse vita, ubi illa deest, videtur regnare mors. Haec autem activitas necessario expostulat principia propria, quae *formas* vocamus, quaeque propriis subiiciuntur legibus, ac diversas constituunt species. Istae formae ordinis perfectioris merito *animae* vocantur, quae materiam expostulant peculiari organismo constantem, cum qua unam substantiam organicam constituunt. Eae vero iam reperiuntur in ipso semine foecundato in debitis circumstantiis, et sunt causa eiusdem evolutionis et constitutionis proprii organismi. Ex quo sequitur, omne corpus organicum esse vivens, ac vicissim, et insuper viventia ita specifice differre ab anorganicis non viventibus seu mineralibus ut peculiare constituant regnum; in quo iterum tres gradus omnino inter se distincti secernendi sunt vitae nem-

pe *vegetativae*, *sensitivae* et *intellectivae*. Omnia tamen viventia, quamvis partibus organicis constent dissimilaribus, nequaquam dicenda sunt *coloniae cellularum*, sed individuum per se unum constituunt.

Vitam vegetativam investigandam in hoc capite aggressi sumus. Et animae naturam scrutantes, vidimus, eam non esse principium simplex materiae assistens, sed veram formam substantialem materialem seu *ut quo* i. e. dependentem a materia in esse et operari, imo etiam divisibilem per accidens ad divisionem compositi. Eius vero propriae operationes ad tres reducuntur ad nutritionem, augmentum et generationem.

Deinde de vita plantarum aliquid in particulari tetigimus. Et ostendimus, eas vera ac proprie dicta vita vegetativa gaudere et anima constare, quae non creatur, sed per generationem a vivente educitur e potentia materiae seu seminis foecundati ac proinde produci per veram transformationem cellulae foecundatae, per quam haec desinit foecundari anima parentum et nova actuatur, quae producitur vi ipsius foecundationis: et idem valet in generatione fissipara et gemmipara. Tandem vidimus plantas nulla gaudere vita sensitiva, adeoque plane discriminari ab animalibus.

Postremo vitae originem explicandam aggressi sumus, quam vidimus oriri non a materia anorganica non vivente, sed tantum a parentibus per foecundationem seminis; adeoque nulla datur generatio spontanea. Hanc legem auctor naturae statuendam censuisse videtur, ut melius eluceat existentia principii formalis a materia distincti, atque ita materialistis et atheis omnis spes penitus adimatur rerum omnium phaenomena per solas materiae vires explicandi. Quare ex integra huius quaestionis solutione rite statuta semper elucet necessitas tum principii a materia distincti, tum causae, quae ipsum produxerit, quaeque iterum a materia erit distincta. Sistendo igitur solum in consideratione vitae vegetativae luculentissime patet, positivismum ac materialismum prorsus reiiciendos esse.

CAPUT II.

DE VITA SENSITIVA.

143. Aliud phaenomenon vitale ordinis adhuc superioris illud est, cui nomen *cognitionis* tribuitur; quae tamen non viventibus omnibus convenit, uti vidimus in plantis, sed tantum brutis animantibus et hominibus. Et dupliciter dispescitur; altera vocatur *sensitiva*, quae per facultates materiae alligatas, quae *sensus* appellantur, exercetur; altera *intellectiva*, quae per facultatem pure spiritualem, quae *intellectus* dicitur, versatur circa ipsas rerum essentias. In hoc capite natura investigatur vitae sensitivae: et haec inquirenda occurrunt.

I. Natura cognitionis in genere scrutanda et accuratae analysi subiicienda est.

II. Natura cognitionis sensitivae aperienda venit, eiusque existentia in brutis animantibus vindicanda erit.

III. Obiectum circa quod huiusmodi cognitio versatur rite determinandum est, explicando etiam modum quo ipsum a sensibus attingitur.

IV. Natura singulorum sensuum singillatim erit aperienda ac distinctio eorundem inter se probe explicanda.

V. Tandem determinanda erit natura animalium brutorum, prout ipsa a plantis et ab homine secernuntur.

ARTICULUS I.

DE COGNITIONE IN GENERE.

In logica critica tamquam ratum ac indubium statuimus factum ipsum existentiae vitae cognoscitivae, cuius proprium est ut aliquod obiectum nobis intentionaliter repraesentet. Nunc autem intima natura istius facti, seu ratio, se-

cundum quam ipsum contingit, investiganda nobis occurrit. Quare ut statim manum admoveamus, primo nobis statuenda erit definitio cognitionis, prout ea nobis innotescit iuxta communem hominum sensum.

Thesis XXVI.

Cognitio est operatio, qua cognoscens recipit in se rem cognitam intentionaliter, i. e. non secundum esse reale, sed secundum aliquod esse repraesentativum, quod merito dicitur intentionale.

144. **Status quaestionis.** — Haud facile est propriam ac stricte dictam definitionem cognitionis exhibere. « Cognitio enim, ut recte advertit P. Pesch (1), est res primigenia et pari evidentia nobis nota atque aliud quidpiam vel evidentissimum. Quare non definiri, describi vix potest. Est unicuique homini per experientiam propriam apertissimum quid sit cognoscere ».

Nihilominus nihil difficilius reperitur, quam investigare et in aperto ponere propriam cognitionis intimam naturam.

In hac thesi duos fundamentales conceptus vindicamus, ab omnibus necessario agnoscendos, quibus iam cognitio a ceteris operationibus secernitur. Horum alter exhibet rationem genericam cognitionis: quae in eo est ut cognoscens aliquid in se capiat; alter vero explicat *modum*, quo ipsum capiatur, et specificam constituit differentiam huius operationis. Porro quoniam in ipso *modo* explicando sistit tota difficultas intelligendi propriam cognitionis rationem, ideo hunc exhibemus per duos conceptus, alterum negativum, positivum alterum, insistendo tamen magis in priori quam in altero. Tum quia facilius est dicere *quid non sit* modus, quo cognoscens aliquid in se capit, tum quia in eo praecise decepti sunt plures philosophi, qui hac in re a veritate aberrarunt.

Unde statim liquet, falso explicasse cognitionis naturam idealistas omnes, auctore Cartesio, quem secuti sunt Kant, Fichte, Hegel germanique alii, qui omnem rerum rea-

(1) *Psychol.*, I, n. 54.

litatem inficiati sunt, vel saltem non esse nobis cognoscibilem autumarunt. Sed quoniam tota difficultas in eo est, ut rite explicetur modus, quo peragatur coniunctio obiecti cogniti cum cognoscente; in eo declarando immorandum est.

115. **Quid coniunctio intentionalis.** — *Est ea qua obiectum coniungitur cum cognoscente tantum secundum esse repraesentativum;* atque adeo cognoscens evadit simile cognito in *repraesentando*, non autem in essendo. Ad rem S. Thomas (1): « Similitudo aliquorum duorum ad invicem potest dupliciter attendi. Uno modo secundum convenientiam in ipsa natura, et talis similitudo non requiritur inter cognoscens et cognitum: imo videmus quandoque quod quando talis similitudo est minor, tanto cognitio est perspicacior: sicut minor est similitudo similitudinis, quae est in intellectu ad lapidem, quam illius quae est in sensu, quum sit a materia magis remota: et tamen intellectus perspicacius cognoscit quam sensus. Alio modo quantum ad repraesentationem; et haec similitudo requiritur cognoscentis ad cognitum ». Et alibi (2): « Inter cognoscens et cognitum non exigitur similitudo, quae est secundum convenientiam in natura, sed secundum repraesentationem tantum. Constat enim, quod forma lapidis in anima est longe alterius naturae, quam forma lapidis in materia; sed in quantum repraesentat eam, sic est principium ducens in cognitionem eius ».

Sed tamen advertendum est cum Suarez, hanc similitudinem utpote intentionalem, « analogice talem dici » et proinde esse « defectuosam ». Nec praeterea eam « oportere inveniri in specie impressa, cum ista sit solum instrumentum quoddam, ad ipsam actualem expressamque similitudinem formandam » (3) seu ad ipsam cognitionem gignendam, ut explicandum erit.

Hinc sedulo distinguendus est ordo naturalis rerum ab intentionali cognitionis: ut enim recte S. Th. et Ph. animadvertunt (4), cum philosophi non distinxissent inter hunc

(1) *De Verit.*, q. II, a. 3, ad 9.
(2) *De Verit.*, q. VIII, a. 11, ad 3.
(3) Cfr. *De Anima*, l. III, c. 2, n. 26.
(4) *De Anima*, L. I, l. IV.

duplicem ordinem in diversos concesserunt errores. Antiqui enim putaverunt, animam, quae cognoscit omnia, ex omnibus rerum elementis compositam esse, quibus pantheistae ac materialistae adstipulati sunt. Idealistae e converso, tantum in ordine intentionali sistentes, nihil dari in rerum natura vel hoc saltem a nobis ignorari, tuiti sunt, et ita alii alias falsas adstruxerunt sententias.

Profecto ordo realis seu physicus constituitur per ipsas physicas entitates, quibus res in seipsis existunt extra causas, unde *reales* dicuntur. Ordo vero intentionalis absolvitur per hoc, quod ibi res non existit secundum propriam physicam entitatem realem, sed secundum quod repraesentatur ab alia re, et ideo est tantum secundum *esse repraesentaticum*. Ex quo elicitur quod in ordine reali unaquaeque res est una tantum et immultiplicabilis, in ordine autem intentionali potest esse multiplex, secundum quod multae res eam repraesentant, ut accidit in statuis vel picturis, quae repraesentant eandem rem e. g. *Petrum*, *Antonium*... etc.

At hoc *esse repraesentaticum* tripliciter exoriri potest: 1) per aliquam transformationem vel modificationem materiae, — ita ut inducatur in ea aliqua forma physica, quae dicitur imago illius rei, quam repraesentat. Haec gignitur per veram physicam mutationem materiae. Et imago existit in illa secundum esse physicum ac reale proprium illius materiae, in qua inest. Habet tamen esse intentionale seu repraesentativum alterius rei, quatenus gignit in cognoscente cognitionem rei, quam repraesentat.

2) per simplicem reflexionem radiorum lucis in speculo: — ex qua fit, ut oculus videat in speculo imaginem illius rei, per huiusmodi lucis reflexionem genitam. Haec imago nullum habet esse reale, sed pure et simpliciter repraesentativum, quod dicitur etiam imaginarium, quum tota in eo sit ut repraesentet aliquam rem, seu ut sit imago rei. Et unica eius causa est lux, quae reflectitur in speculo et terminat in oculo videntis, quem afficit.

3) per ipsam operationem cognoscitivam, determinatam in cognoscente ab ipsa re cognita. — Nimirum quum aliquod obiectum afficit facultatem cognoscitivam, haec determinatur ad huiusmodi operationem, qua in se gignitur repraesentatio

illius rei, atque adeo fit ei similis in repraesentando. Porro haec imago nullum aliud habet esse habet, praeter illud quod constituitur per eandem realitatem operationis cognoscitivae, cuius tota essentia est repraesentare rem, a qua determinatur ad cognoscendum.

Ideo hoc esse vocatur *intentionale*, sicut ipsa quoque operatio appellatur *intentio*, prout tendit ad repraesentandam in subiecto cognoscente rem cognitam. Et quoniam ipsa manet in facultate cognoscitiva, eam afficit, ac reddit intentionaliter similem rei cognitae, atque adeo eatenus ea cognoscit rem, quatenus eam repraesentat, ac proinde evadit intentionaliter ipsa res cognita.

Huc redit principium, quod saepe habet S. Thomas iuxta doctrinam communem ceteris scholasticis: *intellectus in actu est ipsum intellectum in actu*. Videlicet intellectus actu cognoscens est intentionaliter ipsa res actu cognita. Quapropter quum intellectus idem valet pro sensu) dicit: *cognosco hanc rem*, perinde est ac si diceret: *repraesento hanc rem;* seu *sum similis huic rei;* seu *sum haec res intentionaliter*, et hoc omnino *per cognitionem*, i. e. eatenus sum similis rei, quatenus eam cognosco.

Sed ut clarius hoc idem appareat, hanc accipe similitudinem. Si sumerem statuam aliquam marmoream et quaererem, *quid ipsa est?* procul dubio affirmare deberes, est marmor repraesentans aliquid aliud extra se, puta *Petrum* vel *Paulum*. Ita pariter de cognoscente dicendum est. Cum enim aliquam rem cognoscit evadit intentionaliter ipsa res, eamque ideo, prout est extra se, repraesentat, non vero seipsum. Et eatenus rem illam, prout est extra se, repraesentat, quatenus ipsam prout in se est cognoscit, quia haec est eius essentia. Finge enim quod marmor illud, *Petrum* repraesentans, esset praecise ipsum cognoscens, ac loqueretur, tunc certe diceret: *ego sum simile Petro*, quod idem esset ac, *ego cognosco Petrum cui simile sum*. Et hoc eo magis elucet, quia cognoscens non fit simile rei ope alicuius artificis, sed vi actionis ipsius rei in cognoscente, qua cognoscens determinatur ad reddendum seipsum simile rei, seu ad ponendum actum, quo evadit simile rei, prout est extra se, qui actus est praecise ipsa cognitio. Ergo similitudo

intentionalis qua cognoscens evadit simile rei est ipsa cognitio rei, a qua determinatur.

Patet igitur quid sit hoc *esse intentionale*, seu *repraesentativum*, quo ipsa res cognita est in cognoscente, et quo pacto distinguatur a 1° et 2° esse repraesentativo; ac tandem intelligi potest quid sit *ordo intentionalis cognitionis*, ut ab ordine naturali rerum distinctus; et quae relatio inter utrumque intercedat.

146. **Patroni et adversarii.** — Sententia, quam hic tuemur, ex iis est, quae ad philosophiam illam perennem pertinent, ex sensu hominum communi ortam, ab Aristotele et praesertim a Patribus ac scholasticis excultam, quaeque ab omnibus tamquam certa ed indubia habita est, quousque novatores, in communi tot veritatum naufragio, hanc quoque pessumdederunt. Ipsi enim, ut alibi innuimus (1), reiicientes commune illud Scholasticorum principium: *omnis cognitio nostra incipit a sensibus, qui a rebus suam hauriunt materiam, et perficitur ab intellectu per abstractionem conceptuum universalium*, in duos oppositos inciderunt errores. Ii quidem, qui negarunt cognitionem nostram pendere a rebus, nullam agnoverunt receptionem obiecti in cognoscente; huiusmodi sunt idealistae omnes et praesertim Kant eiusque asseclae; alii vero non attendentes ad vim abstractivam, qua gaudet facultas intellectiva, et ad proprium illum essendi modum, quo obiectum est in cognoscente, diversum a modo essendi reali, in materialismum ac sensismum necessario devenerunt. Contra hos omnes igitur vindicanda est nostra thesis. 1) ostendendo quod in omni cognitione cognoscens revera ponit operationem aliquam, qua recipit in se rem cognitam; et 2) declarando modum quo illam in se recipit.

147. **Prob. I p.** — Unusquisque experitur in actu cognitionis se esse principium activum, quod veram exercet activitatem. Ergo cognitio est *operatio* ipsius cognoscentis. At ipsum non ita agit, ut ponat aliquid extra se, sed potius aliquid capit et in se sumit; quod patet ex ipsis vocabulis: *apprehendere, concipere*, λαμ βάνω, comprendere, apprendere, begreifen, apprender). Ergo.

Praeterea cuique compertum est naturale illud desiderium, quo omnes appetunt ab aliis cognosci et gloriam consequi. Atqui gloria est clara notitia cum laude, et ideo ap-

(1) Cfr. *Logic.* v. I; *In univ. philosoph. introd.*, n. 28.

petitur, inquantum nobis placet vivere vel esse etiam in aliis, qui nos cognoscunt. Cognitio ergo est operatio, qua *cognoscens aliquid in se ponit.* — Unde recte S. Thom. ait: « cognitio non dicit effluxum a cognoscente in cognitum sicut est in actionibus naturalibus, sed magis dicit existentiam cogniti in cognoscente » 1). Et alibi « Omnis cognitio fit secundum similitudinem cogniti in cognoscente » 2). Item eximius Doctor: « In primis supponimus de ratione intellectionis, imo et cognitionis esse ut per quandam assimilationem intra mentem intelligentis et rem fiat. Hoc fundamentum videtur esse veluti dogma et principium in Philosophia et Theologia communi sensu receptum et ab experientia acceptum » (3).

Prob. II p. Omnibus in comperto est res non existere nisi dupliciter vel secundum esse reale, vel secundum esse repraesentativum. Atqui res cognitae, quum recipiuntur in cognoscente, certe non insunt in eo secundum esse reale, ut cuique per se evidens est. Ergo recipiuntur secundum esse repraesentativum. Atqui rursus hoc esse non enascitur nisi per similitudinem quae habetur per ipsam operationem cognoscitivam, ex qua exoritur esse repraesentativum omnino proprium, quod merito dicitur *intentionale*. Ergo res cognita est in cognoscente secundum esse intentionale.

Quocirca quoniam cognoscens potest cognoscere etiam seipsum, hoc in casu praeter suum esse reale, quo in se existit, habet esse quoque intentionale suipsius in sua cognitione. Hoc clare explicat S. Anselmus (4): « Nulla ratione negari potest, cum mens rationalis seipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione, immo ipsam cogitationem sui esse suam imaginem ad sui similitudinem tamquam ex eius impressione formatam » (5).

(1) *De Veritate*, q. 2, a. 5, ad 15.
(2) *C. Gentes*, l. II, c. 77; et l. IV, c. 11.
(3) *De Aug.*, l. 2, c. 3, n. 7.
(4) *Monol.*, c. 33.
(5) Rem clare explicat etiam P. Kleutgen. « Quello che noi conosciamo, l'accogliamo in certa guisa dentro di noi, e lo possediamo mediante la facoltà conoscitiva. Ora egli è impossibile che questa facoltà accolga in sè l'oggetto quanto al suo essere fisico. Essa dunque lo possiede soltanto in quanto lo ri-

Dices: Actus quo cognoscens cognoscit est realis. Atqui actus realis producit aliquid secundum esse reale non vero intentionale. Ergo. — *R. D. M...* qui totus tendit ad reddendum cognoscens simile rei cognitae, *c.*, qui tendit ad producendam aliquam entitatem physicam, *n.* — *Contrad. m.* si tendit ad producendam entitatem physicam, *c.;* si ad reddendum cognoscens simile rei cognitae, *subd.;* si inspicitur obiective, *n.;* si subiective; *it. dist.;* quod esse reale est ipsa realitas operationis, *c.;*... aliud praeter ipsam, *n.*, vel *transeat.* — Videlicet si actus cognoscitivus in se inspicitur est realis per ipsam realitatem operationis, qua cognoscens actu cognoscit seu realiter operatur, quae proinde sequitur ipsam naturam facultatis cognoscitivae. At quoniam haec operatio eo tantum spectat, ut reddat cognoscens simile rei cognitae in repraesentando, haec res habet in eo esse tantum intentionale seu repraesentativum. Hinc clarius eruitur distinctio inter actum subiective spectatum, qui est certe realis, et obiective inspectum, qui est esse intentionale rei cognitae in cognoscente.

148. **Corollarium** I. — Ergo omnis cognitio necessario tria praesupponit: — 1° existentiam ipsius entis cognoscentis. Omnis operatio enim necessario praerequirit existentiam subiecti operantis, quum nemo possit agere nisi prius sit: — 2° existentiam obiecti ab eo distincti. Nam si per cognitionem cognoscens aliquid in se ponit, certo agnoscenda est existentia alicuius rei distinctae ab ipso cognoscente, quae in eo recipitur, unde illud effatum, *ex cognoscente et cognito paritur cognitio.* Ergo, licet in cognitione obiectum debeat coniungi cum cognoscente, nullo modo unum cum altero confundendum est. « Unde etiam intellectus noster, ut ait S. Th., seipsum intelligens, est in seipso non solum ut *idem sibi per essentiam*, sed etiam ut *a se apprehensum* intelligendo » (1). — 3° possibilitatem coniunctionis rei cognitae cum cognoscente; si ipsa enim possibilis non esset, nunquam cognitio contingere posset (2).

Quapropter ex existentia operationis cognoscitivae manifesto eruitur: 1) existentia subiecti cognoscentis, quod operari potest; 2) existentia obiecti quod cognoscitur; 3) distinctio rei cognitae a cognoscente; 4) coniunctio cognoscentis cum cognito. Ideoque in explicanda cognitionis natura curandum est, ut eas ratas semper habeamus. Unde liquet falso explicasse cognitio-

produce, lo ricopia e lo genera, per così dire, di nuovo, in un modo conforme alla natura di essa facoltà. Questo si avvera, sia che il conoscente percepisca oggetti da sè diversi, sia che conosca sè stesso ». *La filosofia antica e moderna.* Traduzione dal tedesco, V. I, n. 18.

(1) *Contra Gentes*, l. IV, c. 11.

(2) Ad rem S. Th., I p., q. 12, a. 2 « Ad visionem tam sensibilem, quam intellectualem duo requiruntur, scilicet virtus visiva et unio rei visae cum visu. Non enim fit visio in actu nisi per hoc quod res visa quodammodo est in vidente ».

nis naturam idealistas omnes, auctore Cartesio, quem secuti sunt Kant, Fichte, Hegel, germanique alii, qui omnem rerum realitatem inficiati sunt, vel saltem non esse nobis cognoscibilem autumarunt. Sed quoniam tota difficultas in eo erat, ut ille explicaretur modus, quo peragitur coniunctio obiecti cogniti cum cognoscente, ideo in eo declarando fusius immorati sumus, et adhuc immorandum erit.

II. — Ergo recte ait S. Thom. (1). « Cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur: quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum, sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius; nam species (i. e. similitudo) cogniti est in cognoscente ». — Ideo vita cognoscitiva invenitur in culmine omnis activitatis. Per ipsam res in se separatae possunt coniungi, ordinari, diversimode inter se componi, ac dirigi etiam in proprium finem. Cum enim cognoscens alias res in se recipiat, eas ad unitatem quandam redigere potest, eisque etiam diversimode uti iuxta diversas earum naturas, quas in nobiliores fines dirigit. Imo alias etiam res producere potest, componendo diversas rerum similitudines, quas in se habet, ac novam in se gignendo, quam per alias facultates dein producere potest in esse reali. Et tunc illud esse intentionale est causa exemplaris rei quae producitur, et vocatur *exemplar* vel simpliciter *idea* rei: et cognitio, qua haec idea gignitur, appellatur *practica*, dum contra illa, quae determinatur ab ipsa re, dicitur *speculativa*. « Similitudo enim, ait S. Thom. (2) (loquendo semper de cognitione) alicuius in altero existens, vel habet rationem exemplaris, si se habeat ut principium, vel habet potius rationem imaginis, si se habeat ad id, cuius est similitudo, sicut ad principium »', a quo nempe determinatur ipsa cognitio.

III. — *Ergo cognitio est operatio vitalis.* — Vitalis enim operatio est immanens. Atqui cognitio est operatio prorsus immanens. Ergo est vitalis. Et quamvis requiratur determinatio a re extrinseca, haec tamen est tantum praerequisita ad operationem, ita ut cum incipiat operatio, haec tota absolvatur et perficiatur in ipso cognoscente. Quare incassum adlaboravit Condillac, quaerens pontem, non quo res obiectae in animam ingrederentur, sed quo anima, extra se exiens, res obiectas assequeretur, quasi cognitio esset actio transiens in ipsas res.

At modo statim accedendum est ad determinandum, quomodo coniunctio obiecti cogniti cum cognoscente obtineri queat; seu: quomodo habeatur *pons ille*, quo cognitum ad cognoscens pervenire valeat.

(1) S. *Theol.*, p. I, q. 15, a. 1.
(2) *C. Gentes*, l. IV, c. 11.

Thesis XXVII.

Cum omnis facultas cognoscitiva creata non habeat actu formas rerum quas cognoscit, passiva dicenda est: requiritur ergo quod ab ipso obiecto determinetur ut reducatur ad actum cognitionis.

149. **Status quaestionis.** — Ex tribus praerequisitis ad habendam cognitionem, quod peculiarem imo maximam affert difficultatem, respicit ipsam coniunctionem cogniti cum cognoscente, et praesertim modum, quo ipsa contingere potest. Quare ut facilius quaestionem solvere valeamus, per diversos gradus procedendum esse censemus. Et hoc primo vindicare conamur, quod ante cognitionem requiritur actio obiecti cognoscibilis in facultatem, quippe quae in se indifferens est, ideoque indiget aliqua determinatione, qua exeat ex hac indifferentia et valeat reduci in actum.

Contra hanc thesim autem « Empedocles et quicumque posuerunt simile simili cognosci, posuerunt sensum esse actu ipsa sensibilia... » (1). Et pariter de intellectu « dicebant eum ad hoc, quod cognosceret omnia, esse compositum ex omnibus » (2). Inter recentes in idem videntur peccasse Leibnitz, Hegel aliique, licet diversimode, admittentes ex sola facultate cognoscitiva totam procedere cognitionem. In hac thesi pariter funditus evertitur fundamentum idealistarum, aientium, ex facultate ipsa cognoscitiva procedere obiectum, inquantum irradiatur (si proiecta) extra se: qui proinde omnino denegant existentiam alicuius obiecti, quod determinet facultatem cognoscitivam, ac statuunt ipsum cognoscens fabricare sibi obiectum.

150. **Prob. I p.** — « Cum sensus sentire non possit, nisi praesentibus sensibilibus, si sensibilia actu sunt in sensibus, sequitur quod sensus possit sentire sine exterioribus

(1) In *Libr.* II *de An.*, l. X.
(2) In *Libr.* III *de.*, l. VII.

sensibilibus » (1). Atqui consequens esse falsum omnino ex experientia constat. Ergo facultas sensitiva non habet actu formas rerum, quas cognoscit. — *Pr. m.* — Cur enim in tenebris nihil videmus? cur percipimus nunc aliquid, quod prius non percipiebamus? cur hoc potius quam illud? cur diversa petimus loca ad obiecta videnda, sonos musicae audiendos, cibos gustandos...? Nonnisi certe propter hoc, quia facultas cognoscitiva non habet actu formas rerum cognitarum. Et ideo sensus non sentiunt sine exterioribus sensibilibus, sicut combustibile quod est *potentia* tantum ignitum, non comburitur a seipso sine exteriori combustivo (2). — Hoc vero adhuc evidentius apparet pro intellectu. Cum enim obiectum intellectus sit omne ens, deberet ipse habere actu formas omnium entium et differentiarum eorum. Atqui talis natura non potest esse nisi infinita, « quae non determinatur ad aliquam speciem vel genus entis, sed est universale principium et virtus activa totius entis, qualis est sola natura divina » (3). Ergo...

Neque dici potest animam intellectivam habere in se formas entium inferiorum: quia habet tantum perfectiones genericas minime vero specificas, sive individuales.

Prob. II p. — Sed prius adverte cum S. Th. (4) « quod pati tripliciter dicitur. Uno modo propriissime, scilicet quando aliquid removetur ab eo quod convenit sibi secundum naturam, aut secundum propriam inclinationem; sicut cum aqua frigiditatem amittit per calefactionem, et cum homo aegrotat, aut tristatur. Secundo modo minus proprie dicitur aliquis pati, ex eo quod aliquid ab ipso abiicitur, sive sit ei conveniens, sive non conveniens, et secundum hoc dicitur pati non solum qui aegrotat, sed etiam qui sanatur; et non solum qui tristatur, sed etiam qui laetatur, vel quocumque modo aliquis alteretur, vel moveatur. Tertio dicitur aliquis pati communiter ex hoc solo, quod id quod est in potentia ad aliquid, recipit illud ad quod erat in potentia, absque hoc quod aliquid abiiciatur; secundum quem modum omne quod

(1) Ibid., l. 7.
(2) Cfr. S. Thom. *in Libr. II de An.*, l. 10.
(3) S. Thomas, *C. Gentes*, l. II, c. 98.
(4) *S. Theol.*, I p., q. 79, a. 2

exit de potentia in actum potest dici pati, etiam cum perficitur. Et sic intelligere (et sentire) nostrum est pati ».

Argumentum. — Facultas, quae non habet actu formas aliarum rerum, et potest illas recipere licet intentionaliter, passiva dicenda est. Atqui talis est omnis facultas cognoscitiva creata, quum ipsa non habeat formas aliarum rerum, sed possit, imo debeat, eas intentionaliter recipere, ut actu cognoscere valeat. Ergo... — Ideo recte S. Th. « Sensus potentia passiva est; quia non potest esse in actu omnium, ad quae se extendit sua operatio per naturam potentiae: non enim potest esse aliquid quod actu habeat e. g. omnes colores) et sic *patiendo* a coloribus fit in actu et eis assimilatur et cognoscit eos » (1).

Prob. III p. — Nulla potentia passiva et indifferens ad diversos actus potest reduci ad actum, et ad hunc potius quam ad illum actum, nisi per actionem alicuius entis in actu, quod illam reducat de potentia in actum determinatum. Atqui facultas cognoscitiva est in potentia et indifferens ad diversos actus, ad quos determinatur a diversis obiectis, circa quae versatur. Ergo non potest haberi actus cognitionis, nisi ipsa determinetur ab actione alicuius obiecti extrinseci. — Et sane, si quaeratur ab aliquo: cur cognoscis *hunc colorem*, *hoc obiectum?*... ipse certe respondet iuxta sensum naturae communem; *quia extra me datur hic color, hoc obiectum*. Ergo natura ipsa docente, ratio huius vel illius actus cognoscitivi est existentia huius vel illius obiecti, quod cognoscitur. Sed hinc dicendum omnino est, quod obiectum extrinsecum est praecise illud ens, quod agit in facultatem, eamque reducit de potentia in actum. Ergo.

Hoc idem clare explicat Silvester Maurus (2). « Omnis cognitio est a potentia et obiecto, sive a cognoscente et cognito. Ratio a priori est, quia omnis cognitio saltem creata est expressio et imitatio atque imago vitalis obiecti. Inquantum igitur est vitalis, procedit a cognoscente: implicat enim cognoscentem vivere per aliquid, quod ab ipso non est, sed pure illud recipit ab alio passive se habendo; inquantum vero cognitio est expressio,

(1) In III, S. *D.*, 14, a. 1.
(2) *Quaest. philos.*, Lib. I, quaest. 2.

imitatio et imago obiecti, procedit ab obiecto. Illud enim quod requiritur ad effectum, ut assimilet sibi talem effectum, requiritur tamquam causa activa effectus, cum assimilare sibi effectum sit quam maxime causae activae ».

Ad rem S. Th. (1) : « Ut probat (II de An. c. 5) Philos., sentire accidit in ipso moveri a sensibilibus exterioribus, unde non potest homo sentire absque sensibili exteriori, sicut non aliquid potest moveri absque movente... Unde nec sensus, nec intellectus possibilis operari possunt, nisi per sua activa i. e. per obiecta propria perficiantur vel moveantur ». Et S. Aug. (2) : « Liquido tenendum est, quod omnis res, quamcumque cognoscimus, *congenerat in nobis* notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente et cognito ». Item (3) « *ex corpore quod videtur gignitur visio*, id est sensus ipse formatur; ut iam non tantum sensus, qui etiam in tenebris esse integer potest dum est incolumitas oculorum; sed etiam sensus informatus (i. e. actuatus per actionem corporis) sit, quae visio vocatur. Gignitur ergo ex re visibili visio, sed non ex sola, nisi adsit et videns. Quocirca ex visibili et vidente gignitur visio, ita sane ut ex vidente sit sensus oculorum, et aspicientis atque intuentis intentio; illa tamen informatio sensus, quae visio dicitur a *solo imprimatur corpore* quod videtur ».

151. **Coroll.** I. — *Ergo reiicienda est opinio eorum, qui aiunt, non esse res, quae producunt et determinant cognitionem, sed Deum*, qui hoc facit ad praesentiam rerum; et ita « ignis e. g. non calefacit, sed Deus creat calorem in re calefacta... et Deus ita statuit, ut iste cursus servaretur in rebus, quod nunquam ipse calorem causaret, nisi apposito igne, non quod ignis appositus aliquid ad calefactionem faceret » (4). Hanc opinionem instaurarunt Cartesius, Malebranchius aliique. — Siquidem haec opinio : 1) denegat activitatem creaturarum, quae alibi vindicata est : — 2) falso supponit, quod secus non possit explicari ista actio obiectorum in facultatem, quam explicationem deinceps praestare conabimur : — 3) ut ibid. ait S. Th. « est manifesto repugnans sensui : nam cum sensus non sentiat nisi per hoc quod a sensibili patitur... sequitur quod homo non sentiat calorem ignis, si per ignem agentem non sit similitudo caloris ignis in organo sentiendi. Si enim illa species caloris in organo ab alio agente fieret, tactus etsi sentiret calorem, non tamen sentiret calorem ignis, nec sentiret ignem esse calidum, cum tamen hoc iudicet sensus, cuius iudicium in proprio sensibili non errat » (5).

(1) *C. Gentes*, l. II, c. 57.
(2) *De Tr.*, l. 9, c. 12, n. 18.
(3) L. II, c. 2, n. 2.
(4) S. Thomas, III, *de Pot.*, a. 7.
(5) *De Pot.*, q. III, a. 7.

II. — *Ergo reiiciendus est idealismus subiectivus.* — Idealistae enim, quum quaestionem instaurant *de ponte*, ut aiunt, quo cognoscens ad obiectum se conferat, rem inutilem moliuntur, et quaestionem statuunt omnino praeposteram ac falso innixam praeiudicio. Tantum enim abest ut requiratur pons, quo cognoscens transeat ad se coniungendum cum obiecto, ut potius cognoscens semper in se manere debeat, quia ipsum obiectum per suam actionem ad eum veluti remeat, et cognitio fit per operationem immanentem ipsi cognoscenti. Ergo idealismus subiectivus quocumque modo proponatur reiiciendus est. Tota enim vita omnium hominum ipsorumque subiectivistarum ut certum ratumque habet, quod existant res extra nos, quae per suam actionem determinare valent cognoscens ad cognoscendum: atque adeo evanescit fundamentum eorum, quum asserant, cognitionem unice pendere ac determinari a cognoscente vel a formis subiectivis (1).

Difficultates, quae contra hanc thesim exoriri possent, facilius solvuntur, postquam explicatum sit, *quomodo* contingere queat huiusmodi determinatio, ad quam explicandam modo deveniamus oportet.

(1) Opportunum omnino videtur, hic transcribere pulcherrimam animadversionem, quam Ausonio Franchi contra eos affert in opere *Ultima critica*, p. I, p. 246, n. 144. Relata sententia istorum, ita ipse concludit: «Insomma (iuxta idealistas) non è già il mondo l'originale, di cui rende immagine e quasi trae copia la nostra cognizione; ma è la mente nostra il modello, di cui è specchio o riflesso fantastico il mondo. L'esistenza del mondo dunque incomincia e finisce con la nostra; piglia forma e legge dalla nostra; e come ognun di noi ha un'esistenza individuale, distinta e diversa per certi caratteri proprii da quella di ciascun altro, così ognuno fabbrica e porta con sè il suo mondo particolare, che si distingue e diversifica dal mondo di ciascun altro, quanto appunto l'io di tutti gli altri. Laonde ognuno di noi è il vero e solo autore del mondo, ossia di quella stupenda varietà, connessione, armonia, bellezza che vediamo risplendere nella natura. Siamo noi, proprio noi stessi che indi ci rappresentiamo (anzi, con nuova eleganza localizziamo, o proiettiamo) fuori di noi, per una specie di illusione o allucinazione naturale, il cielo e la terra con tutto l'ordine di causa e d'effetti che regge il moto degli astri, la composizione dei corpi, la vegetazione delle piante, la vita degli animali. E il più bello si è, che produciamo tutte quelle meraviglie spontaneamente, inconsciamente, senza volerne e saperne nulla! — Nè la commedia o la favola finisce qui.

Siccome in riguardo a' nostri sensi la condizione delle cose artificiali non differisce punto da quelle delle cose naturali, ne segue che ognun di noi è anche autore di tutte quante le opere dell'arte e dell'industria umana che gli è dato di vedere. Quadri, statue, libri a mano ed a stampa, fabbriche e macchine d'ogni sorta, lavori in metallo, marmo, legno, seta, lana, ecc. come oggetti visibili e sensibili consistono non altrimenti che le terre e le acque, le erbe, le piante e gli animali, in certe combinazioni di colori e figure in certe condizioni di volume, solidità, peso, ecc. cose tutte che non esistono se non in noi e per noi, e non si trovano nello spazio, nelle sale, piazze, gallerie, officine, botteghe se non in quanto noi ce le vediamo e non ce le vediamo se non perchè noi stessi le proiettiamo e localizziamo fuori di noi. Dunque siamo propria

Thesis XXVIII.

Facultas cognoscitiva non determinatur ab obiecto per solam ipsius praesentiam, sed vel per immediatam coniunctionem vel per eius actionem in facultatem.

152. **Praenotiones historicae.** — Sunt, qui Platone duce, putant actionem illam non esse nisi quandam *excitationem*, quae ideo tantum requiritur ut cognoscens veluti moneatur, esse sibi praesens obiectum, cuius tamen notitiam non hausit ab ipso obiecto, sed ex formis sive speciebus iam in natura cognoscentis insitis, quibus potentia cognoscitiva intrinsecus completur ad res obiectas, in seipsis cognoscendas. Item inter antiquiores, uti refert Suarez, Galenus, Seneca, Porphyrius negant obiectum per sui actionem coniungi cum cognoscente ac ipsum intrinsece determinare. « Subscribunt eidem opinioni Ocham in 2, quaest. 17 et 18; Gabriel etiam dist. 3, q. 2, notab. 4 circa primam, et secundam conclusionem, negat species in sensibus externis, quamvis in 3 conclusione addat in sensu exteriori interdum imprimi, quod tamquam reale obiectum sit partiale principium sensationis. Item Durandus D. 3, q. 6, n. 11; et licet D. 13, q. 2 aliquas species intentionales sensibilium obiectorum admittit, non tamen ob earum necessitatem ad cognitionem, sed quod sint participationes quaedam colorum v. g., et similium qualitatum naturaliter ab eis fluentes, eo modo, quo lumen procedit a luce, nihil tamen ad cognitionem conducentes. *Nam dum obiectum*, inquit, *visui obiicitur, conspicitur quidem non propter species, sed quia hic est visivus, illud vero visibile.* Alii vero auctores licet concedant, in sensibus esse necessarium obiectum coniungi potentiae vel per se vel per aliquam sui similitudinem, attamen in intellectu id negant, eo quod coniunctio videatur solum necessaria ut obiectum excitet potentiam ad operandum... at intellectus cum sit spiritualis excitari nequit ad operandum ab obiecto materiali sed a cognitione sensuum, nam cum eadem anima sit, quae sentit et intelligit, si quid apprehendit per sensum, illico excitatur ad cognoscendum exactius per intellectum. Quae opinio excogitata videtur, ut effugiat difficultates, quae in modo productionis specierum intelligibilium occurrunt, quam maxime amplecitur Durandus supra, tenetque Henricus, et Ioan-

mente noi i pittori di tutti i quadri, li scultori di tutte le statue, li scrittori di tutti i libri, i costruttori di edifizi, li artefici di tutti i lavori che cadono sotto i nostri occhi e le nostre mani. E ciò che mette il colmo al burlesco prodigio, ognun di noi dipinge e scolpisce senza nè anche sapere che cosa sia pennello e scalpello, scrive di cose e di lingue che non conosce nè pur di nome, costruisce e fabbrica senz'aver nessuna idea di meccanica e architettura, ecc. ».

nes Baconius in 2 Dist. sexta, q. 1 » (1). Eadem opinio, quamvis diversa ratione, iterum instaurata est, praesertim a Cartesianis, Scoticis, Ontologis, iisque omnibus, qui denegant cognitionem nostram a rebus hauriri (2).

Communior tamen scholasticorum sententia est, quam in thesi defendimus. Omnes enim in eo conveniunt, ut asserant, cognoscens debere intrinsece determinari ab obiecto cognito: quod contingere potest vel per hoc, quod obiectum immediate movet potentiam cognoscitivam ad actum: et ita reapse communiter Theologi asserunt contingere in visione beatifica; quia ipsa divina essentia intelligibiliter unitá intellectum determinat ad visionem; et iuxta quosdam etiam quum angeli et anima separata cognoscunt suam essentiam. Vel secus requiritur aliqua actio obiecti, qua intrinsece determinetur ipsa facultas. Quo pacto vero ea paragi queat, inferius monstrabitur.

153. **Prob. I p.** — Cum potentia cognoscitiva sit passiva et intrinsece indeterminata ad operandum, indiget ut intrinsece determinetur et actuetur, ad hoc ut actum cognitionis elicere possit. Atqui sola obiecti praesentia, cum sit aliquid omnino extrinsecum, nullo modo intrinsece determinare potest potentiam cognoscitivam. Ergo.

Prob. II p. — Omne agens agit secundum formam secundum quam est actu, seu omnis actio requirit in agente formam ipsi actioni respondentem. Atqui facultas cognoscitiva cognoscendo ponit actionem respondentem obiecto cognito. Ergo debet habere formam obiecti cogniti. Atqui de se non habet, quia est passiva. Ergo requiritur quod vel obiectum immediate coniungatur cum facultate, ut accidit in visione beatifica, vel per suam actionem eam intrinsece determinet, atque adeo gignatur forma similis formae, qua obiectum in se constituitur, et qua ipsum cognoscitur. — Ideo S. Th. (3) « nulla potentia passiva potest in actum exire nisi completa per formam activi, per quam fit in actu, quia nihil operatur nisi secundum quod est in actu... Sed sensus facultas passiva est similiter et intellectus... Ergo operari nequeunt nisi per sua activa perficiantur vel moveantur ». Quare cum nullum obiectum creatum possit immediate con-

(1) *De Anima*, L. III, c. 1, n. 2, 3.
(2) Cfr. Sanseverino, *Dynam.* I, 373 sqq.
(3) III S., D. 14, p. 1, a. 1.

iungi cum nostra facultate, sequitur quod admittenda sit actio obiecti in facultatem. Ad rem S. Th. (1) « Non enim fit visio nisi per hoc quod res visa quodammodo est in vidente. Et in rebus quidem corporalibus apparet, quod res visa non potest esse in vidente per suam *essentiam*, sed solum per suam similitudinem. Sicut similitudo lapidis est in oculo, per quam fit visio in actu, non autem ipsa substantia lapidis ».

Praeterea, hoc animis omnium inditum est, quod *simile simili cognoscitur*, quod principium etiam non bene intellectum, in causa fuit omnium errorum hac in re. Atqui facultas cognoscitiva creata non est per seipsam similis rebus cognitis, quum sit passiva. Ergo debet evadere similis vel per immediatam coniunctionem, vel per actionem obiecti.

Et ideo, ut ait S. Th. (2) « id quod patitur, a principio dum patitur est contrarium agenti (quia non habet formam agentis); sed in fine, quando iam est passum, est simile » quia recipit formam similem agenti. Quare illud principium: *simile simili cognoscitur*, non supponit quod facultas cognoscitiva debeat de se iam esse similis rei cognitae, ut falso antiqui putaverunt, sed quod debeat recipere talem actionem rei cognitae, ut per eam evadat ipsi similis. Quia « omnia quae sunt in potentia, patiuntur et moventur ab activo et existente in actu; quod scilicet, dum facit esse in actu ea quae patiuntur, assimilat ea sibi, unde quodammodo patitur aliquis aliquid a simili et quodammodo a dissimili: quia a principio, dum est in transmutari et pati, est dissimile, in fine autem dum est in transmutatum esse et passum, est simile. Sic igitur et sensus, postquam factus est in actu a sensibili, est similis ei, sed ante non est similis. Quod antiqui non distinguentes erraverunt » (3).

De modo, quo obiectum hanc exerat actionem, ut determinet facultatem, quae proinde cognoscendo evadat similis ei, melius in particulari dicemus in q. de sensu et de intellectu, nunc tamen sufficit cum S. Th. advertere (4): « Anima humana similitudines rerum, quibus cognoscit, accipit a rebus illo modo accipiendi, quo patiens accipit ab agente: quod non est intelligendum quod agens influat in patiens eandem numero speciem (formam), quam habet in seipso, sed generat, sui similem educendo de potentia in actum, et per hunc modum dicitur species coloris deferri a corpore colorato in visum ».

(1) *S. Theol.*, I p., q. 12, a. 2.
(2) *De An.*, L. II, l. 8.
(3) *de An.*, L. II, l. 10.
(4) Quodl. 8, a. 3.

154. **Coroll.** — 1) Ergo nulla est necessitas admittendi in cognoscente iam actu formas rerum omnium, quae cognoscuntur, quum illas possit accipere per actionem ipsarum rerum. — 2) Ad istam actionem in cognoscente producendam non requiritur, ut quaedam idola a rebus in facultatem procedant, ut putavit Democritus, cum illae res non debeant esse physice in cognoscente sicut in cognito. Et inde patet, Cousin (1), Fischer (2) aliosque recentes omnino decipi, quum aiunt, species Scholasticorum nil aliud esse nisi idola seu simulacra Democriti et Epicuri, vel aliquid a corporibus emissum quod volat ad organum. — 3) Per hanc actionem gignitur similitudo obiecti, non ut terminus *qui*, sed ut terminus *quo*, ut dicitur in quaestione de eductione formarum: quatenus facultas cognoscitiva reducitur de potentia in actum illius formae, eo modo tamen quo inferius explicabitur.

Thesis XXIX.

Cognitio habetur per speciem intentionalem, quae non est id «quod» cognoscitur, neque id «in quo prius cognito» res cognoscitur, sed est id, quo facultas actuatur in ordine intentionali et ipsas res directe apprehendit.

155. **Praenotiones historicae.** — Fingunt adversarii et praecipue cartesiani, quod si species admittantur, ipsae esse debeant id quod proprie cognoscitur, vel saltem medium in *quo*, seu signum obiectivum, quo prius cognito, facultas ipsas res cognoscat, quod certe nullo modo admitti potest. Ideo contra hanc falsam eorum conclusionem pugnandum est, ut ipsam ostendamus tum in se falsam, tum prorsus alienam a vera scholasticorum doctrina circa specierum munus.

Praeterea ut S. Th. refert (3). «Quidam posuerunt quod vires cognoscitivae, quae sunt in nobis, nihil cognoscunt nisi proprias passiones... scilicet speciem in se receptam et secundum hoc species huiusmodi est *ipsum quod intelligitur*». Huic etiam opinioni adstipulantur propter alias rationes Cartesiani, qui decernunt, nos per sensus externos non percipere directe corpora sensibilia, sed tantum affectiones seu passiones nostrorum sensuum; in idem pariter incidunt Lockiani, propugnantes sensum

(1) *C. d'histoire*, lect. 9.

(2) E. L. Fischer, *Grundfragen der Erkenntnisstheorie*, p. 434.

(3) *S. Theol.*, I p., q. 85, a. 2.

cognoscere imagines rerum, et non res ipsas; accedunt tandem idealistae (Kant, Hegel...), autumantes, nos cognoscere tantum nostras ideas.

Quare licet loquantur potius de ideis vel imaginibus, quae essent idem ac species apud Schol., contra ipsos etiam est 1ª et 2ª p. theseos. Prius tamen propriam speciei rationem rite explicare necesse est.

156. **Quid species.** — Species, de qua nunc loquimur, vocatur etiam *intentionalis*, quia pertinet ad ordinem cognitionis, et est *forma immaterialis repraesentativa obiecti a quo cognoscens determinatur in cognoscendo et inhaerens ipsi facultati cognoscitivae.* Vel ut ait S. Thomas: « species intelligibilis est similitudo ipsius essentiae rei, et est quodammodo ipsa quidditas et natura rei secundum esse intelligibile: non secundum esse naturale, prout est in rebus » (1). Unde scite advertit idem S. Doctor, « forma huiusmodi potest considerari dupliciter: uno modo secundum esse quod habet in cognoscente, alio modo secundum respectum, quem habet ad rem, cuius est similitudo. Secundum quidem primum respectum facit cognoscentem actu cognoscere, sed secundum alterum respectum determinat cognitionem ad aliquod cognoscibile determinatum » (2).

Quare si primo modo inspicitur species, sequitur naturam facultatis cognoscentis: quia, ut ait S. Bonaventura, « existentia speciei dependet ab eo, in quo recipitur et se habet ad illud per modum *informantis;* hinc est quod recipit modum suae existentiae ab eo, in quo recipitur » (3). Et quoniam omnis facultas cognoscitiva est immaterialis saltem imperfecto modo, ipsa quoque species immaterialis sit oportet. — Si vero altero modo consideratur, ipsa induit naturam rei cognitae, et nil aliud est nisi intentionalis reproductio seu repraesentatio ipsius rei.

Adverte tamen, in hac descriptione et explicatione ipsius S. Thomae, abstrahi a distinctione inter speciem impressam, quae praecedit cognitionem, et expressam, quae eam consequitur, sed utramque simul spectari. Hoc unum modo in tuto ponendum curamus, non posse haberi cognitionem, nisi in cognoscente sit vel ipsum obiectum cognitum, vel illam formam, quam modo descripsimus, quae merito appellatur *species obiecti vicaria.*

157. **Prob. I p.** — cum S. Th. ibid. « Haec opinio manifeste apparet falsa ex duobus. Primo quidem quia eadem sunt quae intelligimus (et sentimus) et de quibus sunt scien-

(1) Qdlb. VIII, a. 4.
(2) *De Veritate*, q. I, a. 4.
(3) L. II, *Dist.*, a. 3. q. 3.

tiae. Si igitur ea quae (sentimus et) intelligimus essent solum species, quae sunt in anima, sequeretur quod scientiae omnes non essent de rebus, quae sunt extra animam, sed solum de speciebus quae sunt in anima ». Adversarii etiam viderunt hoc consequens, nec veriti sunt illud admittere. Atqui ipsum est evidenter falsum; pugnat enim cum sensu communi omnium hominum, et quod tale est, ut evidenter falsum reiici debet. Ergo et illud antecedens.

« Secundo quia sequeretur error antiquorum dicentium, omne quod videtur, esse verum, et similiter quod contradictoriae essent simul verae. Si enim potentia non cognoscit nisi propriam passionem, de ea solum iudicat. Sic autem videtur aliquid, secundum quod potentia cognoscitiva afficitur... Et ita omne iudicium erit verum » (1). Cum enim iudicium cognoscentis esset tantum de propria passione, tunc iudicium delirantis esset verum sicut et iudicium sapientis, et pariter iudicium hominis infirmi sicut et sani, iudicium somniantis sicut et vigilantis, tandem iudicia philosophorum sicut et pseudophilosophorum. Atqui isti omnes saepe dicunt contradictoria, quae proinde essent simul vera, et consequenter nullum daretur criterium veritatis, nullum inter vera et falsa discrimen, nihil affirmare nihilque negare oporteret, neque hunc amicum, illum inimicum, vocare possemus, nisi inquantum ipsi essent tantum affectiones animi nostri...: quae omnia evidenter falsa et absurda dicenda sunt. Ergo.

Prob. II p. — Si species esset id, in quo prius cognito facultas cognoscitiva perciperet res, deberet cognoscens attingere primo speciem in se, qua mediante ipsam attingeret rem. Atqui falsum consequens. Patet enim ex experientia nos in cognitione non percipere istas species, quae ideo a multis negantur, a plurimis perperam intelliguntur. Atqui hoc certe non foret, si ipsae essent primum cognitum, in quo res cognoscuntur. Ergo.

Prob. III p. — Ratio, cur admittitur species, ea est quia facultas cognoscitiva, debet evadere intentionaliter similis rei cognitae, ac proinde actuari aliqua forma intentio-

(1) Cfr. etiam *De verit.*, q. 10, a. 8, ad 2.

nali simili eidem rei. Atqui hoc perinde valet ac cognitionem fieri per speciem quae est id, quo facultas actuatur in ordine intentionali, et ipsas res directe apprehendit. Ergo.

Pr. m. — Re quidem vera, sicut forma substantialis actuat materiam, quacum efformat unam essentiam completam, quae recipit esse correspondens illi formae, ita proportionaliter species intentionalis actuat facultatem, cum qua efformat unum principium completum in ordine intentionali, i. e. principium completum actus cognoscendi, qui respondet rei, a qua cognoscens determinatur. Atqui haec operatio est praecise cognitio immediata illius eiusdem rei. Si enim non cognosceretur ipsa res, a qua cognoscens determinatur, iam illa operatio non esset respondens illi speciei. — Item si ipsa res non cognoscitur immediate sed mediante alia, hoc aliud nil esse posset nisi ipsa species. Atqui haec non potest prius cognosci, ut diximus, et hic evidentius apparet. Statim enim ac facultas cognoscitiva patitur a re, fit per cognitionem ipsi similis et ideo cognoscit hanc rem similem sibi; haec est enim essentia facultatis cognoscitivae, ut non possit esse similis ei nisi cognoscendo eam. Ergo.

Et ideo S. Th. ait (1): « Immediate dicitur aliquis videre lapidem, quamvis eum per speciem eius receptam, et per lumen videat, quia visus non fertur in haec media tamquam in visibilia, sed per haec media fertur in unum visibile, quod est extra animam ». Et alibi « Est sensus quaedam potentia passiva, quae nata est immutari ab exteriori sensibili. Exterius ergo immutativum est quod per se a sensibus percipitur, et secundum cuius diversitatem potentiae sensitivae distinguuntur » (2).

158. **Quaeres:** Utrum dici possit, sensus praesertim gustum, odoratum et auditum immediate referre ipsas affectiones sensuum, quibus mediantibus referant obiecta. — *Resp.* — Potius dicendum: *sensus referre obiecta formaliter qua eos afficientia vel modificantia.* — Et sane 1) certum omnino est sensus non referre affectiones abstractas, et in

1) Quodl. 7, a. 1.
2) S. *Th.*, I p., q. 78, a. 3.

se, ac veluti distinctas ab obiecto, hoc enim ab omnibus admittendum est, nisi in idealismum incidere quis velit. Et praeterea sensus non refert modificationes suas in actu signato vel reflexo sed in actu exercito vel directo. Atqui in hoc actu habetur modificatio non abstracta sed concreta, quae nihil aliud est, quam obiectum modificans sensum. Ergo. — 2) Certum quoque est sensus non referre obiecta nude et simpliciter prout in se sunt, nec eorum constitutiva intrinseca, hoc enim pertinet ad intellectum. — 3) Sed sensus refert obiectum ut actu afficiens seu modificans subiectum sentiens, ita ut primo et per se sentiat obiectum et consequenter modificationem sui. Et sane, ut ait S. Th. *sentire accidit in ipso affici ab exteriori sensibili*. Atqui ideo habetur haec affectio, quia prius prioritate naturae sensibile externum afficit, et non e converso. Ergo sensus primo refert obiectum et consequenter affectionem receptam, sed per unum eundemque actum sentiendi, quo sentit obiectum formaliter qua afficiens ipsum.

Et ita explicatur cur idem obiectum e. g. *mel*, diversimode sentiatur ab eo qui habet gustum sanum et ab eo qui habet gustum infectum. Quia nimirum quamvis obiectum idem sit, modificatio tamen est diversa, ratione defectus, qui in organo reperitur. Unde elucet, non posse semper hos sensus praesertim gustum recte referre determinatam naturam sui obiecti, nisi intercedat vel alius sensus vel maxime intellectus, ut in logica explanavimus (1).

159. **Coroll.** - 1° Ergo impossibile est quod in simplici apprehensione facultas cognoscat aliquid, quod tale in se non sit. Si enim cognoscit aliquod obiectum, determinata est per actionem ab illo productam. Illud autem obiectum non poterat agere, nisi secundum formam illam, qua in se constat. Ergo...

2° Tandem omnino soluta est difficultas illa *pontis* seu transgressus ex cognito in cognoscentem et vicissim. Cum enim cognitum agat in facultatem, quam determinat per actionem respondentem formae, qua ipsum actuatur, iam in

(1) *Log. critica*, Thes. XXIV et XXV.

cognoscentem transgressum est: unde cum facultas cognoscens, ita determinata operatur et cognoscit hoc obiectum, evadit intentionaliter seu repraesentative similis illi atque adeo in cognitum regreditur. Et sic cognoscens et cognitum simul coniunguntur in ordine intentionali, in quo completur cognitio, quamvis ipsa semper separata maneant secundum esse reale.

3° Nunc clare intelligitur quod saepe ait S. Th.: *Sensus in actu est sensibile in actu, et intellectus in actu est intellectum in actu* [1]. Nimirum sensus et intellectus dicuntur esse in actu, quum actu cognoscunt. Atqui facultas cognoscitiva nequit actu cognoscere, nisi qualenus actu informatur specie obiecti cogniti, quae proinde evadit intentionaliter ipsum obiectum actu. Ergo revera *intellectus in actu* seu *actu cognoscens* est *intellectum in actu* seu *obiectum actu cognitum*. At hoc *intellectum in actu* est aliquod compositum *unum per accidens*, coalescens ex ipsa facultate cognoscitiva, quae se habet ut subiectum perfectibile, et forma intentionali habita per cognitionem repraesentantem obiectum cognitum, quae est actus inhaerens facultati, a qua proinde realiter distinguitur.

4° Hinc patet solutio errorum tum pantheismi realis, qui ad explicandam cognitionem assumit omnes res esse unum et idem secundum *esse reale;* tum pantheismi idealis, qui eandem ob rem *somniat*, omnia esse unum et idem secundum *esse ideale*. Confundunt enim utrumque ordinem, quodque pertinet ad unum referunt ad alium et vicissim: et non distinguunt ipsam facultatem, quae pertinet ad ordinem physicum seu realem, ab illa specie rei cognitae, quae se habet in ordine intentionali seu ideali.

160. **Obiicies.** — I. Si daretur species, esset aliquid repraesentativum ipsius rei. Atqui repraesentativum debet cognosci prius repraesentato. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. esset ut imago quaedam in se completa, seu ut signum obiectivum vel ut medium *quod* vel in *quo*, *n.;* esset ut forma repraesentativa ut *quo*, quae actuat facultatem, cum qua efformat aliquod unum, *quod* proprie est simile rei, *c.* — *Contrad. m...* Hic recolenda essent quae in log. min. n. 52, 53 dicta sunt, de signo *obiectivo* seu *instrumen-*

[1] S. *Th.*, I p., q. 55, a. 2.

tali et de signo *formali*. Species enim est signum formale, seu *forma*, quae aliquid repraesentat et actuando subiectum, reddit ipsum repraesentativum eiusdem rei.

II. Species debet esse aliquid cognoscibile et intime praesens potentiae. Atqui quod tale est, debet prius cognosci quam res repraesentata. Ergo. — *R. D. M.;...* cognoscibile in actu reflexo et per ratiocinationem, *c.*; in actu directo, *subd.;* si esset praesens *obiective*, *c.;* si solum formaliter, ut dictum est, *n...* Porro sicut facultas non debet prius cognoscere seipsam, ut cognoscat rem, ita neque speciem, qua constituitur formaliter cognoscens ac intentionaliter similis rei cognitae; praecise quia species non est praesens obiective, sed formaliter.

III. Propter quod unumquodque tale et illud magis. Atqui propter speciem res cognoscitur. Ergo prius cognoscitur species quam res. — *R. D. M.;...* si sunt in eodem ordine et genere causae, *c.;* si in diverso ordine, *n.* — *D. m.;* tamquam per causam formalem, *c.;* tamquam per obiectum cognoscibile, *n.* Argumentum ad summum probaret quod etiam species esset cognoscibilis, non autem quod deberet prius cognosci. Sed praeterea illud principium perperam omnino applicatur: ad rem S. Th. (1). « Cum dicitur propter quod unumquodque tale et illud magis, veritatem habet, si intelligatur in his quae sunt unius ordinis, puta in uno genere causae; puta si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter vitam, sequitur quod vita sit magis desiderabilis. Si autem accipiantur ea quae sunt diversorum ordinum, non habet veritatem, ut si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter medicinam, non ideo sequitur quod medicina sit magis desiderabilis; quia sanitas est in ordine finium, medicina autem in ordine causarum efficientium. Sic igitur si accipiamus duo, quorum utrumque sit per se in ordine obiectorum cognitionis; illud propter quod aliud cognoscitur, erit magis notum, sicut principia conclusionibus. Sed habitus non est de ordine obiectorum, in quantum est habitus; nec propter habitum aliqua cognoscuntur, sicut propter obiectum cognitum, sed sicut propter dispositionem vel formam, qua cognoscens cognoscit ».

IV. (Cum Gabriel, Ockam et Nomin). Species probari nequeunt, neque a posteriori, quia nemo eas experitur; neque a priori, quia movens et motum non debent esse simul simultate supposita sed tantum simultate virtutis. Ergo sufficit praesentia obiecti ut ipsum cognoscatur. — *R. N. Ass.;* ad prob. 1^{am} *D.;* immediate seu in seipsis, *c.;* mediate, i. e. nemo experitur actum cognitionis, ex quo deducuntur species ratiocinando, *n.* — *ad* 2^{am}; *C. A.*, et *N. Cons.* — Et sane esse simul simultate virtutis est idem ac movens applicare suam virtutem mobili: hoc autem haberi nequit, nisi quatenus movens communicet mobili aliquid, quo ipsum movetur. Et in casu nostro movens i. e. obiectum

(1) Cfr. S. *Th.*, 1 p., q. 87, a. 2 ad 3um.

ita praesens debet esse simultate virtutis cognoscenti, ut attingat ipsam facultatem, quae proprie operatur. Atqui non potest attingere communicando suum esse physicum, ut patet ex dictis. Attingit ergo, quatenus determinat cognoscens ut ex se educat per suam actionem formam obiecto similem, per quam cognoscens evadit formaliter tale. Ergo ex eadem adversariorum principio sequitur necessitas speciei ita explicatae. Si quis vero intelligat per speciem aliquid aliud, ut videntur intelligere adversarii, tunc concedimus illud non requiri, quod tamen falso appellaretur species, quae a Scholasticis admittitur.

V. Species ponuntur ut obiectum sit ope illarum praesens potentiae in ratione obiecti. Atqui obiectum sensus et intellectus in notitia intuitiva per seipsum est praesens in ratione obiecti. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. ut sit id quod proprie cognoscitur, *n.;* id *quo* facultas evadit formaliter cognoscens, *c.* — *Contrad. m.;* ut id quod cognoscitur, *c.;* ut id *quo* facultas fit formaliter cognoscens, *n.* Praescindimus modo a casu visionis beatificae, de qua hic non loquimur.

Thesis XXX.

Species est similis rei quoad id quod repraesentat, non quoad modum quo est, et ita actuat potentiam, ut haec per ipsam constituatur formaliter cognoscens.

161. **Natura et origo speciei determinatur.** — Multa sunt, quae a scholasticis recentioribus de natura speciei disseruntur. At fere omnia respiciunt naturam *speciei impressae*, quae iuxta plures est forma quaedam realiter distincta ab ipso actu cognitionis, et actuat facultatem, ut cum ea constituat unum principium compositum capax producendi determinatum actum cognitionis. Et ad istam pariter applicari solent quae in thesi superiori exposuimus; sicut contra eandem opponunt sua argumenta osores specierum.

Nos e contrario quaestionem de specie impressa ad sequens scholion transmittimus, et addimus, immerito prorsus eam confundi cum specie adaequata inspecta, quam cum S. Thoma superius descripsimus, et de qua tantum modo solliciti sumus. Porro haec species nil aliud est, nisi *ipse actus cognitionis, qui uti forma quaedam actuat facultatem, a qua procedit et quam reddit similem obiecto, a quo facultas determinata fuit.* Quare haec species est qualitas vitalis pro-

ducta a facultate determinata per obiecti actionem, et ideo sequitur naturam utriusque; est similis obiecto in repraesentando, et similis facultati in essendo. Ad hoc autem rite intelligendum, necesse est inspicere tum modum, quo ipsa producitur, tum ea, quae ad eius productionem concurrunt.

Et 1) recolendum est, quod omne agens communicat patienti suam tantum formam, non vero materiam « Omne enim patiens recipit aliquid ab agente, secundum quod est agens. Agens autem agit per suam formam et non per suam materiam. Omne igitur patiens recipit formam sine materia. (Sicut cera recipit signum annuli sine ferro et auro). Et hoc etiam ad sensum apparet: non enim aër recipit ab igne agente materiam eius, sed formam ». — 2) At discrimen adest inter modum, quo patiens naturale recipit formas, et modum, quo patiens cognoscitivum eas recipit. Illud enim patiens recipit formam cum iisdem dispositionibus ac est in agente, et tunc non dicitur forma recipi in patiente sine materia. « Licet enim illa et eadem materia numero, quae est agentis, non fiat patientis; fit tamen quodammodo eadem, inquantum similem dispositionem materialem ad formam acquirit ei, quae erat in agente ». Patiens cognoscitivum contra recipit formam ab obiecto, quin in se habeat dispositiones easdem ac ipsum, imo immobile in se permanens secundum suum esse naturale. « Et ideo forma recipitur in patiente sine materia, inquantum patiens assimilatur agenti secundum formam, et non secundum materiam » 1) i. e. non secundum easdem dispositiones materiales. — 3) Unde consequitur, quod similitudo exurgens inter cognoscens et cognitum minime esse debeat in natura seu in essendo, sed tantum in repraesentando. Recole testimonia S. Thomae iam allata in n. 145. — 4) Et ita intelligitur, quomodo potest aliqua forma recipi in subiecto sine dispositionibus sibi propriis. Hoc enim certe fieri non posset, si illa forma recipi deberet secundum esse naturale, ita scilicet ut illud subiectum actuaretur realiter per illam formam. At nullum inconveniens est, si illa forma recipitur tantum secundum esse intentionale, i. e. non ut subiectum actuetur per illam formam in ordine reali, sed

(1) S. *Thom.*, in L. II *de Anima*, l. 24.

tantum ut per eam capax reddatur, ad actum cognitionis ponendum. Et simul patet quod plane omnino facultas cognoscitiva potest recipere diversas et oppositas formas, quin ipsa in se corrumpatur vel mutetur.

Hinc elucet integra ratio nostrae theseos. Nimirum: *species*, i. e. forma, quae determinat et actuat facultatem cognoscitivam in ordine intentionali, est *similis rei*, a qua facultas determinata fuit ad cognoscendum, *quoad id quod repraesentat*; i. e. fideliter eam reproducit in repraesentando, seu est eius fidelis imago: *non quoad modum quo est*, seu non habet idem esse illius rei sed diversum. Tandem haec species nil aliud est, nisi ipse actus cognitionis, quo nempe facultas *constituitur formaliter* cognoscens.

Hoc ultimum autem ut rite intelligatur, recolendum est, quod omnis forma, quae recipitur in subiecto, ei communicat suum esse, quo illud actuatur et fit *tale* e. g. *vivens*, *album*, *extensum*. Quare si forma in subiecto recipitur vel per actionem, quae materialiter seu physice ipsum transmutat, vi cuius etiam ipsa producitur et fit realis; vel per creationem, sicut anima humana, quae a Deo creatur et infunditur in corpore, tunc subiectum illud fit physice seu realiter *tale* et actuatur secundum esse naturale illius formae.

Si vero ipsa recipitur in subiecto, ut praecise accidit in facultate cognoscitiva, per actionem obiecti, non quae ipsam in se physice transmutet, sed quae ipsam determinet ad transeundum de potentia ad actum cognoscendi, tunc forma quae educitur non aliud esse ei affert nisi illud quo ipsa constituitur formaliter cognoscens. Quare quum dicitur, quod *species actuat facultatem secundum esse intentionale*, perinde est ac: *per ipsam facultas fit formaliter cognoscens*. Istis praestitutis, facile est singulas partes vindicare.

162 **Prob. I p.** — Omnis effectus assimilatur suae causae secundum formam, secundum quam causa agit: « agens enim agendo assimilat sibi passum » (1). Sed species determinatur in facultate ab obiecto per actionem eius in ipsam. Ergo species est similis rei secundum id quod dicit.

(1) S. Th. in L. II *de Anima*, l. 10.

Praeterea haec species ideo adstruitur in facultate, ut ista per eam evadat intentionaliter similis rei quam cognoscit, quia *simile simili cognoscitur*. Atqui hoc necessario expostulat ut species sit similis rei quoad id, quod repraesentat. Ergo.

Prob. II p. — Species, qua determinatur facultas ad cognoscendum, accomodatur dispositionibus propriis cognoscentis : nam quidquid recipitur per modum recipientis recipitur. Atqui cognoscens, utpote immateriale, eas habet diversas a dispositionibus materialibus obiecti. Ergo species habet diversum essendi modum in cognoscente ac in cognito. — Neque ex hoc sequitur quod per ipsam cognoscens falso rem cognoscat. « Non enim, ut ait S. Th., forma existens in intellectu vel sensu est principium cognitionis secundum modum essendi, quem habet utrobique, sed secundum rationem in qua communicat cum re exteriori » (1).

Modus, quo res cognita in se est, pertinet ad ordinem physicum et ideo sequitur physicam cuiusque rei naturam, modum vero, quo species ipsius est in cognoscente, pertinet ad ordinem intentionalem seu idealem. Atqui modus physicus essendi rei et modus idealis sunt omnino inter se diversi. Ergo species nullo modo potest esse similis rei quoad modum quo est.

Ad rem S. Thomas, qui reiiciendo opinionem Platonicorum, qui credebant (2), « quod modus rei intellectae in suo esse sit sicut modus intelligendi rem ipsam; ait : Hoc autem non est necessarium. Nam intellectus, (et generatim facultas cognoscitiva) etsi intelligat res per hoc quod similis est eis quantum ad speciem intelligibilem per quam fit in actu; non tamen oportet quod modo illo sit species illa in intellectu, quo in re intellecta; nam omne quod est in aliquo, est per modum eius in quo est. Et ideo ex natura intellectus, quae est alia a natura rei intellectae, necessarium est quod alius sit modus intelligendi quo intellectus intelligit, et alius sit modus essendi quo res existit. Licet enim id in re esse oporteat, quod intellectus intelligit, non tamen eodem modo ».

(1) IV S., D. 49, q. 2, a. 1.
(2) In 1 *Metaph.*, l. 10.

Prob. III p. — Quum producitur quaedam forma in aliquo subiecto, ipsum actuatur per esse correspondens illi formae. Atqui esse respondens speciei intentionali nullum est nisi esse ipsius actus cognoscitivi, quo facultas est formaliter cognoscens, seu est ipsa cognitio. Ergo. — *Pr. m.* — Minor patet vel ex ipso vocabulo *formae intentionalis*, quo appellatur species. Siquidem forma intentionalis ea dicitur, cuius essentia est ut habeatur in subiecto, in quo inhaereat, *intentio*, nempe *cognitio*, quae se referat ad rem illam a qua ipsa determinatur. Nam sicut per formam physicam, e. g., *caloris* corpus redditur physice calidum, ita per speciem *caloris* facultas redditur operans seu cognoscens calorem. Atqui forma, qua facultas redditur non physice talis, sed tantum operans seu cognoscens, non communicat ei nisi esse intentionale, per quod constituitur formaliter ipsa cognitio. Ergo.

Praeterea ratio, cur admittitur in cognoscente species, nonnisi ea est, quia cognoscens in cognoscendo evadit intentionaliter simile rei cognitae. Atqui ad hoc requiritur tantum esse intentionale per quod formaliter habetur cognitio. Ergo.

Insuper hoc intercedit discrimen inter speciem et formas physicas, quod istae sint principium operationis efficiens: sed species non est hoc principium operationis, quippe quae gignitur a facultate cognoscitiva. Nam si spectatur ea quae *impressa* dicitur, ipsa est tantum principium specificativum determinans facultatem ad cognoscendum, si vero spectatur ea, quae *expressa* appellatur, haec consequitur cognitionem, et ea est qua formaliter facultas cognoscit.

163. **Doctrina S. Thomae et Caietani.** — Caietanus rem ita profunde explicat. « Reliqua entia aut recipiunt formas propter ipsarum formarum operationes (uti est in formis accidentalibus) aut propter operationem tertii, compositi ex recipiente et recepto (uti est in formis substantialibus)... Cognoscens autem recipiens cognitum non recipit ipsum propter operationem alicuius compositi resultantis ex eis neque propter operationem ipsius cogniti; sed propter

specificationem propriae operationis ipsius cognoscentis» (1). Scilicet species non est talis forma, quae actuat facultatem ut ipsa existat sub illa forma, sicut habetur in omni forma accidentali et substantiali, sed quum facultas iam sit determinata secundum suam formam physicam, qua actu existit, tendit tamen ad operandum et ideo ad habendas alias formas intentionales, quibus constituuntur actus cognoscitivi.

Idem saepe docet S. Thomas. Expendens enim S. D. quaestionem, utrum intellectus creatus possit simul plura intelligere, haec statuit principia. « Potentia sensitiva per similitudinem sensibilium reducitur in actum dupliciter. Uno modo incomplete per modum dispositionis, quando scilicet species sensibiles sunt in ea ut dispositiones, quod appellat Avicenna *esse ut in thesauro.* Alio modo perfecte, quando scilicet species sensibiles actu informant potentiam sensitivam, et hoc vocat Avicenna *apprehensionem sensus*, distinguens potentias sensitivas apprehendentes ab illis in quibus sunt formae sensibiles ut in thesauro; et similiter in intellectu in habitu sunt similitudines intelligibilium ut dispositiones; sed quando sunt actu intellectae, sunt in eo ut formae perficientes, et tunc intellectus fit omnino res intellecta; et hoc contingit per intentionem, quae coniungit intellectum intelligibili, et sensum sensibili ut dicit Augustinus » (2). Quare iuxta S. Thomam, tunc species actuat sive sensum sive intellectum, quum habetur *apprehensio* seu cognitio, ideoque esse seu actualitas speciei est ipsa cognitio.

Pariter alibi dicit « Sicut res habet *esse* per propriam *formam;* ita virtus cognoscitiva habet *cognoscere* per *similitudinem* rei cognitae. Unde sicut res naturalis non deficit ab *esse*, quod ei competit secundum suam formam...; ita virtus cognoscitiva non deficit in *cognoscendo* respectu illius rei cuius similitudine informatur » (3). Ergo sicut se habet forma naturalis ad esse naturale, ita se habet similitudo seu species rei cognitae ad cognitionem ideoque esse speciei est ipsa cognitio. Item alibi. « Illud, quo intellectus intelligit, comparatur ad intellectum *intelligentem*, ut forma eius, quia forma est quo agens agit » (4). et « Esse naturale non est materiae primae, quae est in potentia tantum nisi secundum quod est reducta in actum per formam. Intellectus autem noster possibilis se habet in ordine *intelligibilium*, sicut materia prima in ordine rerum naturalium; eo

(1) In 1 p., q. 14, a. 1, n. 6.
(2) Quodlib. VII, a. 2.
(3) I p., q. 17, a. 3.
(4) *S. Theol.*: I p., q. 55, a. 1.

quod est in potentia ad intelligibilia, sicut materia prima ad naturalia. Unde intellectus noster non potest habere *intelligibilem* (ut est in editione Leonina) *operationem*, nisi in quantum perficitur per speciem intelligibilem alicuius (1) ». Ergo sicut per formam materia habet esse, ita per speciem intellectus habet intelligere.

Nec aliquid officit quod S. Th. ait (2) : « huiusmodi species obiecti quandoque est in potentia tantum in cognoscitiva virtute ». Siquidem haec verba, ut ex contextu patet, ita intelligi videntur ut significent, quod quandoque facultas non habeat species, sed potest recipere. Nam ita prosequitur « Et ad hoc quod actu cognoscat, requiritur quod potentia cognoscitiva reducatur in actum speciei », seu debeat recipere speciem actu. Imo quae postea sequuntur videntur potius applicanda speciei expressae quae manet in habitu. Ait enim : « Si autem semper eam actu habeat, nihilominus per eam cognoscere potest absque mutatione vel receptione praecedenti » ; i. e. postquam intellectus primo cognoverit, manent illi actus cognoscitivi in nobis, sicut habitus scientiae et tunc sunt sicut species, quae praecedunt novam cognitionem rerum iam cognitarum.

164. **Ultima Conclusio.** - Quapropter cum Caietano concludendum videtur (3) « Speciem intelligibilem uniri perfecte intellectui (idem dic de sensu) non est ipsam inhaerere intellectui, (quoniam ista unio constituit intellectum non in *actu* sed in *habitu*) sed est ipsum constituere in actu secundo. Ad hoc enim ponitur species intelligibilis ut sic, ut intelligens sit intellectum in actu completo. Ipsam autem constituere in actu secundo est ipsam non esse actum secundum, sed habere se ad actum secundum ut *forma* ad *esse*. Quemadmodum enim forma est principium essendi materiae, ita quod idem est esse materiae et formae diversimode... ita species intelligibilis, si actus est in genere intelligibili, est intelligendi principium. *Ita quod intelligere est ut ipsius esse*... Speciem igitur uniri actu intellectui est constituere ipsum in hoc quod est *esse actu intelligentem*. Esse autem actu intelligentem nil aliud est quam intellectum esse perfecte ipsum cognitum ». Quod ut facilius intelligatur, iuvat advertere modum, quo species producitur.

Re quidem vera quum facultas recipit actionem obiecti,

(1) S. *Theol.* : I p., q. 14, a. 2 ad 3.
(2) S. *Theol.* : I p., q. 56, a. 1.
(3) In Comm. in S. Th. I p., q. 12, a. 2, versus finem

fune educitur (analogice ad eductionem aliarum formarum naturalium) e potentia ipsius forma similis obiecto. Sed ista eductio haberi nequit sine concursu ipsius facultatis, sicut et materia concurrit ad eductionem formarum. At facultas, quae est essentialiter operativa et cognoscitiva nullum concursum praebere potest nisi simul operando et cognoscendo. Ergo sicut materia concurrendo ad eductionem formae, transit de potentia in actum illius formae, inquantum existit actu sub illa forma, ita facultas cognoscitiva transit de potentia in actum illius formae, inquantum operatur seu cognoscit rem illam, a qua patitur. Et ideo, ut ipse S. Th. ait, « Sicut ex forma naturali, qua aliquid habet esse, et materia efficitur unum ens simpliciter, ita ex forma, qua intellectus intelligit et ipso intellectu, fit unum in intelligendo (1) ».

165. **Scholion I. — De relatione inter speciem impressam, actum cognitionis et speciem expressam.** — In tota hac quaestione locuti sumus de specie intentionali integre et complete spectata, uti fit saepe a S. Thoma, in tuto ponendo eius existentiam ac propriam rationem iuxta communia Scholasticorum principia, duce S. Thoma, abstrahendo a subtilioribus quaestionibus, quae a recentioribus praesertim agitantur. De istis modo aliquid breviter attingendum occurrit. Et primo recolendum est, formam illam intentionalem, qua facultas cognoscitiva constituitur integre ac formaliter cognoscens, posse spectari *a*) in initio cognitionis seu in ipso *incipere*, *b*) in actu cognitionis, seu in fieri, *c*) in termino cognitionis seu in *facto esse*.

Iamvero spectata *a*) in *initio* vocatur species impressa, quae est ipsa intrinseca determinatio facultatis ad cognoscendum, producta ab actione obiecti in eam, et praecedit cognitionem seu est eius initium. Spectata *b*) in *fieri* est ipsa operatio, qua cognoscens actu ac formaliter cognoscit, seu est ipse actus cognoscitivus, et tamdiu durat quamdiu cognoscens actu cognoscit. Tandem inspecta *c*) in termino est species expressa, quae est qualitas consequens cognitionem, et manet in facultate, etiam quum cessat actus cognitionis.

(1) In IV S., D. 49, q. II, a. 1.

Quoad speciem impressam communiter scholastici cum S. Thoma eam admittunt ut aliquid distinctum ab actu cognitionis tum in sensibus tum in intellectu: et merito quidem. Nam principium determinans actum cognitionis aliud est ab ipso actu. At quidam aiunt eam distingui realiter, quidam vero, tantum ratione.

Quoad speciem expressam vero est quaedam opinionum diversitas: quidam enim putant, eam esse aliquid productum ab ipsa cognitione, a qua realiter distinguitur, et aiunt eam reperiri in sola cognitione intellectiva abstractiva, minime vero in intuitiva et in cognitione sensitiva. Alii vero existimant eam esse terminum actus cognitionis, seu cognitionem ipsam in *facto esse* spectatam, et distingui ab actu cognitionis tantum ratione, vel ut eius *modus*, ac proinde inferunt eam semper inveniri in omni cognitione. Audias quod ait P. Pesch (1): « Tota quae est hac in re obscuritas commode depelli potest, si distinguatur species expressa duplicis generis. Una est tantum *terminativa*, quae est terminus necessarius uniuscuiusque actus cognoscitivi, ergo etiam in sensatione externa reperitur. Altera est insuper *repraesentativa*, quae loco obiecti absentis vel non satis propositi sese cognoscenti obiicit: haec, si agitur de phantasia, *idolum* vocatur, si de intellectu, *verbum*. Atque hoc speciei expressae genus abest a sensatione externa, in qua videlicet obiectum semper praesens est ». — Hanc quaestionem modo innuisse sufficit, uberius eam explicaturos deinceps, quum de cognitione sensitiva et intellectiva singillatim disputandum erit. Placet tamen referre elegans hac de re S. Thomae testimonium (2). « Intelligens in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem: scilicet ad rem, quae intelligitur; ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu; ad suum intelligere; et ad conceptionem intellectus. Quae quidem conceptio a tribus praedictis differt... Differt a specie intelligibili: nam species intelligibilis, qua fit intellectus in actu, *consideratur* ut principium actionis intellectus.... Differt ab actione intellectus, quia *consideratur* ut terminus actionis ».

(1) *Psychol.*, p. I, liber alter, n. 470, dices 3.
(2) *Quaest. disp.*, q. 8, *de Pot.*, a. 1.

166. **Scholion II. — De cuncursu speciei impressae ad cognitionem.** — Quoniam species impressa praecedat cognitionem, ut aliquid determinans facultatem ad cognoscendum, ipsa certe ad gignendam cognitionem concurrere dicenda est. Unde merito quaeritur; *quo pacto concurrat.* — Et respondemus: 1° si ipsa comparatur ad obiectum a quo producitur, arbitrandum est eam esse instrumentum, quo mediante obiectum determinans facultatem concurrit ad ipsam producendam, atque ita obtinetur quod *a cognoscente et cognito oritur cognitio.* Haec enim species spectata prout producitur ab obiecto, est ipsa *vis activa obiecti applicata intrinsece facultati*, eamque determinans ad actum cognitionis illius obiecti. Porro vis activa quum sit id, quo substantia agit, merito dicitur eius instrumentum, quo substantia producit suum effectum. Spectata vero prout recipitur in facultate est ipsa determinatio facultatis ad cognoscendum. Ergo merito species dici potest instrumentum, quo obiectum influit in cognitionem.

Ex quo sequitur, obiectum, quamvis influat in cognitionem mediante specie impressa, iure dici *immediate*, non autem mediate, in eam influere. Sicut substantia, quamvis producat effectum suum mediante sua vi, immediate tamen ipsum producere dicitur, quia haec vis est *aliquid ipsius substantiae.*

2° Si comparatur ad ipsam facultatem, quacum concurrit ad cognitionem, tunc dicimus cum Cajet. (1): « quamvis aliquo modo activa sit species intellectionis, melior tamen et potior est proportio ipsius formalis, quam activa ». Et sane, cum cognitio sit operatio vitalis, ipsa per se procedit a facultate vitali, quae proprie cognoscit et in se recipit actum suum. Ergo vera causa activa actus cognitionis est facultas. Sed ipsa, cum sit indeterminata, indiget aliqua determinatione intrinseca, ab ipso obiecto producta, ad quod determinatur cognitio. Ista autem determinatio habetur per applicationem virtutis ipsius obiecti ad facultatem, vi cuius ipsa determinatur ad ponendum hunc actum cognitionis, respondentem illi formae, qua obiectum suam actionem exer-

(1) *S. Theol.*; I p., q. 12, a. 2.

cuit. Ergo species impressa, prout determinat facultatem, dici potest principium activum; prout vero est forma, ad quam sequitur operatio ut *esse ipsius*, dici potest principium formale. « Cognoscens et cognitum, dicit S. Th. (1), non se habent ut agens et patiens, sed sicut duo, ex quibus fit unum cognitionis principium; et ideo... oportet quod cognoscibile cognoscenti uniatur ut forma ».

3° Tandem si comparatur ad ipsum actum cognitionis, tunc potius dicendum videtur concurrere ut eius *specificativum*, quatenus intrinsece ipsum determinat seu efficit ut versetur cognitio circa illam determinatam obiecti perfectionem. Et ita plane intelligitur quod ait Suarez: « Principium integrum productivum actus est potentia informata specie » (2), quae est sententia Aristotelis, S. Augustini, S. Thomae, Scoti et aliorum qui agnoscunt necessitatem huius intrinsecae determinationis.

167. **Dices**: I. Certe haberi potest species in facultate, quin sequatur cognitio. Atqui ipsa nequit esse aliquid specificativum actus cognitionis. Ergo. — *R. D. M.*; species quae est impressio physica in organo, *c.*; quae est intentionalis afficiens facultatem, *n.* — *Contrad. m.*... Et revera si species intentionalis adest, facultas iam est determinata ad actum ponendum. Et quum ipsa sit facultas necessaria, necessario debet sequi actus. Ac proinde si actus non sequitur, evidens est quod species intentionalis non adfuit. Ita e. g. si obiectum percellit oculos et non habetur visio, dicendum est, adfuisse in organo impressionem physicam, sed nullam speciem intentionalem in facultate visiva.

Ceterum existentia speciei impressae non deducitur tantum ex actione, quam obiectum exercet in facultatem, sed potius ex operatione cognoscitiva producta a facultate, quae exigit ut facultas intrinsece determinetur ac specificetur. Ergo si haec operatio non sequitur, nullum habetur argumentum, quod suadeat extitisse illo in casu speciem intentionalem in ipsa facultate. Effectus vero actionis obiecti iam habetur per impressionem physicam in organo productam.

II. — Si cognitio procedit a potentia et a specie, procederet a duplici principio. Atqui hoc repugnat. — *R. D. M.* si species esset verum principium activum operationis, *c.*; si est tantum principium specificans et determinans facultatem ut ipsa trans-

(1) *De Ver.*, q. 8, a. 4 ad 2.

(2) *De Anima*, L. III, c. 5, n. 13, cfr. tamen si placet integrum caput, ubi fuse eadem quaestio pertractatur.

eat de potentia in actum cognitionis, *n.* — *Contrad. m...* Ista enim specificatio praecedit actum cognitionis, qua posita, ipsa facultas procedit de potentia in actum, quatenus educit de sua potentia formam correspondentem obiecto, ponendo nempe operationem, qua evadit intentionaliter similis obiecto ipsum cognoscendo.

168. **Scholion** I. — *Utrum species impressa dicenda sit formalis, vel tantum virtualis similitudo obiecti.* — Porro formalis similitudo obiecti dicitur illa, quae rem repraesentat, sicut imago in speculo, vel pictura, vel statua. Virtualis vero, quae non repraesentat aliquid secundum propriam eius formam, sed habet virtutem efficiendi aliquid, quod sit ei formaliter simile; sicut e. g. semen plantae diceretur simile plantae (1). Hinc ita *resp.*: absolute neutrum dici potest, sed secundum aliquem respectum utrumque; quum species impressa participet de utraque ratione. Participat enim de similitudine formali, quia per illam facultas actuatur et fit similis rei. Sed cum eius natura in eo est quod ita determinet facultatem, ut necessario sequatur operatio seu cognitio, quae est propria formalis similitudo rei, ideo participat aliquid de virtuali. Quare rectius dici posset species impressa principium determinativum formalis similitudinis, quae proprie habetur in actu cognitionis (2).

II. — *Quomodo in cognoscendo, cognoscens evadat intentionaliter ipsum cognitum.* — Hoc ita a S. Th. explicatur (3). « Intellectum (res intellecta) est in intelligente per suam similitudinem. Et per hunc modum dicitur quod intellectum in actu est intellectus in actu, inquantum *similitudo rei intellectae* est forma intellectus, sicut similitudo rei sensibilis est forma sensus in actu », et (4). « Intellectum in actu fit unum cum intellectu in actu inquantum forma intellecti fit forma intellectus, inquantum est intellectum in actu, non quod sit ipsamet essentia intellectus, quia essentia intellectus manet una sub duabus formis, secundum quod intelligit res duas successive, ad modum, quo materia prima manet una sub diversis formis ». Et eodem modo explicat (5) illud principium philos. quod « omnia ea quae sunt, quòdammodo est anima ». Idem principium (ib. comm. V) Averroes exponens, concludit quod cognoscens et cognitum sunt magis unum quam materia et forma. Sed interim adverte:

1) Cognoscens revera non evadit ipsum cognitum per solam speciem impressam sed per ipsum actum cognitionis, ut

(1) Cfr. P. Urrab., *Psych.*, p. 2, l. 2, D. 2, c. 3, a. 5, p. 412.

(2) Cfr. Ioa. a S. *Th.* Ph. nat. III, q. VI, a. 3, qui pariter tuetur posse speciem impressam dici repraesentationem formalem vel melius virtualem, iuxta diversum sensum.

(3) I p., q. 85, a. 2 ad 2

(4) IV S., *D.* 49, q. II, a. 1 ad 9.

(5) In III *de An.*, t. 13.

ex dictis patet. — 2) In ipso actu cognitionis cognoscens actuatur immaterialiter seu intentionaliter vel repraesentative per formam similem cognito. Sicut e. g. in speculo reproducitur imago similis et repraesentativa obiecti, ita in actu cognitionis cognoscens ipsum evadit imago repraesentativa obiecti. Non quatenus ipsum in se transformatur, sed quatenus per illam formam accidentalem similem obiecto actuatur. — 3) Proportio inter istam formam accidentalem et facultatem non est omnino eadem ac proportio inter materiam et formam, quum ista se habeant ut potentia et actus, quae sunt diversae naturae et efformant aliquid tertium diversum ab utriusque natura. Cognoscens autem et illa forma accidentalis, licet quodammodo se habeant ut potentia et actus, non sunt tamen diversae naturae sed eiusdem omnino ordinis immaterialitatis et perfectionis: et ratio praecise est, quia illa forma producitur ab ipso cognoscente, et ideo est aliquid vitale et immateriale. Et compositum non est aliquid distinctum ab utrisque sed etiam eiusdem immaterialitatis et perfectionis. — 4) Et ita intelligitur, cur anima dicatur fieri intentionaliter omnia, dum materia non dicitur fieri naturaliter omnes res. Ista enim semper servat suam naturam potentialem et contrariam formis, quibus actuatur. Dum contra cognoscens, producens actum vitalem eiusdem suae immaterialitatis, a quo etiam actuatur, evadit intentionaliter ipsa res, quam cognoscit. Et ideo recte ait S. Th. (1) « intellectus in actu et intelligibile in actu sunt *unum*. Quod igitur convenit intelligibili, inquantum est intelligibile, oportet convenire intellectui inquantum huiusmodi: quia perfectio et perfectibile sunt unius generis » quod certe dici non posset de materia et forma. — 5) Ergo hoc sensu explicandum videtur principium Averr. supra expositum, et si explicatio Caiet. (2) aliquid aliud intelligat, probanda non videtur.

Dices. — In visione beatifica essentia divina fungitur munere istius speciei. Sed de ipsa dici nequeunt, quae de ista dicta sunt. Ergo.. — *R. D. M.;...* eodem omnino modo, *n.;* per quandam analogiam, *c.* — *Contrad. m.* — et *N. C.* Cum enim essentia divina diversimode coniungatur facultati ac species, non possumus certe de ista loqui sicut de illa. Sed audiatur S. Th. (3). « Illud quo intellectus creatus Deum per essentiam videt, est essentia divina. Non autem oportet quod ipsa divina essentia fiat forma intellectus ipsius, sed quod se habeat ad ipsum *ut forma;* ut sicut ex forma, quae est pars rei et materia efficitur unum ens actu, ita, licet *dissimili modo*, ex essentia divina et intellectu creato fit unum *in intelligendo*, dum intellectus intelligit ». Et ideo essentia divina non est vera forma intellectus..

(1) C. *Gentes*, l. II, c. 55.
(2) In I p., q. 14, a. 1.
(3) *De Ver.*, q. 8, a. 1

sed ita coniungitur intellectui, ut immediate, i. e. sine aliqua actione et specie media, determinet intellectum ad cognoscendam eandem essentiam: et ideo non adest perfecta paritas inter ipsam et speciem.

169. **Conclusio. — Cognitionis essentia.** — Modo faciliter colligi potest, quaenam sit intrinseca essentia ipsius actus cognoscitivi, qui sic definiri posset: *est operatio vitalis, qua cognoscens actuatur per formam repraesentativam rei cognitae, et sic evadit intentionaliter ipsa res, in quantum eam cognoscit prout est in se.*

Hinc intelligis cum S. Th., in quo stat perfectio cognitionis, secundum quam nempe cognoscens perficitur. Videlicet « res aliqua invenitur perfecta dupliciter. Uno modo secundum perfectionem sui esse, quod ei competit secundum propriam speciem. Sed quia esse specificum unius rei est distinctum ab esse specifico alterius rei; ideo in qualibet re creata huiusmodi perfectioni, habitae in unaquaque re, tantum deest de perfectione simpliciter, quantum perfectius in aliis speciebus invenitur; ut cuiuslibet rei perfectio in se considerata sit imperfecta, veluti pars totius perfectionis universi, quae consurgit ex singularum rerum perfectionibus, invicem congregatis. Unde ut huic imperfectioni aliquod remedium esset, invenitur alius modus perfectionis in rebus creatis, secundum quod perfectio quae est propria unius rei, in altera re invenitur; et haec est perfectio cognoscentis in quantum est cognoscens; quia secundum hoc a cognoscente aliquid cognoscitur, quod ipsum cognitum aliquo modo est apud cognoscentem: et ideo in III de Anima com. XV et XVII) dicitur animam esse quodammodo omnia, quia nata est omnia cognoscere. Et secundum hunc modum possibile est ut in una re totius universi perfectio existat. Unde haec est ultima perfectio ad quam anima potest pervenire, secundum philosophos ut in ea describatur totus ordo universi, et causarum eius » (1).

170. **Corollaria.** - Hinc sequitur, quod cognitio 1) non est mechanica coniunctio inter cognoscens et cognitum.

(1) *De Ver.*, q. 2, a. 2.

ut materialistae et sensistae invanum adstruere conati sunt. Ut enim notat D. Aug. (1) « Quod dicimus eos in corde habere, de quibus cogitamus, secundum quandam imaginem dicimus, quam de illis habemus impressam. Nam si omnino intus essent, scirent utique quid in corde nostro esset, atque ita ut eis loqueremur opus non esset ». — Nec est 2) productio rerum, quae tota a cognoscente procedat, ita ut eas extra se proiiceret, quin ipsae in se realiter essent, ut falso idealistae autumant. — Nec 3) caecus ac irrationalis naturae istinctus admittendi quaedam extra nos, ignorando tamen an ipsa revera in se sint vel non, ut Reid aliique adstipulati sunt; quod esset in se contradictorium et cognitionem ipsam destrueret. — Sed 4) est immaterialis productio rerum in ipso cognoscente immanens, quae iam supponit realem ipsarum existentiam, a quibus determinatur, et per eam cognoscens evadit intentionaliter ipsum cognitum, ei communicatur, ipsumque percipit. — 5) Ergo tandem assignata est ultima et intima ratio, cur et quomodo cognoscens percipiat res prout sunt in seipsis. Ita pariter liquet, analyticam esse hanc propositionem, nempe *cognitioni nostrae inest valor obiectivus*. Ideoque non indiget probari directe, nec negari potest sine contradictione. — 6) Hinc iterum elucet ratio, cur tot oppositi errores exorti sint, utpote ortum habentes ex neglectu distinctionis inter ordinem naturalem et intentionalem.

Clarius modo patet, **quid sit ordo intentionalis.** — Res enim, prout in suo esse reali inter se separatae et distinctae existunt, constituunt ordinem naturalem: prout vero a cognoscente concipiuntur in eoque existunt, ordinem efformant intentionalem, nempe novam ac immaterialem habent existentiam, productam in ipsa intentione seu actu cognitionis. Haec nova existentia rerum licet entitative differat a naturali, repraesentative vero omnino ei similis est, uti habetur in speculo et statua. Et ita cognoscens dum unam entitatem habet secundum esse reale, multas vero continet se-

(1) In Ps. 139, n. 151.

cundum esse immateriale et repraesentativum, ut explicatum est (1).

171. **Essentia cognoscentis.** — Quoniam essentiae rerum nobis manifestantur per earum operationes, pronum est intelligere, quaenam sit ipsa *cognoscentis essentia*, postquam essentiam cognitionis ratam habuimus. Interim adverte nos in toto hoc tractatu non loqui nisi de cognitione, quae a *vivente organico* seu *corporeo* exercetur.

Thesis XXXI.

Principium cognoscitivum nequit esse materia, sed est forma seu anima ab ipsa plane distincta, ac perfectior anima vegetativa.

172. **Status quaestionis.** — Omnia viventia, uti vidimus in th. X, necessario expostulant principium formale a materia eiusque viribus mechanicis et chimicis distinctum, ac perfectius forma substantiali corporum non viventium. Hinc iam sequitur, omnia viventia, quae cognoscendi facultate praedita sunt, constare principio formali a materia distincto, ex quo oritur cognitio. Imo addimus ipsum in se perfectius esse anima vegetativa, atque adeo constituere viventia ordinis perfectioris, ut innuimus in th. VI.

Adversarii huius theseos sunt in primis materialistae, qui sicut operationes vitae vegetativae, ita cognitionem explicant per solas materiae vires, dein physiologi, qui cogni-

(1) Quare contradictorie loculus est Michelet, aiens *Esquisse de logique*: « Ex eo quod mens ideas habet, nullo modo sequitur eis respondere obiecta extra in suis realitatibus existentia ». Et ratio, quae subiungitur, non solum ei non prodest, sed manifestissime obest: ait enim: « Idea non est ipsum obiectum sed tantum eius imago ». Sed si est imago obiecti, illud repraesentat, ergo ideae respondet aliquid extra, quod ipse negat. Hinc vides eum deceptum fuisse, cum iis omnibus, qui ei consentiunt, ex eo quod putet, ad obiectivum valorem cognitionis defendendum, requiri, ut obiectum ipsum secundum suum esse reale coniungi debeat cum cognoscente, quod quam falsum sit manifeste ex dictis apparet, et adhuc confirmari potest istis S. Th. verbis *De Verit.*, q. 10, a. 4, ad 4: « quamvis in mente non sint nisi immateriales formae, possunt tamen esse similitudines rerum materialium. Non enim oportet quod eiusmodi esse habeat similitudo, cuiusmodi est id cuius est similitudo, sed solum quod in ratione conveniat: sicut forma hominis non habet tale esse in statua aurea, quale esse habet forma hominis in carnibus et ossibus ».

tionem in mera nervorum vibratione reponunt, uti directe videbimus in artic. seq. Contra vero qui iam adstruunt animam in viventibus vita vegetativa, multo magis eam agnoscunt in viventibus vita cognoscitiva. Imo nonnulli, qui eam denegant in prioribus viventibus, eius existentiam affirmant in istis, quum clare percipiant, cognitionem nullo modo explicari posse per solas materiae vires.

173. **Prob. I p.** — Cognitio necessario exigit principium aliquod activum capax immanenter agere. Atqui sola materia nequit esse huiusmodi principium, uti patet, tum quia *a*) secus omne corpus posset cognoscere, quod pugnat cum experientia; tum quia *b*) omnis operatio immanens seu vitalis ipsum exposcit, ut vidimus in thesi IX; tum quia *c*) tota ratio actus cognoscitivi innititur in immaterialitate ipsius cognoscentis; in hoc actu enim reproducitur res intentionaliter ideoque immaterialiter non physice. Atqui ad hunc actum gignendum requiritur principium immateriale. Ergo.

Praeterea materia, ut communi experientia patet, est principium coaretationis et singularitatis, ideoque non potest recipere nisi unam formam alicuius speciei; si enim recipit formam *Petri* non potest eadem recipere formam *Pauli*, nec simul *albedinem* et *rubedinem*, *dulcedinem* et *amaritudinem*, et ita porro. Atqui cognoscens potest recipere multas formas etiam oppositas eiusdem speciei. Ergo. — « Patet igitur, ut ad rem ait S. Th., quod immaterialitas alicuius rei est ratio quod sit cognoscitiva et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis » (1). Et alibi. « Actus cognitionis se extendit ad ea, quae sunt extra cognoscentem. Cognoscimus enim etiam ea quae extra nos sunt. Per materiam autem determinatur forma rei ad aliquid unum. Unde manifestum est quod ratio cognitionis ex opposito se habet ad rationem materialitatis. Et ideo quae non recipiunt formas nisi materialiter, nullo modo sunt cognoscitiva: sicut plantae... » (2).

(1) S. *Theol.*, I p., q. 14, a. 1.
(2) S. *Theol.*, I p., q. 84, a. 2.

Prob. II p. — Perfectius est posse recipere plures formas in ordine intentionali, etiam eiusdem speciei quam tantum in ordine physico. Atqui principium cognoscens potest recipere has plures formas, vegetativum vero unam tantum in ordine physico. Ergo ipsum est omnino perfectius, ac proinde tanto perfectius, quo melius cognoscit, pluresque formas recipere potest.

Praeterea omnes concedunt, perfectiora esse viventia cognoscentia quam non cognoscentia, ac bruta animantia et homines perfectiori vitae gradu pollere quam plantae, ut clare elucet ex argumentis allatis in th. VI. Atqui tota ratio huius maioris perfectionis repetenda est praecise ex hoc principio formali, ex quo oritur cognitio. Ergo (1).

174. **Corollarium.** — Ergo cognoscentia constant forma substantiali perfectiori. — Quamvis hic directe nondum statuimus utrum huiusmodi forma sit substantialis quod inferius determinabitur, haec tamen consectaria colligi possunt. — *a*) Haec forma nequit esse accidentalis, seu aliqua proprietas formae vegetativae. Virtus enim cognoscitiva est ordinis prorsus superioris, et activitatem denotat multo perfectiorem, quam sit activitas huius; ergo nequit esse quaedam eius proprietas. — *b*) Quare ipsa esse debet vera forma substantialis, peculiari virtute gaudens exercendi actus cognoscitivos. — *c*) Et cum materiae unitur, potest omnino sufficere ad praestanda ea omnia, quae propria sunt formae substantialis materialis ac vegetativae. — *d*) Ergo forma substantialis viventium, quae cognitione gaudent, est formaliter cognoscitiva, virtualiter vero vegetativa et corporea praebens materiae ipsum esse substantiale, ideoque ordinis perfectioris.

Audias iterum S. Th. « Forma in his, quae cognitione participant, altiori modo invenitur, quam in his, quae cognitione carent. In his enim, quae cognitione carent, invenitur tantummodo forma ad unum esse proprium determinans unumquodque; quod etiam naturale uniuscuiusque est. Hinc

(1) *Difficultates* contra thesim nunc omittimus, quia partim iam solutae sunt, partim opportuniorem invenient solutionem, quum directe de cognitione sensitiva et intellectiva sermo erit.

igitur formam naturalem sequitur naturalis inclinatio, quae appetitus naturalis vocatur. In habentibus autem cognitionem sic determinatur unumquodque ad proprium esse naturale per formam naturalem, quod tamen est receptivum specierum aliarum rerum; sicut sensus recipit species omnium sensibilium, et intellectus recipit species omnium intelligibilium. Et sic anima hominis fit omnia quodammodo secundum sensum et intellectum, in quo cognitionem habentia ad Dei similitudinem quodammodo appropinquant, in quo omnia praeexistunt, sicut Dionysius dicit (*De div. nom.*, cap. 5, lect. 1) » (1).

175. **Conclusio.** — Cognitio est maxima perfectio, quae creaturis communicari poterat, qua nempe cognoscens in intima ponitur relatione cum aliis creaturis extra se positis, ea simul complectitur, harmonice inter se ordinat, atque ad suum perducit finem. Unde res, quae cognitione carent, saltem appetunt cognosci, ut ait Augustinus, « Arbusta formas suas varias, quibus mundi huius visibilis structura formosa est, sentiendas sensibus praebent, ut pro eo, quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur » (2) « Sicut omnia, pariter ait Sylvester Maurus, appetunt esse reale et realem conservationem, sic omnia appetunt esse intentionale et cognosci. Deus cuncta operatur ut cognoscatur et innotescat: angeli et homines appetunt famam et gloriam, entia rationis expertia, faciunt quantum possunt, ut innotescant manifestando se oculis per colores, auribus per sonos, tactui per qualitates tangibiles » (3).

Ad hanc vero cognitionem rite explicandam, necessarium est quaedam praestituere principia certa, utpote ab omnibus admissa, in quibus tota innititur vita hominum. Eaque sunt: — 1) existentia cognoscentis; — 2) existentia obiecti cogniti ab eo distincti; — 3) necessitas concursus utriusque ad gignendam cognitionem; — 4) ac proinde necessitas actionis obiecti in cognoscente, ut cum eo concurrat ad producendam cognitionem. — Ex his sequitur, quod cognitio

(1) S. *Theol.*, I p., q. 80, a. 1.
(2) *De Civit. Dei*, l. 11, c. 27.
(3) *Quaest. philos.*, I 1, q. 2.

sit in ordine prorsus diverso ab ordine naturali ac materiali, quum obiecta nequeant coniungi cum cognoscente nisi secundum esse, quod dicitur *intentionale*, seu *repraesentativum*. Ita cognoscens communicat cum omnibus rebus; quatenus vi suae activitatis evadit simile obiecto cognito, seu fit immaterialiter ipsum obiectum cognitum.

Illa forma intentionalis vero, qua cognoscens actuatur, ea est quae *species* vocari solet, quaeque alia est, si consideratur in initio cognitionis, quum nempe cognoscens patitur ab obiecto, et tunc dicitur *species impressa*, alia vero si consideratur in ipso *fieri* cognitionis, quum nempe cognoscens actu cognoscit, et est *ipse actus vitalis* cognitionis; alia tandem, si consideratur in termino cognitionis, tunc dici potest *species expressa*, quatenus est id quod *exprimitur* ab ipso cognoscente.

Hinc sequitur quod ipsum cognoscens debeat esse immateriale, idest a materia distinctum et plus vel minus ab ea dependens, iuxta diversum gradum cognitionis, in quo reperiatur, sicut in sequentibus explicaturi erimus.

ARTICULUS II.

DE COGNITIONE SENSITIVA.

Suppositis iis, quae de cognitione in genere praestituimus haud difficile erit rationem propriam cognitionis sensitivae enodare. Sufficit ipsi applicare principia generalia ibi tradita, addendo quod peculiare est pro sensibus.

Thesis XXXII.

Sensatio est vera cognitio, in qua sensus percipit obiectum a quo afficitur, quod est singulare et concretum.

176. **Status quaestionis.** — Sensus inspectus in ordine ad suum obiectum ab Arist. definitur: « id esse, quod sensibiles sine materia formas suscipere posset, perinde

atque anuli signum sine ferro vel auro susciperet cera » (1). Hinc sensatio est *susceptio formae sensibilis sine materia et conditionibus materialibus*. Haec tamen *susceptio* differt ab ea, qua cera suscipit signum anuli, eo quod cera *unice passive* se habet, et insuper signum illud cum physica *tantum* immutatione recipit, sensus vero recipit formam sensibilem, etiam secundum intentionalem immutationem et simul agit atque intentionaliter quoque illam in se exprimit. Haec actio, seu haec intentionalis expressio est formaliter cognitio sensitiva, dum illa receptio est tantum aliquid praerequisitum. Ad rem S. Th. (2) « Sensus exteriores suscipiunt tantum a rebus per modum patiendi, sine hoc quod aliquid cooperentur ad sui formationem: quamvis iam formati *habeant propriam operationem*, quae est iudicium de propriis obiectis ».

Insuper si sensus spectatur non in ordine ad obiecta sed in se, in sua propria natura, definiri potest: *potentia cognoscitiva organo affixa, quae versatur circa obiectum materiale singulare concretum*: unde etiam *facultas organica cognoscitiva* appellari solet. Quare distinguenda est tum *facultas* seu *vis* animae, quae proprie cognoscit, tum *organum* proprium cuiusque facultatis, a quo intrinsece dependet illa facultas sicut et ipsa sensatio quae definiri etiam potest: *actio perceptiva organica*, ut ex iis, quae esponenda erunt, clarius patebit.

Interim vero liquet, falsos esse cartesianos, qui aiunt, sensationem esse *confusum cogitandi modum;* item physiologos, qui asserunt, eam esse *affectionem mentis*, qua haec moneatur de corporum praesentia; vel esse *affectionem quandam subiectivam*, quae praeter seipsam nullum obiectum refert (3); et materialistas, qui eam reponunt in sola nervorum excitatione quadam (4). Item apparet falsum fuisse Rosminium qui, distinguens inter perceptionem et cognitionem, priorem sensibus elargitur, alteram vero denegat. Sed, ut

(1) *De Anima*, l. II, c. 12, 424, a. 20.

(2) Quodlib. 8, q. 2, a. 3.

(3) Cfr. Theodor, Meynert, *Zur Mechanik des Gehirnbaues*.

(4) Cfr. Gutberlet, *Psychol.*, 2a ediz., qui diversos refert auctores haec comminiscentes, e. g., Lange, Oken, Kessler, Mehring, Schaller, Fichte.

scite advertit P. Schiffini (1), hoc perinde est ac terminos a propria eorundem significatione denudare.

177. **Prob. I p.** — *Sensatio est vera cognitio.* — Ad genericam rationem cognitionis duo pertinent: primo quidem ut sit operatio vitalis sive cognoscenti immanens: secundo vero, ut ea mediante obiectum trahatur intra cognoscens, in eoque sistatur per vitalem et intentionalem assimilationem, qua cognoscens dicitur quodammodo evadere ipsum obiectum cognitum. Atqui haec duo sunt de ratione cuiusque actus perceptivi, ut omnes ipsa natura duce concipimus. Ergo, cum actus sentiendi, fatente ipso Rosminio, sit perceptivus, eadem omnino ratione cognoscitivus dicendus est. — Praeterea tunc dicimus nos aliquid cognoscere cum apprehendimus aliquam rem extra nos et ita intentionaliter cum illa re communicamur. Atqui, uti clare testatur cuiusque conscientia, in sensatione hoc certe accidit. Ergo.

Insuper sensatio, quamvis praerequirat actionem obiecti in facultatem, quae ideo vocatur etiam potentia passiva, completur tamen per veram eius operationem qua percipimus ipsum obiectum, a quo facultas immutatur. Unicuique enim, conscientia teste, compertum est, cum dicimus, *aliquid sentire*, nos reapse percipere aliquid a quo immutamur seu afficimur, et ita vivere *vitam sensitivam*. Dum contra qui non sentiunt obiectum, a quo immutantur, dicuntur carere hac vita, vel esse mortui. Atqui haec actio vitae sensitivae est vera cognitio. Ergo.

Tandem omnes agnoscunt in brutis adesse veram cognitionem, uti liquet ex appetitu sensitivo qui ad eam consequitur, et ex motu, quo sese dirigunt ad obiectum cognitum, uti inferius diserte probabitur. Atqui in eis non adest nisi tantum perceptio sensilis. Ergo haec est vera cognitio.

Ad rem S. Th.: « Sentire quantum ad ipsam receptionem speciei sensibilis, nominat passionem..., sed quantum ad actum consequentem ipsum sensum perfectum per ipsam speciem, nominat operationem, quae dicitur motus sensus » (2).

(1) *Metaph. specialis*, vol. I, n. 171.
(2) In I S., Dist. 40, q. 1, a. 1, ad 1m.

Et alio in loco « Operatio duplex esse potest. Una est transeins, et haec proprie actio vel passio dicitur, sive operatio activa et passiva; unde invenitur *calefactio, motio*, quae est actio et quae est passio. Alia autem operatio est, quae non significatur ut procedens in aliquem effectum, sed potius ut est aliquid receptum in operante: illa receptio dicitur *passio;* et actio, quae coniunctum ex recepto et recipiente consequitur, dicitur *actio*. Et sic res se habet in sensu... » (1).

Prob. II p. — *Sensus percipit obiectum a quo afficitur.* — Haec pars est contra idealistas, qui effutiunt, nos in sensatione non cognoscere nisi subiectivas animi impressiones: et intime connectitur cum quaestione de veracitate sensuum, quam in logica absolvimus.

Et sane: si in sensatione non perciperemus ipsum obiectum, a quo afficimur, nullum obiectum extra nos existens unquam cognoscere possemus. Atqui omnibus ratum et indubium est, nos revera cognoscere obiecta extra nos existentia. Ergo (2).

Minor satis demonstrata manet tum ex communi hominum sensu, tum ex iis, quae in logica disseruimus de infallibilitate sensuum nostrorum (3). Et si quae adest difficultas circa modum, quo sensus percipiunt obiecta, ea in sequentibus thesibus explanabitur, praesertim in th. XXXVII et VIII.

(1) In I S., Dist. 15, q. 5, a. 3, ad 4m.

(2) Accipe argumentum etiam P. Schiffini, ibid. « Nam si sensatio subiectivam tantum impressionem vel imaginem prae se fert, corpora extra nos posita innotescerent vel quatenus caeco quodam naturae instinctu ad ea affirmanda pelleremur, vel quatenus, cognoscendo istas impressiones per associationem quandam sensationum, indirecte ipsa corpora nos sentire dicamur vel denique per discursum principio causalitatis innixum. Atqui nihil horum dici potest. Non primum; siquidem naturalem certitudinem efficeret plane irrationabilem. Non alterum, quia in sententia cartesiana nulla alia associatio concipi potest, nisi subiectivae cuiusdam formae cum alia subiectiva, ex qua nequit emergere nisi aliquid et ipsum subiectivum, quod propterea famosum *pontem* expostulabit, quo ad corpus externum fiat transitus. Non tertium denique. Nam experimur utique nos in sentiendo passivos esse, ac propterea causa extra nos posita opus esse, a qua pendent istae affectiones; ceterum utrum haec causa sit una vel multiplex, univoca vel aequivoca, corpus vel spiritus haec aliaque his gemina problemata remanebunt usque insoluta, si praedictae affectiones sint mere subiectivae, praesertim si ex mente huius philosophiae tota haec causalitas ad purum quemdam localem motum reducatur, et sensatio in sola anima collocetur ».

(3) Confer etiam quae ibid. exposuimus contra idealistas in th. II et IV, ac praesertim n. 18 et 19.

Prob. Maior. — *Primo* ex ipsis adversariis, qui hanc obrationem denegant cognoscibilitatem et existentiam obiectorum externorum et ideo in purum incidunt idealismum. *Secundo* ex eo quod nullum aliud suppetit medium ad ea cognoscenda. Hoc aliud enim esse non posset, nisi intellectus, qui mediante principio causalitatis, ratiocinando apprehenderet obiectum, uti causam illius affectionis seu immutationis sensuum. Atqui tunc cognitio esset tantum in intellectu non autem in sensu, ideoque sensatio non esset cognitio. Et praeterea ipse intellectus nequit ullum ratiocinium instaurare, nisi prius certus sit dari aliquod obiectum reale, a quo determinatur sua cognitio. Atqui hoc intellectus apprehendere non valet nisi per cognitionem sensuum. Ergo si isti non percipiunt obiectum ipsum, a quo afficiuntur, neque intellectus potest ullum obiectum cognoscere.

Si sensus non perciperet obiectum a quo afficitur, deberet percipere aut solam sui affectionem, aut simplex quoddam phaenomenon. Atqui neutrum percipi potest, nisi ipsum obiectum percipiatur. Ergo. — Maior agnoscitur ab ipsis adversariis. — *Pr. m.* — Affectio nil aliud est nisi ipsa actio obiecti recepta in sensu. Atqui actio obiecti non est aliquid separatum ab obiecto, sed aliquid intrinsece inhaerens ipsi obiecto agenti seu est ipsum obiectum agens et afficiens sensum. Ergo percipere affectionem est percipere obiectum agens et afficiens. Ita e. g. percipere alapam idem est ac percipere manum percutientem; percipere calorem, est percipere corpus calefaciens... et ita porro. — Pariter nequit percipi phaenomenon, nisi percipiatur *aliquid* apparens; quia phaenomenon in se non existit, sed semper habetur *subiectum* aliquod *apparens*, quicquid in se sit, sive tantum aër vel aether in motu positus, vel aliquod determinatum obiectum. Ergo falsum omnino est, quod ait Kant, nos percipere tantum phaenomenon, sed semper percipitur *obiectum* aliquod *apparens*, quamvis ignoretur propria et intrinseca eius natura (1).

(1) « Ce qui a conduit Berkeley, scite ait Saisset, et beaucoup d'autres esprits à l'idéalisme, c'est de se figurer que les données des sens se réduisent à une série de modifications de l'âme, modifications toutes spirituelles, toutes subje-

Prob. III p. — *Obiectum sensuum est singulare et concretum.* — Hoc obiectum est illud, quod percipitur ut immutativum sui, nam sentire accidit in ipso moveri vel immutari ab exteriori sensibili. Atqui obiectum quod potest immutare sensus est necessario aliquid singulare et concretum, uti ex communi experientia evidenter liquet, et clarius patebit ex iis, quae explananda sunt. Ergo — Ratio autem huius veritatis deinceps patebit. Modo vero sufficit advertere cum S. Th. « quod sensus et imaginatio sunt vires organis affixae corporalibus: et ideo similitudines rerum recipiuntur in eis materialiter, id est cum materialibus conditionibus, quamvis absque materia, *ratione cuius singularia cognoscunt* » (1).

Coroll. — *Ergo sensatio est cognitio pure experimentalis* Perceptio experimentalis ea est, qua apprehendimus obiectum quoddam praesens afficiens nos, vel ipsam affectionem ab eo receptam. Est tantum experimentalis, cum excludit apprehensionem abstractam tum naturae rei apprehensae, tum ipsius facti. Atqui apprehensio sensibilis externa est huiusmodi; nullus enim conceptus universalis in sensatione reperitur, sed sola notio obiecti concreti. Sentiens enim extenso modo sentit, quod adaequatur ei quod sentit: ideoque sensatio ipsa virtualiter extensa est, et adaequatur obiecto extenso; atqui perceptio, quae secundum suum modum adaequatur obiecto extenso, a quo afficitur, nequit esse nisi perceptio illius determinatae rei, a qua afficitur: haec porro est perceptio concreta, non abstracta: ergo.

178. **Dices** I. — Cognitio proprie importat aliquod iudicium Atqui in sensatione nullum reperitur iudicium. Ergo. — *R. D. M.:...* iudicium, quo cognoscens iudicat rem ita esse in se sicut est forma de re apprehensa, *c.;* iudicium quod fit per actum componentem et dividentem, *n.* — *Contrad.. m.* — Haec videtur praecipua ratio cur Rosminius denegat cognitionem sensibus; et revera si quis recte non explicat, qua ratione inveniatur iudicium in sensibus, frustra laborat; cum certum sit de ratione

ctives; erreur grave, qui vient elle-même de cette erreur capitale de la philosophie cartésienne, qui consiste à se représenter le *moi* comme un pur esprit, vivant d'une vie tout interne, enfermé en soi dans une solitude profonde, sans lien naturel avec le corps et avec la nature. Descartes a transmis cette erreur à Leibnitz,... elle est passée dans la nouvelle philosophie allemand. On a posé un *moi* abstrait, un sujet pur, un être isolé, et puis on s'est consumé en raisonnements subtils pour retrouver le monde réel, qu'on avait supprimé, et pour y replacer le *moi* au milieu de tous les êtres de la nature; efforts superflus, jeux de l'abstraction ». *Dict. des sciences phil.*, V. *Sens.*

(1) *De Ver.*, q. II, a. 5 ad 2m.

cognitionis esse aliquod iudicium, ut iam in logica, n. 113, ostendimus. Quo pacto in sensibus inveniatur iudicium, ita explicat Suarez (1) : « in simplici apprehensione esse aliquale iudicium, licet imperfectum, et secundum illud esse in eo actu veritatem cognitionis. Et idem est dicendum proportione servata de cognitione sensus; quando enim ovis concipit lupum et fugit, quamvis simplicem tantum actum habeat, tamen vere cognoscit illum ut inimicum, et ita iudicat, quamvis imperfecto modo, et visus, dum cognoscit hoc album, aliquo etiam modo iudicat, hoc esse album ».

II. — *Instas* : Ad habendum iudicium requiritur reflexio. Atqui in sensibus nulla adest reflexio. Ergo. — *R. D. M.;* ad habendum iudicium quod fit per actum componentem et dividentem, *c.;* ad habendum omne simplex iudicium, *n.* — *Contrad. m.*; nulla adest perfecta reflexio, quae esset in actu signato, *c.;* neque adest reflexio illa imperfecta, seu in actu exercito, quae sufficit ad simplex iudicium, *n.* — Ad rem S. Th. (2). « Veritas est in sensu sicut consequens actum eius; dum scilicet *iudicium sensus est de re secundum quod est*; sed tamen non est in sensu sicut cognita a sensu; si enim *sensus vere iudicat de rebus*, non tamen cognoscit veritatem, qua vere iudicat : quamvis enim sensus cognoscat se sentire, non tamen cognoscit naturam suam... ». Et paulo post « Sensus redire (i. e. reflectere) quidem incipit ad essentiam suam, quia *non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire;* non tamen completur eius reditio (i. e. reflexio); quia sensus non cognoscit essentiam suam ».

III. — Si sensus vere cognosceret, esset potentia activa; atqui est tantum passiva. Ergo. — *R. D. M.;*... esset activa relate ad ipsam cognitionem, *c.;* relate ad obiectum, *n.* — *Contrad. m.* Recole verba S. Thomae nuper allata, quibus patet sensum esse vere activum relate ad cognitionem.

IV. — Si in sensibus esset cognitio, admittendus esset sensus agens. Atqui non datur. Ergo. — *R. D. M.;*... si obiectum esset tantum in potentia sensibile, *c.;* si est actu sensibile, *n.* — *C. m.* — Eatenus admittendus esset sensus agens, quatenus deberet reddere obiectum actu cognoscibile. Sed quoniam ipsum est aliquid singulare concretum, iam invenitur in rebus actu cognoscibile. Ad rem S. Th. « Sensibilia inveniuntur actu extra animam; et ideo non oportuit ponere sensum agentem » (3).

V. — Cognitio haberi nequit sine specie expressa. Atqui ipsa in sensibus non datur. Ergo nec habetur cognitio. — *R. D. M.;* sine specie *terminativa*, c.; repraesentativa ac distincta ab actu cognitionis, *transeat* (de ea sermo erit in quaestione de intelle-

(1) *Metaph.*, D. VII, s. 4.
(2) *De Verit.*, q. 1, a. IX.
(3) S. *Th.*, p. I, q. 79, a. 3, c. 1.

ctu). *Contrad. m....* Cfr. quae innuimus supra n. 165. Praeterea accipe hoc aliud testimonium S. Thomae: « In parte sensitiva invenitur duplex operatio. Una secundum solam immutationem; et sic perficitur operatio sensus, per hoc quod immutatur a sensibili. Alia operatio est formatio, secundum quod vis imaginativa format sibi aliquod idolum rei absentis vel numquam visae » (1). Nimirum prima *operatio secundum solam immutationem*, est vera cognitio, nam secus non esset operatio sed tantum passio, et ea est, in qua datur tantum species terminativa, seu actus cognoscitivus, qui proinde evadit terminus cognitionis phantasiae, inde exoritur phantasma vel imaginatio, repraesentativa illius rei, cognitae per sensus externos. Ex quo sequitur quod sensus externi nequeunt cognoscere nisi tantum obiectum externum, phantasia vero etiam obiectum absens.

Aliae difficultates, vel iam in logica, n. 114 solutae sunt, vel inferius solventur, quum sermo erit de obiecto sensuum.

In tuto posita fundamentali veritate de vita sensitiva, inquirendum venit, quomodo in ea habeatur cognitio, ac proinde quomodo determinetur ab obiecto suo, ut exposuimus in th. XXVII.

Thesis XXXIII.

Ad habendam sensationem necessario praerequiritur actio obiecti tum physica in organum, tum psychica in facultatem cum organo coniunctam.

179. **Praenotiones historicae.** — Quoniam vidimus omnem cognitionem expostulare coniunctionem cognoscentis cum cognito, et cognoscens creatum indigere actione obiecti in facultatem, qua haec determinetur ad cognoscendum, fluido sequitur sensationem praerequirere actionem obiecti in facultatem sensitivam. At quoniam diximus, eam alligatam esse organo corporeo, quidam, praesertim inter modernos physiologos, existimant sufficere actionem physicam in organo productam. Nam, ipsi aiunt, nervis singulorum organorum inest specialis dispositio, qua valeant determinatos quosdam motus forinsecus advenientes in se suscipere ac simul motus eis respondentes in se excitare. Ipsi autem provocare solent ad notam illam physicorum experientiam circa undulationem vel vibrationem corporum, quam constat ab uno corpore vibrante vel undulante transire in ea corpora, quae in eodem vibrationis vel undulationis genere reperiuntur. Hinc inferunt sensationem expleri per solam nervorum excitationem et reactionem, huic sententiae omnes materialistae adstipulantur. At postquam vidimus omnem cognitio-

(1) Qdlb. 5, q. 85, a. 2, ad 3: — cfr. etiam Qdl. 5, a. 9 ad 2

nem necessario requirere principium a materia distinctum, iam ruit ipsum fundamentum huius sententiae. Imo nonnulli etiam physiologi aperte fatentur, fieri non posse ut massa nervea excitetur ad peragendos motus similes iis, qui in aethere ab obiectis promoventur (1). Ceterum ex iis, quae exponenda erunt, novum prodierit argumentum contra huiusmodi opinionem.

Quare longe communior sententia est praeter immutationem physicam externam etiam requiri internam, quam *physiologicam* vocant, diversimode afficientem internos nervos organorum ad cerebrum usque iuxta diversas corporum qualitates. Iamvero haec quoque immutatio ad ordinem physicum pertinet, unde moderni physiologi magnam navant operam ad investigandos diversos processus, quibus qualitates mechanicae, chimicae, thermicae, electricae suas absolvunt immutationes in nervis organorum (2).

Sed praeter hanc utramque physicam immutationem scholastici communissime agnoscunt aliam in ipsa facultate, quam proinde *spiritualem* appellabant, vel *psychicam* iuxta recentiores, quam superius *speciem* impressam nuncupavimus. Ad rem S. Th. « Est autem duplex immutatio, una naturalis et alia spiritualis. Naturalis quidem secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum esse naturale; sicut calor in calefacto : spiritualis autem, secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum esse spirituale, ut forma coloris in pupilla quae non fit per hoc colorata. Ad operationem autem sensus requiritur immutatio spiritualis, per quam intentio formae sensibilis fiat in organo sensus; alioquin, si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum, omnia corpora naturalia sentirent, dum alterantur » (3). Quare ex immutatione naturali, quae fit per actionem physicam, habetur in organo impressio physica, ex immutatione spirituali exurgit in facultate *species impressa*.

Causa autem, quae utramque producit, est ipsa actio physica obiecti, quae afficit tum organum tum facultatem cum ipso coniunctam, et proinde utrumque immutat. Antiquiores, existimantes in visu nullam haberi actionem physicam, adstruere cogebantur novam entitatem, a physica impressione distinctam, quae facultatem actuaret, quaeque proinde propter analogiam ad alios quoque extendebatur sensus.

Nostra autem aetate omnes in confesso habent, etiam in visu haberi physicam immutationem. Ac proinde, ea mediante im-

(1) Cfr. e. g. Guil. Kühne, *Chemische Vorgänge in der Netzhaut;* apud Hermann, *Handbuch der Phisiologie* III, 235, 299.

(2) Hoc studium ad eos pertinet, qui psychologiae empiricae dant operam, et ideo merito a nobis transmittuntur ea omnia quae hac de re explorata sunt. Cfr. si placet, Wundt, *Menschen und Thierseele* (2. ed.) p. 286..., et 302: et Gutberlet, *Psychologie* (2. éd.) p. 41...

(3) I p., q. 78, a. 3.

mutatur seu determinatur facultas ipsa cognoscitiva in se. Si quaeritur autem, quomodo obiectum materiale hanc immutationem peragere valeat, inferius patebit.

180. **Prob. I p.** — Sensatio, quum sit vera cognitio, necessario praerequirit coniunctionem obiecti cum facultate, quae peragi debet per actionem ipsius in eam. Atqui obiectum nequit agere in facultatem sensitivam organo alligatam, nisi prius actio physica in organo ipso habeatur. Ergo — *Pr. m.* — Obiectum sensuum est aliquid corporeum. Atqui omne corporeum nequit agere in aliud nisi per physicum contactum, ut omnes physici unanimiter fatentur. Ergo.

Confirmatur ex experientia, qua in sensibili cognitione patet, non modo affici physice organum, sed quandoque etiam alterari vel corrumpi ex excellentia obiecti sensibilis. Atqui haec alteratio haberi non posset sine physica actione in organo. Ergo.

Prob. II p. — Cognitio sensitiva proprie procedit a principio formali, quod actuat organum ut eius propria facultas, quae ita constituit cum ipso integrum principium cognitionis, ut ab eo tantum intrinsece sustentetur in esse et operari. Atqui actio mere physica ac physiologica est tantum in organo. Ergo haec actio exercenda est etiam in ipsam facultatem, et psychica vocatur, ut ipsam intrinsece afficiat ac determinet ad cognitionem illius obiecti. Ad rem S. Th. : « Etsi id, quod est separatum, est principium motivum ad operandum, nihilominus oportet esse aliquod intrinsecum, quo formaliter operetur, sive illud sit forma sive qualiscumque impressio » (1).

Nimirum, ut idem alio modo suadeatur, ad habendam cognitionem coniunctio obiecti facienda est cum ipso principio cognitionis, ut ex cognoscente et cognito simul coniuncto gignatur cognitio. Atqui principium cognitionis est ipsa facultas, organo alligata, non autem organum. Ergo actio obiecti ipsam facultatem afficere debet, ut ipsam intrinsece determinet ad actum cognitionis huius obiecti.

181. **Dices** I. — Quandoque sensus aliquid percipiunt, quin adsit obiectum nec proinde actio eius in facultatem organicam.

(1) Quaest. disp., *De Animâ*, a. 5.

Ergo ista actio non requiritur. — *R. D. A.;*... quin adsit obiectum distinctum a sentiente, et eius actio extrinseca, *c.;* quin adsit aliqua causa in ipso sentiente, quae aliquo modo eius organum immutet, *n.* — Et sane hoc in casu in ipso organismo viventis semper adest aliquid quod agit in organum et ipsum aliqua ratione immutat, sicut quando sentimus dolorem in tactu, sonum in aure... et alia huiusmodi.

Instas. II. — Si ita est, quando habemus aliquam sensationem, possumus semper dubitare, utrum adsit obiectum externum quod eam causat, vel non. Atqui tunc incidimus in scepticismum. Ergo. — *R. D. M.;* possumus dubitare de existentia alicuius obiecti, quod sensationem gignit, *n.;* de determinatione ipsius obiecti, utrum nempe sit externum vel internum, *subd.;* semper, *n.;* quandoque, *it. d.;* ita ut adhibitis aliis sensibus possimus faciliter hoc dubium amovere, *c.;* ita ut hoc non possimus obtinere, *n.* Uti monuimus in logica thesi XXIV, infallibilitas sensuum primo in eo est, quod ipsi semper ac aliquam sensationem referunt, infallibiliter nobis testantur existentiam alicuius obiecti a quo afficiuntur. Sed ad hoc, ut possit determinari obiectum ipsum et locus in quo reperitur, quandoque requiruntur plures sensus vel forte etiam intellectus, et tunc, ut ipsa experientia docet, infallibiliter possumus utrumque determinare.

III. — Antiquiores scholastici putabant in visu non haberi aliquam immutationem naturalem organi. Atqui tunc nulla adest actio physica corporis. Ergo. — *R. D. M.;* et hoc putabant, quia non poterant experiri modum, quo corpus ageret in visum, *c.;* quia poterant directe ostendere non requiri illam immutationem, *n.* — *C. m.* Sed cum nunc exploratum sit, etiam in actu visionis haberi per motum contactum physicum obiectum inter et oculum, eorum argumentum concidit.

IV. — Actio physica est materialis. Atqui actio materialis nequit attingere facultatem immaterialem. Ergo. — *R. D. M.;*... si active spectatur, *c.;* si passive consideratur *subd.;* si recipitur in sola materia, *c.;* si recipitur in materia actuata a forma immateriali, *n.* — *D. m.;*... nequit attingere facultatem immaterialem et independentem a materia, *c.;* et dependentem a materia, *n.* — Et primo adverte cum P. Pesch, quod « videtur probata eorum opinatio, qui dicunt immutationes naturales, quae sint in ipso *organo* (physiologicas vocant) esse etiam psychicas vel spirituales... quatenus existentes intra facultatem cognoscitivam, ex naturae intentione destinatae et coaptatae sint, et sint instrumentum, quo res externa ad efficiendam in organo cognitionem cooperetur... (1)». Praeterea actioni semper respondet passio, quae est ipsa actio recepta in aliquo subiecto. Sed *quicquid recipitur per modum recipientis recipitur.* Quare si subiectum est pure materiale, in eo habetur sola impressio physica seu mate-

(1) *Psych.*, p. I, l. II, n. 507.

rialis; sin vero est actuatum aliquo principio formali, quod capax est recipiendi aliquam actuationem modo suo immateriali, tunc illa eadem actio recipitur etiam immateriali modo in principio formali. Sed haec actuatio immaterialis est semper dependens a materia.

V. Si actio physica sufficeret, semper ac ipsa haberetur, sequeretur actuatio facultatis sensitivae, ac proinde sensatio. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens. — *R. D. M.;* si adest subiectum dispositum ad illam recipiendam, seu facultas sensitiva non aliunde impedita, *c.;* si ipsum non adest, *n.* — *Contrad. m....* Distinctio per se patet: adverte tamen, quod illa coniunctio obiecti cum facultate cognoscitiva nondum constituit sensationem, sed est tantum aliquid praerequisitum, uti mox videbimus. Imo addimus, quod neque semper ac habetur huiusmodi coniunctio, sequitur sensatio, uti deinceps patebit.

Thesis XXXIV.

Sensatio non est simplex receptio actionis obiecti, nec mera mutatio mechanica, physica vel chimica nervorum, sed est actus vitalis cognoscentis, quo ipse intentionaliter repraesentat obiectum a quo afficitur,

182. **Status quaestionis.** — In hac thesi exponitur formalis ratio cognitionis sensitivae, et militat contra materialistarum et Kantii doctrinam, qui, uti vidimus in cosmol. n. 312, simul permiscens sensum cum intellectu, putat, sensationem nihil aliud esse nisi puram receptionem impressionum (die Receptivität der Eindrücke), et ad complendam cognitionem requiri unionem facultatis sensitivae cum intellectiva.

Iamvero indubium est, recepta actione obiecti in organo, in eo gigni immutationem quandam tum mechanicam tum physicam, ut accidit in visu, auditu et tactu, aut etiam chimicam, ut in gustu, et olfactu. Quare ii, qui autumant, corpora omnia etiam viventia nil aliud esse nisi atomorum aggregationes, omnes operationes et etiam sensationem reducunt ad meram immutationem atomorum, quae ob diversos qui consequuntur effectus, vocatur vel mechanica vel physica vel chimica.

Sed praeter illam immutationem agnoscenda est in sensibus eorum propria operatio, quae est ipsa cognitio.

Praenotiones historicae. — Inter antiquiores praecipui huius commenti patroni numerantur Democritus, Epicurus, Lucretius Carus. Inter recentiores eandem opinionem e cineribus evocavit primo Hobbes (m. 1679), merito appellatus *pater moderni materialismi*, qui sensationem comminiscitur fieri inquantum «corpus sive obiectum, quod premit uniuscuiusque organum proprium, efficit motum introrsum ad cerebrum et inde ad cor,

unde nascitur cordis resistentia (1) ». In idem postea concesserunt Hofbach, La Mettrie, Feuerbach, Molescott, Vogt, Büchner, aliique materialistae. Quidam vero hanc sententiam conati sunt emollire, asserentes motum cerebri, ab obiecto productum, esse tantum motum mechanicum, si spectatur secundum physicam realitatem, esse vero sensationem, si inspicitur, prout gignit cognitionem. Ita sentiunt Fechner (2), Taine (3), Spencer (4). Haud aliter loquuntur ceteri qui sensationem semper reponunt in una cerebri immutatione sive etiam physica, sive quodammodo chimica, e. g. Hoeffding, Bain, Huxley... etc.

Huic materialistarum commento e diametro opponitur communissima Scholasticorum sententia, quae tuetur sensationem esse operationem vere vitalem, penitus distinctam ab actione mechanica vel physica obiecti, eaque plane perfectiorem; hanc modo post ea quae iam exposuimus, facilius vindicare valemus.

183. **Prob. I p.** — Sensatio dicit perfectionem, quae nonnisi viventibus perfectioribus convenit: nempe animalibus et homini; quae proinde est proprietas principii formalis perfectioris et ordinis superioris ipsis viventibus, quae sola gaudent vita vegetativa. Atqui absonum est dicere, quod huiusmodi perfectio sit simplex receptio actionis obiecti. Ergo. — *Pr. m.* — Receptio est aliquid mere passivum, et non dicit nisi imperfectionem et capacitatem recipiendi aliquam perfectionem, perfectio vero aliquam semper activitatem praesefert. Atqui principium activitatis non dicit solam receptionem sed potius productionem alicuius actus. Ergo.

Imo nulla perfectio a nobis cognoscitur, nisi ea deducatur ex activitate quam res exercent. Et illa entia vocamus perfectiora, quae maiorem exhibent activitatem. Atqui entia sensitiva dicuntur perfectiora iis, quae non sentiunt, unice ob perfectionem sensationis. Ergo sensatio veram importat activitatem, et non est simplex passio.

(1) *Leviath.* l. c. 1.

(2) *Elem. der Phychophysik*, 1888, I, 2, ubi conatur etiam rem exemplis explicare e. g. curvitas circuli inspecta ex una parte apparet convexa, ex altera vero concava.

(3) *De l'intelligence*, 1906, I, 329, ubi inter alia ait: « L'événement cérébral et l'événement mental ne sont au fond qu'un seul et même événement à deux faces, l'une mentale, l'autre physique, l'une accessible à la conscience, l'autre accessible aux senses ».

(4) *Princ. of Psych.*, I, § 32, ubi ait « Mind (i. e. conscious-states) and nervous action are subiective and faces of the same thing ».

Confirmatur cum S. Th., qui ait (1): « sensum affici est ipsum eius sentire. Unde per hoc quod sensus ita *nuntiant*, sicut *afficiuntur*, sequitur quod non decipiamur in iudicio, quo iudicamus nos sentire aliquid ». Ergo S. Th. distinguit inter sensus prout *nuntiant*, et prout *afficiuntur*, i. e. sicut sensus afficiuntur seu determinantur ab obiecto, ita agunt seu nuntiant illud idem a quo afficiuntur, et ideo eorum actus cognoscitivus non potest ducere in errorem. Imo alibi clarius adhuc suam aperit mentem: « Ipsa visio, ait, secundum rei veritatem non est passio corporalis, sed principalis eius causa est virtus animae (2) ». « Sensus exteriores suscipiunt tantum a rebus per modum patiendi, sine hoc quod aliquid cooperentur ad sui formationem: quamvis iam formati habeant propriam operationem, quae est iudicium de propriis obiectis (3) ». « Sentire est quaedam operatio sentientis, non procedens in effectum aliquem circa sensibile; sed magis secundum quod species sensibilis in ipso est: unde sentire quantum ad ipsam receptionem speciei sensibilis nominat passionem; sed quantum ad actum, consequentem ipsum sensum perfectum per speciem, nominat operationem, quae dicitur motus sensus (4) ».

Prob. II p. — Sensatio est vera cognitio, ut ostendimus (n. 177). Atqui absonum est dicere, cognitionem esse meram mutationem mechanicam, vel physicam, aut chimicam. Ergo. — *Pr. m.* — Nam *a*) huiusmodi mutatio est aliquid mere passivum in cognoscente, dum sensatio importat veram eius activitatem: *b*) saepe habetur haec mutatio, quin sequatur sensatio, ut accidit in iis qui dormiunt, extasi rapiuntur, vel sunt usu sensuum destituti: *c*) sensatio ab omnibus habetur uti perfectio superior quam ipsa vita vegetativa; atqui ista non est mera mutatio materialis: *d*) tandem sensatio saepe refert oppositas qualitates; atqui repugnat immutatio materialis quae sit simul ad opposita. Ergo.

Nec iuvat instare cum Fechner, sensationem esse alium aspectum huius mutationis. Nam si repugnat huiusmodi im-

(1) I p., q. 17, a. 2, ad 2.
(2) *De Ente et Essentia*, l. 1, c. 7.
(3) Qdl. VII, q. 2, a. 3.
(4) I. S., D. 10, q. I, a. 1.

mutatio ad opposita, et sensatio praecise refert opposita, ipsa nullo modo reduci potest ad solam immutationem materialem, sive spectetur sub uno aspectu sive sub altero.

Praeterea iuxta ipsos adversarios omnis haec immutatio materialis tandem reducitur ad purum motum fibrillarum organorum et ad mechanicam cerebri reactionem. Atqui impossibile est, reducere sensationem ad huiusmodi motum; cum nulla activitas reduci possit ad purum motum, ut ostendimus in Cosm. th. III, et sensatio est perfectior omnium activitatum corporearum. Ergo.

Insuper motus, si contrarii sunt, eliduntur, inque eodem subiecto consistere nequaquam possunt. Atqui id nullo pacto convenit sensationi; in qua idem subiectum sentiens dolore simul et voluptate afficitur, calore et frigore fatigatur, aspera et laevia contrectat, aliasque sine fine oppositas affectiones experitur. Sensatio igitur in motu fibrillarum aliarumque corporis partium, sine pugna conceptuum, reponi nequit. Adversarii exinde forte erraverunt, quod semper aliqua organi aut fibrillarum motio sensationem comitetur. At aliud est duo simul copulari, aliud simul confundi: nec, nisi crassae minervae, est unum pro alio habere (1).

Prob. III p. — Sensatio est vera cognitio, qua sentiens percipit obiectum sibi praesens a quo afficitur, et ideo est actio, quae consequitur hanc affectionem, a qua plane distinguitur. Atqui huiusmodi actio est actus vitalis ipsius cognoscentis, quo ipse intentionaliter repraesentat obiectum a quo afficitur, uti explicavimus (Th. XXVI). Ergo.

184. **Dices:** I. Omnis sensatio semper importat immutationem physicam. Atqui immutatio physica non est actus vitalis intentionalis. Ergo. — *R. D. M.;* solam immutationem physicam, *n.;* etiam ipsam, *subd.;* uti praerequisitam ad actum sensationis, *c.;* uti constituentem ipsam cognitionem, *n.* — *C. m.* — Et ratio distinctionis iam explicata est.

II. Actus intentionalis est immaterialis. Atqui actus sensationis est materialis. Ergo. — *R. D. M.;* quodammodo im-

(1) Hoc affirmat ipse idem Taine, *De l'intelligence*, t. I, l. IV. « On aurait beau connaître exactement la nature du mouvement cérébral, qui est la condition de telle ou telle sensation, il est impossible de réduire la sensation au mouvement; et l'analyse au lieu de combler l'abîme, qui les sépare, ne fait que l'élargir à l'infini ».

materialis, *c.*; prorsus immaterialis i. e. etiam spiritualis, *subd.*; semper ac necessario, *n.*; *tantum* quando producitur a principio spirituali, *c.* — *Contrad. m.*; non est prorsus immaterialis, *c.*; nec quodammodo immaterialis, *n.* — Nimirum tunc actus aliquis est prorsus immaterialis, quando procedit a principio formali, quod non pendet intrinsece a materia, et tunc vocatur etiam spiritualis. Si vero hoc principium formale ad suum actum ponendum indiget intrinseco concursu materiae, hic actus non dicitur prorsus immaterialis sed potius secundum quid. Porro actus sensationis perficitur praecise hoc modo, quem nunc explicandum accedimus, determinando ipsum principium sive remotum sive proximum, a quo procedit sensatio.

Thesis XXXV.

Sensatio non est actus solius animae sed compositi, et ideo potentiae sensitivae sunt in composito tamquam in subiecto, seu agunt cum intrinseca dependentia a materia.

185. **Status quaestionis.** — Duplex distingui debet operationis principium, remotum nempe ac proximum. Remotum est ipsum principium substantiale formale, quo ens existit et est capax operandi: proximum vero est ipsa potentia operativa. Quum igitur operatio procedit a principio formali ita ut nullam praeseferat dependentiam a materia, imo potius eam necessario excludat, tunc eruitur, ipsam procedere a *solo* principio formali et a potentia, quae subiectatur *tantum* in illo principio. Si vero aliquam praesefert dependentiam, dicendum est, eam procedere a composito, ac proinde potentiam, quae est principium proximum, subiectari in composito. Quocirca ad thesim nostram evincendam, sufficit ostendere sensationem praeseferre intrinsecam dependentiam a materia.

Adversarii. — Huic thesi adversatur praesertim Cartesius, qui animam sensitivam reduxit ad punctum, in quo sensatio exercetur, et quoniam ipsum est inextensum, sensatio nequit esse actus etiam corporis, quod est extensum. Item Balmes, Leibnitz, Wolff et alii, advertentes sensationem esse immaterialem, a sola anima eam repetunt, quam dicunt esse *repraesentationem compositi in simplici*. Ii pariter omnes, qui systemati hylomorphismi adversantur, hic quoque a nostra sententia aberrare coguntur. Quum enim iuxta eos anima non coniungatur corpori in unam substantiam uti forma cum materia, nequit affirmari

sensatio ut actus compositi, sed dicitur esse actus solius animae ut causae efficientis et corporis uti recipientis. Quare impressiones, ab obiectis in organa productae, putantur solum physice seu materialiter in eis recipi, et esse tantum conditiones materiales requisitas,ut anima, quae ibi adest, excitetur ad sentiendum.

Inter antiquiores iam idem docuit Plato, utpote qui animam nonnisi ut motorem corpori coniungi putaverit, quem errorem praeclare Augustinus (1) refutavit. Idem senserunt Neoplatonici, et inter Aristotelicos Henricus Gandavensis et Gregorius Ariminensis. Inter recentiores praesertim. P. Palmieri eandem sententiam in sua philosophia proposuerat, sed eam retractavit in opere ultimo ab eo edito in Tractatu de Creatione (Prati, 1910, p. 277).

Alii e converso nullam agnoscentes animam sensitivam, a sola materia sensationem procedere autumant, sed isti iam refutati manent ex iis, quae superius exposuimus. — *Patroni* vero nostrae sententiae post Aristotelem et Patres plurimi adnumerantur, ita ut fere communis inter scholasticos ea iamdiu evaserit.

186. **Prob. I p.** — Illa operatio non est solius animae sed compositi, quae ostendit intrinsecam dependentiam a materia. Atqui sensatio hanc dependentiam praesefert. Ergo. — *Pr. m.* — Experientia constat: *a*) obiectum sensuum esse aliquid singulare et concretum, quod nequit afficere potentiam sensitivam nisi per physicam impressionem in organum; — *b*) est semper aliquid praesens, ac materiale, nunquam vero intrinseca rei natura abstracta universalis: — *c*) facultas sensitiva debilitatur ex nimia excellentia obiecti, et quandoque etiam corrumpitur ob corruptionem organi sensorii: — *d*) omnia percipit semper sub ratione alicuius extensi. Atqui haec omnia manifeste ostendunt facultates sensitivas esse intrinsece a materia dependentes, uti patet discurrenti per singula. Ergo concludimus cum eodem S. Th. (2) « manifestum est quod nulla operatio partis sensitivae potest esse animae tantum ut operetur; sed est compositi per animam, sicut calefactio est calidi per calorem ».

Prob. II p. — Quae non est nisi conclusio prioris: quare sufficit afferre hoc argumentum S. Th. (3). « Illud

(1) In Epist. 103 ad *Volusianum*.
(2) *De Anima*, q. unica, a. 19
(3) I p., q. 77, a. 5.

est subiectum operativae potentiae, quod est potens operari: omne enim accidens denominat proprium subiectum. Idem autem est quod potest operari et quod operatur. Unde oportet quod eius sit potentia, sicut subiecti, cuius est operatio. Manifestum est autem quod... quaedam operationes sunt animae, quae exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem; et simile est de omnibus aliis operationibus... sensitivae partis. Et ideo potentiae, quae sunt talium operationum principia, sunt in coniuncto sicut in subiecto, et non in anima sola ».

187. **Obiicies.** I. Sensatio requirit principium immateriale. Atqui istud nequit esse aliquid compositum. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. principium *distinctum* a materia, *c.;* prorsus *independens* a materia, *n.* — *Contrad. m.;*... quod est independens a materia, *c.;* quod est tantum a materia distinctum, *subd.;* ipsum in se non est aliquid compositum, *c.;* nequit componere cum materia ad constituendum integrum principium *quod* operationis, *n.* — Forma immaterialis idem est ac forma, quae non est materia, seu ab ea distinguitur. At ipsa dupliciter dispescitur; aut est prorsus independens a materia in essendo et in operando, et tunc dicitur etiam *spiritualis*, vel simpliciter immaterialis; vel dependet a materia, et tunc appellatur aut immaterialis *non subsistens*, aut etiam *materialis ac simplex*. Porro principium, quod requiritur ad sensationem est immateriale hoc altero sensu. Ideo S. Th. ait: « manifestum est ergo quod potentiae partis sensitivae sunt in composito sicut in subiecto: sed sunt ab anima sicut a principio. Destructo igitur corpore, destruuntur potentiae sensitivae sed remanent in anima sicut in principio » (i. e. si sermo est de anima humana).

II. Potentia sensitiva recipit formas rerum modo immateriali. Atqui ista nequit dependere a materia. Ergo. — *R. D. M.;*... et independenter ab omni immutatione physica in organo producta, *n.;* dependenter ab ista, *subd.;* ita ut illa forma immaterialis in facultate recepta sit semper aliquid concretum ac singulare et repraesentans aliquid ab extensione dependens, *c.;* sit aliquid universale et a materia independens, *n.* — *Contrad. m.;*... si dependenter a physica immutatione, recipit formam, quae aliquid repraesentat rationem extensionis concretae exhibens, *n.;* si eas recipit independenter ab istis, *c.* — Profecto potentia sensitiva nequit dici eodem modo dependens a materia, sicut potentia calefactiva: ipsa enim minimam praesefert dependentiam a materia, praecise quia in se recipit formas modo intentionali. Attamen ista eadem forma intentionalis est semper coarctata ad aliquid singulare ac concretum, determinatam extensionem exhibens.

III. Forma intentionalis nequit recipi in aliquo extenso. Atqui si potentiae sunt in coniuncto tamquam in subiecto, essent extensae. Ergo. — *R. D. M.;* nequit recipi in subiecto formaliter extenso, *c.;* nec in subiecto virtualiter extenso, *subd.;* si primo et per se recipitur in ipsa forma *n.;* si deberet recipi in materia, *c.* — *Contrad. m.;* essent formaliter extensae, *n.;* virtualiter extensae, *c.* — Et prius recolenda sunt ea, quae alibi diximus de virtuali extensione formarum. Nunc praeterea addimus, quod si forma quaedam recipitur in ipsa materia, tunc necessario recipitur secundum esse naturale et cum materialibus conditionibus. Sin vero subiectum, in quo per se recipitur, est forma, tunc recipitur modo immateriali et intentionali, non autem secundum esse physicum. Iamvero si talis forma, intrinsece dependet a materia, ab ea coarctatur ad aliquid singulare et concretum repraesentandum, quin requiratur, ut illud recipiat secundum conditiones materiales. Ad rem S. Th.: (1) « sicut sensus prout nominat potentiam, non est forma totius corporis, sed anima sensitiva; sensus autem est proprietas compositi; ita etiam potentia visiva non est actus oculi, sed animae secundum quod est principium talis potentiae; quasi ita dicatur, quod anima visiva est actus oculi, sicut anima sensitiva est actus corporis, potentia autem visiva est proprietas consequens. Unde non oportet quod sit alius oculus resurgentis, licet alia sit potentia sensitiva ».

IV. Sensatio est actio immanens. Atqui actio immanens nequit a duabus causis ipsum vitaliter elicientibus prodire. Ergo. — *R. C. M.*, et *D. m.;* nequit procedere a duabus causis efficientibus, *c.*, nequit procedere ab una causa efficiente simul cum causa materiali quae eam in esse sustentat, *n.* Principium actionis est semper forma, sed si ista nequit existere nisi in materia, nequit etiam operari nisi in materia. Et tunc operatio procedit a forma tamquam a causa vere efficiente et a materia tamquam a causa sustentante, quae cum ea constituit unum ens et unum principium *quod* operationis. Et si ipsa est immanens, manet in utroque principio tamquam in uno composito.

188. **Coroll.** I. — *Ergo apparet ratio intrinseca, cur facultas sensitiva versetur circa obiectum singulare et concretum.* — Quod ut facilius intelligas, animum verte ad nostrum processum hac in re habitum. Primo enim statuimus factum, quod experientia evidenter docet, nempe sensus nostros non percipere nisi singulare et concretum. Ex eo inde deduximus, potentiam sensitivam intrinsece dependere a materia. Et hinc sequitur, quod haec est intrinseca ratio, cur facultas sensitiva obiectum singulare et concretum dumtaxat cognoscere possit. Et huiusmodi processus non modo non est reprobandus, sed saepe adhibendus foret in multis quaestionibus.

(1) *De Anima*, q. un., a. 19, ad. 13.

II. *Ergo potentiae sensitivae non manent actu in anima separata.* — Nam potentiae sunt propter operationem. Atqui operationes sensitivae nequeunt fieri a sola anima. Ergo potentiae non manent in sola anima. Ad rem S. Thomas (1). « Quaedam potentiae sunt in coniuncto sicut in subiecto, sicut omnes potentiae sensitivae partis et nutritivae. Destructo autem subiecto, non potest accidens remanere. Unde corrupto coniuncto, non manent huiusmodi potentiae actu, sed virtute tantum manent in anima, sicut in principio vel radice. Et sic falsum est quod quidam dicunt, huiusmodi potentias in anima remanere, etiam corpore corrupto, et multo falsius quod dicunt, etiam actus harum potentiarum remanere in anima separata; quia talium potentiarum nulla est actio nisi per organum corporeum ».

189. **Ordo rerum.** — Nunc sedes seu pars illa organica inquirenda est, in qua proprie sensatio peragitur. Quidam, renovantes antiquiorem et obsoletam quorumdam opinionem, aiunt eam perfici in cerebro, ubi est centrum systematis cerebro-spinalis; alii vero iuxta experientiam, quam homines communiter in se exercent, affirmant, eam perfici in singulis organis diversarum facultatum. Quare priores censent, organa externa necessaria quidem esse ad excipiendam ab obiectis impressionem, quam ad cerebrum deferunt, at sensationem in isto tantum perfici. Alii autem iuxta communem omnium Scholasticorum sententiam affirmant, sensationem externam in propriis facultatum organis perfici.

Interea tamen advertimus, quod haec quaestio, uti iacet, nimirum si praescinditur a falsis praeiudiciis, quibus laborant adversarii, non est tanti momenti, et posset utrovis modo solvi, quin aliquid immutandum esset in toto systemate. Praestat vero eam dirimere, ut veritas in ea eluceat, ac pateat falsitas principii adversariorum, sive *philosophici* sive *physiologici*. — Scilicet Cartesius primo docuit, quod ad explicandam cognitionem sensitivam requiritur principium aliquod simplex, quod putabat esse ad modum puncti, in cerebro residens, hinc inferebat, sensationem nonnisi in cerebro fieri posse. Physiologi deinde, quum advertissent non posse haberi sensationem, si sensus non communicant per nervos cum cerebro, iterum deduxere, in ipso sensationem fieri, et organa sensuum inservire tantummodo ad

(1) I p., q. 77, a. 8.

recipiendam extrinsecam impressionem, quam cerebro transmitterent. Sed revera prima ratio est prorsus falsa, altera vero nihil evincere videtur. Quare dicimus:

Thesis XXXVI.

Quamvis sensatio haberi nequeat nisi sensus communicent cum cerebro, certum tamen est externas sensationes perfici in organis propriis singularum facultatum.

190. **Status quaestionis.** — Ratum habemus cum physiologis, cerebrum, ut organum centrale nervorum, necessario concurrere in omni sensatione; imo cum ibidem insit organum sensus communis, habetur etiam semper propria sensatio, quae omnes comitatur sensationes, qua cognoscimus nos sentire. Quare cerebrum est tum conditio necessaria ad sensationem singulorum sensuum externorum, tum sedes sensationis propriae sensus communis et ceterorum sensuum internorum. Et revera praeter nervos *vegetales*, qui ad vitam vegetativam inserviunt, agnoscendi sunt nervi, qui *animales* dicuntur, quia ad vitam sensitivam animalium propriam deserviunt. Eorum centrum est in cerebro ex quo per medullam lineae dorsi spinalis disseminantur per corpus, ac dispertiuntur in *sensitivos* (centripetales) et *motrices* (centrifugales); priores perveniunt ad singulos sensus externos, quos cum cerebro coniungunt, alii vero motus membrorum regunt sub directione cerebri parvi. Distinguitur enim cerebrum *magnum* et *parvum*, quod utrumque constat binis hemisphaeris substantiae albescentis mollis inclusae in alia obscuriore.

Omnes isti nervi quamvis inter se distincti, ita tamen ad invicem coniunguntur, ut priores in alios influant, atque adeo ex perceptione sensitiva statim enascuntur motus spontanei seu naturales, qui dein, si a voluntate etiam diriguntur, voluntarii ac liberi evadunt.

Praeterea ipsi, si anatomice ac morphologice inspiciuntur, conformes sunt nervis vegetalibus, a quibus distinguuntur tantum ratione diversae activitatis quam exercent, seu *functionis*, ut aiunt. Ex quo iterum liquet, hanc diversam

specificam activitatem repetendam esse ex principio formali, quod diversimode eam per hos nervos exercet. Quae sit eorum substantia, et quomodo eorum activitas exerceatur, adhuc ignoratur. Hoc unum certum est, sensationem non posse repeti ex eis tantum, neque tantum ex cerebro cum quo coniunguntur, sed *materialiter* pendere ex toto organismo nerveo, in quo nervi ex cerebro ad singula organa extenduntur, et *formaliter* ex principio vitali distincto a materia, quod virtutem suam diverso modo communicat nervis et organis, ut diversa habeatur sensatio obiectorum. Hinc facile patet sensus theseos, in qua agnoscentes necessitatem coniunctionis organorum omnium facultatum cum cerebro, asserimus, nullam tamen adesse rationem, cur sensatio dicatur fieri in cerebro, potius quam in singulis organis externis.

191. **Prob. I p.** — *Quae ab omnibus physiologis admittitur.* — Experientia constat, quod alligato vel secto nervo, qui coniungit organum cuiusque facultatis cum cerebro, nequit amplius haberi sensatio propria illius facultatis etiam externae. Atqui hoc clare ostendit necessitatem coniunctionis organorum omnium facultatum etiam externarum cum cerebro. Ergo.

Item, conscientia teste, constat quod omnem sensationem sensuum externorum semper comitatur alia sensatio, quae, ut videbimus, exercetur a sensu communi, et illas omnes inter se discernit ac simul ad unitatem subiecti sentientis redigit. Ita quisque experitur, se esse idem sentiens, qui sentit rem unam, quae sit simul dura, calida, alba, dulcis, sonora. Atqui huiusmodi sensatio sensus communis haberi non posset, nisi omnes nervi singularum facultatum cum uno centro coniungerentur. Ergo.

Prob. II p. Uti certa habenda est sententia, immixa in communi experientia, quousque non adinveniatur *solidum* argumentum, quod ostendat illam esse falsam, ac simul manifestet rationem intrinsecam deceptionis hominum, cui nempe communis experientia occurrere non poterat. Atqui experientia, quam homines in se exercent, clare ostendit quod sensatio externa perficitur in organis propriis singularum facultatum, quod vel ex eo liquet, quia omnes homi-

nes communiter ita existimant. Contra vero nullum solidum argumentum ab aliis affertur, quod oppositum suadeat, uti patebit ex solutione difficultatum. Ergo.

Praeterea conscientia teste, nos experimur esse extensi et percipere diversas sensationes in diversis corporis partibus, puta *doloris*, *oblectamenti*..., et apprime distinguere has diversas partes, in quibus huiusmodi percipimus sensationes, ita ut clare percipiamus sentire dolorem in *crure* potius quam in *brachio*, in *pectore* potius quam in *stomacho*. Imo, uti advertit Card. Mercier (1), tam vehementer impellimur ad designandum locum, in quo habemus sensationem doloris, ut si forte amputetur pars aliqua nostri corporis, nos adhuc putamus sentire dolorem in illa corporis parte iam amissa. Atqui haec omnia manifesto ostendunt, ipsas perfici non in cerebro, sed in determinatis corporis partibus, et in propriis singularum facultatum organis. Ergo.

Insuper cuique aperte constat, in sensatione certo affici ipsum externum organum sensus. Ergo si sensatio non perficitur in hoc organo sed tantum in cerebro, ipsa esset aliquid distinctum ab illa affectione, imo primo deberet referre rem quae istam producit. Ideoque, ut scite ait P. Pesch (2), « actus sensationis recta dirigeretur in affectionem in organo externo a re externa effectam, non in ipsam rem externam. Atqui experientia teste sensatio dirigitur in rem : oculo enim videmus ipsas res externas lucidas, coloratas; auribus audimus affectiones, quae non solum in organo, sed etiam in externo medio, velut aëre, existunt; manu tangimus ipsam rem duram ». Ergo sensatio in ipsis organis sensuum externorum perficitur.

Tandem confirmatur ex eo quod sententia opposita orta est ex falso Cartesii supposito, uti innuimus in n. 187, quod

(1) « Le sens intime affirme si impérieusement la participation de l'organe périphérique à l'acte sensitif; nous reportons si naturellement la sensation à l'endroit où l'excitation nerveuse périphérique s'est produite, que lorsqu'on coupe un nerf à un sujet, celui-ci attribue encore la sensation de douleur à l'extremité nerveuse où il a l'habitude de la reporter à l'état normal. Sans doute, il y a ici une erreure de localisation — nous en reparlerons ailleurs — mais cette erreur même accuse l'invincibilité du témoignage de l'expérience ». *Psychol.*, t. I, 8ª ed., p. 234.

(2) *Psychol.*, *vol. II*, n. 549.

nec physiologorum argumentis aliqua ratione communitur, uti statim patebit (1).

192. **Obiicies.** I. Ad habendam sensationem requiritur pars materiae *cinereae* (sostanza grigia). Atqui haec non habetur in nervis sed tantum in cerebro. Ergo. — *R. Transeat Maior* et *N. m.* — Revera postulatum, quod in Maiori statuitur a physiologis, indigeret maiori probatione, quum non sit nisi hypothesis, quae innititur in *mera materiali* explicatione sensationis, quae proinde posset etiam reiici. Sed etiam ea transmissa, dicimus, ipsam minorem esse falsam, fatentibus ipsis physiologis, e. g. Luys, Bouvier, Richet, Golgi aliisque, qui accuratiori examini subiicientes diversa texta nervea, quae praesertim ad sensationem inserviunt, in eis deprehenderunt illam eandem materiam, quam adversarii dicunt necessariam ad sensationem, et putabant inveniri tantum in cerebro. Ergo.

II. Ibi habetur sensatio, ubi adest cellula vitalis nervea. Atqui ista non invenitur in nervis organorum. Ergo. — *R. C. M.;* et *N. pariter m.* — Iam enim vidimus, textum nerveum, sicut et omnia alia efformari per *epigenesim* seu multiplicationem cellularum. Ergo etiam nervi sunt sicut series cellularum, quae sese excipiunt. Imo ipsae extremitates earundem, quae in organis diversorum sensuum inveniuntur, continentur cellulis ad instar membranae, cuius sensibilitas valde excedit sensibilitatem aliarum partium systematis nervei (2).

III. Si nervi sensuum externorum separantur a centro, nihil amplius sentiunt. Ergo sensatio non fit nisi in centro. — *R. Transeat Ant.* et *N. Cons.* — Nam certum non est quod in antecedenti asseritur. Imo, uti testatur Claudius Bernard, faciliter deprehendi potest, in nervo permanere adhuc qualitates specificas saltem per aliquid temporis, post abscissionem a centro (3). Dat enim adhuc signa vitae et motus, praesertim contractilitatis, quum ab extrinseco tangitur. Sed praeterea hoc argumentum, quod facile retorqueri posset, tunc aliquid evinceret, si ostenderet conjunctionem illam necessariam esse, ad hoc ut in ipso cerebro

(1) Vide apud cl. Farges, argumentum petitum ex difficultate intelligendi, quo pacto visio et auditio effici in cerebro queat. Ibid., pag. 131-149.

(2) « Il est admis, inquit Farges (*L'objectivité*, etc., pag. 124) à peu près sans contexte en Physiologie, que le privilège de sentir doit être reservé aux cellules des centres nerveux, à l'exclusion de tous les autres éléments nerveux, tels que les *cylindres axes*, dont les nerfs sont essentiellement constitués. Ceux-ci ne feraient que recevoir et transmettre l'ébranlement extérieur aux cellules centrales seules capables de le transformer en sensations. — Mais ce n'est là qu'un « dogme sans preuve » suivant l'aveu d'un de ses partisans les plus autorisés, M. Richet. « Peut-être, un jour, nous dit-il, (*Physiol. des nerfs*, pag. 525, 668) sera-t-on étonné de notre persistance unanime à adopter sans preuve une idée fausse ».

(3) C. Bernard, *Leçons sur la physiologie*, I, p. 233.

sensatio perageretur. Atqui vidimus, aliam esse rationem, cur requiratur huiusmodi coniunctio (1). Ergo nil aliud hinc inferri potest, nisi confirmatio prioris partis theseos (2).

IV. Illi, quibus brachium amputatum fuit, dolorem sentiunt in parte illa, qua carent. Atqui hoc contingere non posset, si sensatio esset in ipsis organis externis. Ergo. — *R. D. M.* primo et per se sentiunt dolorem in extremitate partis quae manet, quam putant ob consuetudinem antea habitam esse illam eandem ac prius, *c.*, primo et per se sentiunt illam partem amputatam, ut affectam dolore, *n.* — *Contrad. m.*;... si locus sensationis esset obiectum proprium sensus, quod primo et per se perciperetur, *c.*, secus, *n.* — Et sane id, quod proprie sentitur, est dolor in extremitate partis, quae manet, et ibi revera dolor adest; nec unquam dolor sentitur in cerebro. Iamvero cum prius extremitas partis amputatae erat alia, tunc ob consuetudinem et associationem sensationum, vel ob memoriam earum, ut ait Bergson (4), quis refert dolorem ad priorem illam extremitatem, quam amplius non habet. At hinc certe nihil potest inferri in favorem adversariorum. — Confer eandem solutionem in Log. n. 144, V.

193. **Conclusio.** — Perspectum igitur habemus, sensationem esse veram cognitionem, cuius intima quoque ratio patefacta nobis est. In ea enim clare apparet, quomodo obiectum cognitum cum cognoscente coniungatur, per actionem nempe physicam in organo animato productam; ex qua proinde ipsa facultas est satis determinata, ut exeat de potentia in actum sensationis, et evadat intentionaliter similis obiecto, a quo patitur, per actum vitalem qui ab ipsa facultate ponitur, quique proprie formalem cognitionis rationem constituit. Cum autem obiectum nequeat physicam actionem producere, nisi materiale sit et concretum,

(1) Accipe etiam quae huic difficultati reponit Dr. Fontaine in sua thesi *La sensation et la pensée*, p. 11. « La nécessité, ipse ait, de cette unification pourrait porter à croire que la sensation ne se produit que là où la réduction s'accomplit, et, dans la théorie de M. Taine, qui n'admet en nous que la matière et qui rejette toutes ces « entités scholastiques » appelées âme, pouvoir, faculté, etc., cela peut paraître vraisemblable. Mais nous, qui prétendons avoir une âme sentante, nous réclamons, pour l'admettre, des raisons plus puissantes... ».

(2) Ad rem Card. Mercier « Tout ce que les faits permettent d'affirmer, c'est que la transmission le long du nerf et la réaction centrale sont nécessaires l'une et l'autre à l'acte sensitif ». Ibid., p. 233.

(3) Placet afferre responsionem quam ipse exhibet in op. *Matière et Mémoire*, Alcan, 1908, p. 51, 52. « On allègue encore les localisations erronées, l'illusion des amputés (qu'il y aurait lieu, d'ailleurs, de soumettre à un nouvel examen). Mais que conclure de là, sinon que l'éducation subsiste une fois reçue, et que les données de la mémoire plus utiles dans la vie pratique déplacent celles de la conscience immédiate? » Porro si praescinditur a principiis, quae ipse supponit, et plane falsa videntur, haec responsio ad nostram faciliter reduci potest.

manifesto sequitur, quod obiectum sensuum necessario materiale ac concretum esse debeat. Hinc facile infertur, facultatem ipsam sensitivam intrinsece pendere a materia.

Tandem hanc sensationem praesertim sensuum externorum in singulis cuiusque organis exerceri dicendum est, uti conscientia refert, quin aliquod argumentum positivum ex physiologia opponi queat, imo potius ex eadem novae videntur accedere confirmationes.

ARTICULUS III.

DE OBIECTO SENSUUM.

194. **Status quaestionis.** — Quaestio modo agitanda intime connectitur cum alia, de *infallibilitate sensuum*. In logica asseruimus, hanc infallibilitatem in eo esse, quod sensus necessario nobis referant ipsum obiectum, a quo afficiuntur. Nunc quaeritur, quo pacto obiectum in rebus existere dicendum est, ut sensatio sit certa ac infallibilis? seu quid est in se illud obiectum sensibile, quod sensus percipiunt? Qua de re praestat in memoriam revocare, quae tum in log. c. III, a. I, tum hic in sup. artic. in tuto ponere conati sumus. Nimirum certum est *a*) sensus nostros infallibiles esse circa obiectum suum; *b*) ipsos passivos esse, et cognoscere non posse nisi ab hoc obiecto afficiantur; *c*) atque adeo referre seu cognoscere illud ipsum a quo afficiuntur.

Ex hisce principiis initium faciendum est ad veram sententiam secernendam a multis ac disparatis, quae propositae sunt, necnon ab idealistarum commentis, qui ad denegationem omnis realitatis deveniunt, vel saltem non posse eam a nobis attingi autumant.

195. **Praenotiones historicae.** — Et primo occurrit opinio, cui factum est etiam nomen *Acosmismi*, (1) perantiqua, et iam praeformata a *Protagora* ac *Democrito*, qui in eam concesserunt, eo quod, uti refert S. Thomas, « de iisdem sensibilibus inveniuntur contrariae opiniones diversorum... et ideo dicit Democritus, quod aut nihil est determinate verum in rebus, aut si quid est verum non est nobis manifestum, cognitionem enim rerum accipimus per sensus: iudicium autem sensus non est certum, quum non semper eodem modo iudicet »(2). Item Theophrastes ait « quali tates esse affectiones ipsius sentientis » πάθη τῆς εἰσθέσεως. Cum eis consenserunt *Eleatici* et *Epicurei*. Ii etiam *subiectivistae* vocantur, quia, ut ait S. Th. post Aristotelem; « Priores naturales non bene dicebant in hoc, quia opinabantur nihil esse *album* aut

(1) De hoc nomine cfr. TRENDELEMBURG, *Log. Unters.*, Ed. 3, II, p. 512.
(2) *In Metaph.*, l. IV, lect. 3.

nigrum nisi quando videtur; neque *saporem* esse, nisi quando gustatur; et similiter de aliis sensibilibus et sensibus. Et quia non credebant esse alia entia, nisi sensibilia, neque etiam virtutem cognoscitivam nisi sensum, credebant quod totum esse et veritas rerum esset in apparere. Et ex hoc deducebantur ad credendum, contradictoria simul esse vera, propter hoc quod diversi contradictoria opinantur (1) ». Unde sequebatur, quod « ipsum videri est mensura rerum secundum opinionem Protagorae, ut scilicet in tantum sit verum, rem esse, in quantum videtur (2) ». In idem incidunt Neoplatonici, principe *Plotino* (204-269), qui tuitus est cognitionem sensilem nonnisi vana phaenomena exhibere, quibus ad cogitandum excitamur, quam proinde negligendam esse censuit (3), eaque animam non adiuvari in cognoscenda veritate, sed potius impediri ac turbari.

Recentiore autem aetate *Cartesius*, nimium permotus ex quibusdam sensuum fallaciis praesertim in febricitantibus, mutilatis, somniantibus, et huiusmodi, nullo modo sensibus fidendum esse ait (4), et aliam iniens viam ad certitudinem sibi comparandam, eo tandem devenit, ut obiecta sensuum seu qualitates sensibiles denegaret, esse aliquid in rebus existens, easque nonnisi purum motum localem esse tueretur. Inde Malebranche deduxit sensationes non produci per actionem rerum in sensus, sed potius per immediatam Dei actionem, unde omnem etiam activitatem creaturis denegavit.

In Anglia *Hobbes* (1679) post Baconem atomismum iterum instaurans, nullas admisit in atomis sensibiles qualitates, easque dixit esse motus, quos corpora in sensus faciunt (5). Locke (m. 1704) ulterius progressus est, vocans omnes repraesentationes etiam cognitionis sensitivae *ideas*, quas solas dixit nos posse contemplari ut obiectum proprium (6), quibus mediantibus cognoscimus *qualitates primas* (i. e. sensibilia communia), quae debent admitti ut existentes in ipsis corporibus, eae sunt extensio, soliditas, figura, motus, quas omnes prorsus admittunt. *Sensibilia* autem *propria*, quae dicuntur *qualitates secundae*, in rebus solum causaliter reperiuntur, seu productae ab earum viribus, et formaliter tantum in repraesentatione sensitiva (7).

Georgius Berkeley episcopus anglicanus Cloynensis (Irland m. 1753), non modo colores et qualitates alias sensibiles, quas et ipse secundarias vocat, nonnisi subiectivos cognitionis nostrae modos esse docuit, sed primarias etiam, quae extensionem re-

(1) *De Anima*, l. III, lect. 2.
(2) *Metaph.*, l. XI, lect. 11.
(3) Cfr. Zeller, *Phil. der Griechen* III, b., p. 607.
(4) Méditation VI *sur la philosophie*, I.
(5) *Leviatan*, c. 1: *Element. philos.*, s. I. de corpore, c. 25.
(6) *An Essay on the hum. Understand.*, IV, 1.
(7) Ibidem II, 8; et 23, 11.

spiciunt imo res omnes corporeas hisce modis subiectivis adnumerandas esse censuit; et idcirco omnes nostros conceptus non esse nisi huiusmodi sensationes transformatas (1).

Hinc intulit omnes quoque res, quas cognoscimus sive per intellectum sive per sensus, non esse nisi puras sensationes. Unde celebre illud protulit principium: *esse est percipi.* Eo multi idealistae recentiores tamquam fundamento usi sunt ad sua placita defendenda, uti in log. th. IV vidimus. *David Hume* (1711-1776) in Scotia natus, tuitus est omne sensuum obiectum nullam habere realitatem praeter eam, quae est in sensuum impressione vel perceptione. Ideoque nos non cognoscimus, nisi affectiones subiectivas organorum nostrorum, et omnes nostrae ideae nonnisi earum imagines sunt (2).

In Germania autem *Kant* agnoscit dari *phaenomena*, quae percellunt sensus nostros, sed addit nos ignorare quid ea sint in re ipsa; et quum ea vocamus corpora, hoc verbum significat tantum phaenomenon (die Erscheinung) alicuius subiecti nobis ignoti sed tamen realis (3). Hinc *idealismum* statuit *transcendentalem* in oppositione ad *idealismum purum* a Berkeley propositum. Eius vestigia prementes *Herbart* (4), *Beneke* (5), aliique Kantiani iterum idealismo faverunt. Alii vero ulterius progressi sunt, denegantes distinctionem cogniti a cognoscente, et *acosmismum absolutum* professi sunt. Qui proinde evasit vel *a*) *subiectivus* cum Fichte (6), omnia cum subiecto cogitante identificans: vel *b*) *obiectivus* cum Schelling (7), omnia reducens ad rerum apparentiam, identicam tamen cum subiecto; vel *c*) *logicus* cum Hegel (8), omnia identificans in idea pura et abstractissima

(1) Cfr. *Treatise on the principles of Humanknowledge*, 1710.

(2) Cfr. *Treatise of human Nature*, 1739.

(3) « Ich gestehe, ipse ait, dass es ausser uns Körper gebe, d. i. Dinge die obzwar nach dem, was sie an sich selbst sein mögen uns gänzlich unbekannt, wir durch die vorstellungen kennen, welche ihr Einfluss auf unsere Sinnlichkeit uns verschafft, und denen wir die Benennung einers Körpers geben, welches Wort aber bloss die Erscheinung jenes uns unbekannten aber nichtsdestoweniger wirklichen Gegenstandes bedeutet ». *Proleg. zur einer jeden künftigen Metaphysik.*

(4) *Einleitung in die Philosophie*, § 19...

(5) *Metaphysik*, p. 91-100.

(6) Cfr. eius opuscul. *Ueber den Begriff der Wissenschaftslehre*, 1794, et opus *Grundlage der gesammten Wissenschaftslehre.* Ibi saepe haec offenduntur principia: « Das Bewusstsein des Gegenstandes ist nur ein Bewusstsein des Setzens desselben ». — « Alles was ist, ist nur insofera als es im Ich gesetzt ist, und ausser dem Ich ist Nichts ».

(7) Cfr. *System des transcendentalen Idealismus*, 1800, p. 35-38.

(8) Unde ipse ait, conceptus nostros constituere essentiam ac realitatem omnium rerum, et extra conceptus nihil esse in rebus, atque ipsos conceptus nihil esse extra res « Ausser meinem Gedanken ist an der Sache nichts, und meine Gedanken sind ausser der Sache nichts ». Ita in epist. ad. Pfaff, apud Rosenkranz in *Heg. vita*, p. 295; cfr. etiam *Encyclopädie der philosoph. Wissenschaften.* I Thl. Berlin, 1940.

entis : vel *d) physiologicus* cum recentioribus e. g. Kick (1), Helmotz (2) et praesertim Ioanne Müller, Psysiologo Berolinensi (3), qui autumant omnia, quae sensibus percipere videmur, a nobis physiologice produci : vel *e) positivista* cum aliis e. g. Laas (4), Avenarius, Liebmann, Schuppe (5), qui omnia reponunt in sola immediata sensuum experientia, quae refert tantum relationes actuales in conscientia nostra existentes inter varias repraesentationes subiectivas et obiectivas : vel tandem *f) volitivus* cum Schopenhauer, qui tuetur mundum nil aliud esse nisi affectionem organicam subiecti cognoscentis, quod iterum constituitur per appetitum imo per *volitionem*, quae est in toto mundo (6).

Postremo vero nostra aetate iterum instauratus est idealismus logicus Hegelii ad ultimas suas conclusiones deductus, prout non agnoscit nisi *solam realitatem ideae, vel actus cogitantis*, vel melius ipsius *cogitationis in fieri.* Quare iuxta recentiores idealistas non existit nisi *purus actus cogitandi* : cetera omnia non existunt nisi inquantum cogitantur, et in ipso *nunc actus cogitandi*, qui est in continuo motu, seu in continuo fieri. Praecipui auctores in Italia recensentur *B. Croce*, et *Joannes Gentile* (7).

Ex hoc brevi conspectu evidens fit, hos auctores simul permiscere cognitionem sensitivam et intellectivam, et quum non valeant explicare, quomodo obiectum coniungatur cum sensibus, et quomodo sensus ad ea referri queant, denegant existentiam vel cognoscibilitatem istorum.

196. *Doctrina Scholasticorum.* — Contra hos omnes stat doctrina Aristotelico-scholastica, asserens existere extra sensus et intellectum obiecta realia, prout cognitio nostra eadem refert. Sed quoad obiectum tactus, omnes in eo conveniunt, ipsum esse extensionem realem existentem in substantia corporea. In ceteris vero sensibus et in ipso tactu,

(1) Cfr. *Die Welt als Vorstellung*. Würzburg, 1870.

(2) Cfr. *Die Thatsachen in der Wahrnhemung*. Berlin, 1879.

(3) Ipse tuetur, adesse in nervis facultatum sensitivarum energias quasdam, quibus qualicumque irritatione in eis producta, istae excitentur ad activitatem sibi propriam, qua nempe procreant obiectum, ad quod dispositae sunt, inquantum ipsum sentiunt, seu eatenus ipsum sentiunt quatenus procreant. Cfr. *Physiologie*. Edit. 4, p. 667...

(4) Cfr. *Idealismus und Positivismus*.

(5) Cfr. *Das menschliche Denken*, 1870, v. etiam Müller, *System der Philosophie*, p. 20.

(6) Cfr. *Welt als Wille und Vorstellung*.

(7) Cfr. quae fuse exposuimus in *Gregorianum*, a. IV, v. IV, f. 3, p. 431-464; et f. 4, p. 517-566, referendo et expendendo doctrinam a Gentile propositam. Vide etiam *log. crit.*, n. 18 et 19.

quum refert calorem, difficultas est in determinando, quid sit in se obiectum illud, quod diversos sensus afficit.

Et primo nonnulli recentiores, Cartesii principiis adhaerentes, arbitrantur sensibiles qualitates in rebus ipsis non esse nisi purum motum localem, praesertim *colorem*, *calorem* et *sonum*, quos reducunt ad vibrationes vel aetheris vel aëris vel minimarum particularum materiae. Nihilominus non quilibet motus sensationem illarum qualitatum gignit: sed ille tantum, qui determinatum quendam numerum vibrationum in uno secundo momento importat, iuxta quem etiam distinguuntur singuli soni vel toni musicales, et singuli colores, qui quasi totidem toni visibiles, determinatum numerum vibrationum requirunt, ita ut, si pauciores vel plures fuerint, nullius secutura sit visio lucis vel coloris (1). Odor etiam revocatur ad motus, quibus particulae corporis odoriferae vellicant organum olfactus, et gustus ad similes motus in peculiaribus nerveis papillis linguae a sapido obiecto genitis. Alii tamen, hanc assertionem nolunt ad odorem et saporem extendere, quorum nondum satis explorata est natura et ratio activitatis.

Contra eos scholastici asserunt, sicut falsum est activitatem creaturarum reduci ad purum motum localem, sed diversae vires in eis agnoscendae sunt; ita falsum esse, has qualitates reduci ad purum motum localem.

Sed recentiores quidam, quibus accedit Domet de Vorges, aiunt, vibrationes illas gignere diversas sensationes sive ratione specificae nervorum vel centrorum cerebralium conditionis ac vis, sive potius ratione peculiaris activitatis diversarum potentiarum, qua fit ut ipsae diversimode transformentur, ac sub specie formaque colorum, sonorum, etc. in visione, auditione, etc. nobis appareant (2). — Alii vero,

(1) Cfr. FARGES, *L'objectivité et la perception des sens externes*, pag. 180.

(2) Hanc explicationem ita ipse exhibet: « Comment ces vibrations, inquit, déterminent-elles la sensation des couleurs? Il faut recourir pour cela à l'activité propre de la faculté sensitive. Pendant que l'organe est impressionné, la puissance qui lui est unie est excitée à réagir, et elle réagit suivant des lois qui résultent de sa nature même. Elle interprète chaque nombre de vibrations par la sensation d'une nuance particulière. Toutes ces nuances se groupent en sept couleurs fondamentales: rouge, orangé, jaune, vert, bleu, indigo, violet. Un ensemble de rayons comprenant toutes les natures de vibrations en proportion

cupientes intime investigare propriam qualitatum sensibilium naturam iuxta principia physicorum ac physiologorum, conati sunt rem uberius explicare, uti e. g. Gutberlet (1), De Sinety (2), D. Ostler (3), P. Vogt (4), D. Feuling (5), Em. Card. Mercier (6), P. Mattiussi (7), D. Farges (8) et praesertim P. Hubertus Gründer, qui peculiare edidit opusculum « De Qualitatibus sensibilibus et in specie de coloribus et sonis » ubi simul collegit, tum antiquorum tum recentiorum diversas opiniones, et conatur horum doctrinam explicare et, expoliatam a quibusdam physicorum erroribus, etiam defendere.

197. **Quaestionis solutio proponitur.** — Duae quaestiones hic inter se distinguendae sunt : — 1) utrum admittendum sit aliquod obiectum in rebus, respondens sensationi, quam nos percipimus : — 2) quaenam sit natura huius obiecti. — Priori quaestioni *affirmative* respondendum esse iam demonstratum est. Quoad alteram partem multi multa dicunt, et praecipuae sententiae huc reduci videntur : *a*) nonnulli scholastici praesertim antiquiores censent, quod hoc obiectum sit qualitas quaedam *formaliter simplex*, existens in rebus, distincta ab aliis proprietatibus earundem : *b*) alii praesertim cartesiani distinguentes qualitates, quas vocant cum Locke *secundarias*, a *primariis*, eas reducunt ad purum motum localem; *c*) quidam, agnoscentes etiam vires in corporibus, dicunt istas una cum varia vibrationum specie, quas producunt in aethere, et cum specifica conditione nervorum facultatum seu peculiari istarum activitate constituere vel transformari in qualitates sensibiles; *d*) alii tandem exi-

sensiblement égale donne la sensation du blanc. L'absence presque absolue de vibrations convenables à l'œil donne la sensation du noir, qui n'est pas l'inaction complète du nerf optique, mais une véritable sensation ». Domet de Vorges, *La Perception et la Psychologie thomiste*, pag. 17.

(1) *Die Psychologie*, Münster, 1896, p. 12-34.

(2) Cfr. *Rev. des Quest. scient.* 1892 et opusc. *La Connaissance sensible des qualités secondaires* (Louvain, 1912).

(3) Cfr. *Stimmen aus Maria-Laach*, LXXIII (1907) 153...

(4) Die *Gesichswahrnehmung* (München), *Sammlung Natur u. Cultur*, N. 2.

(5) Cfr. *Philosoph. Jahrbuch*, XXV, a. 1912, p. 151...

(6) *Psychologie*, I-8, p. 158-166.

(7) *Fisica razionale*, parte seconda « Natura animata » (manoscritto), numeri 631-684.

(8) *L'Objectivité de la perception des sens*, 2e ed., p. 189.

stimant eas existere in rebus independenter a perceptione facultatum, sed *ut complexum diversarum virium in eis existentium, quae mediante motu percellunt orgánum.* Ac proinde iuxta hanc sententiam dicendum est, obiectum sensuum nostrorum existere in rebus non *mere causaliter*, sed *formaliter*, quatenus qualitas, quae producitur in aethere per motum vibratorium agitato a propriis viribus corporis sensibilis, et afficit organum, in se similis sit formae intentionali sensibili, quae habetur in sensibus nostris.

Nos hanc ultimam amplectimur sententiam, quae videtur posse simul componere traditionalem scholasticorum doctrinam hac in re cum recentioribus experimentis pro certo habitis a physicis ac physiologis modernis (1).

Thesis XXXVII.

Obiectum sensuum nostrorum etiam color, calor et sonus existit in rebus, non ut purus motus localis, nec tantum causaliter, ac dependens formaliter a peculiari activitate facultatum.

198. In thesi tres partes distingui possunt, quarum prima est contra idealistas; altera contra Democritum, Cartesium ac plurimos recentiores, qui eos sectantur; tertia contra eos omnes, qui censent has qualitates *formaliter* esse *tantum in sensibus*, seu intrinsece constitui in sua *ultima ac formali* ratione per ipsum actum sensationis cuiusque facultatis, ii sunt praesertim plures physici et physiologi, necnon quidam Neoscholastici.

Prob. I p — Experientia cuique constat, nos, quum percipimus colorem, calorem et sonum, affici ab aliquo obiecto nobis extrinseco. Atqui hoc manifesto ostendit haec

(1) At nos quoque asserimus cum Em. Card. Mercier (l. c., p. 163). « Bien des points sont encore à élucider dans ce domaine scientifique, et il ne faut pas s'ériger en prophète pour prédire que plusieurs contradictions apparentes de l'heure présente, entre les observations objectives de la physiologie et les affirmations subjectives du sens intime, se dissiperont d'elles-mêmes à la lumière des découvertes plus exactes que nous réserve l'avenir ». Addimus tamen, ad hoc nullo modo necesse esse renuntiare traditionali doctrinae, quae tuetur qualitates sensibiles existere in rebus independenter a sensuum perceptione, imo forte sine periculo favendi idealismo, eam negari non posse.

obiecta existere in ipsis rebus, non autem a nobis confici aut fabricari. Ergo.

Item, uti vidimus in thesi XXVII, facultas nostra cognoscitiva est passiva, nec potest aliquid percipere, nisi determinetur ab obiecto, a quo reducitur de potentia in actum. Atqui si color, calor et sonus non existerent in rebus, sensus nostri in percipiendo haec obiecta non essent facultas passiva, sed activa, quae haec obiecta produceret, vel secus horum cognitio esset mere illusoria et imaginaria, quod manifesto pugnat cum communi hominum sensu. Ergo.

Praeterea omnes conscii sumus, quod si cupimus determinatos colores vel sonus percipere, recurramus oportet ad diversas ac determinatas res, ex quibus illas sensationes haurire valemus, et ideo saepe etiam diversa loca peragramur. Item *pictores* ac *musici* diversas sumunt materias, ac diversis utuntur instrumentis ad habendas picturas vel concentus determinatos. Atqui si ista obiecta non existerent in rebus, inutile esset has diversas assumere materias ad habendos diversos colores ac sonos. Ergo.

Prob. II p. — Quae iam demonstrata censeri potest ex iis quae in Cosmologia defendimus in Thesi III. — Et sane, obiecta nequeunt afficere sensus nisi per actionem. Atqui actio creaturarum nequit reduci ad purum motum localem, sed necessario expostulat in eis vires ab ipso distinctas, uti ibi demonstravimus. Ergo obiectum sensuum nequit existere in rebus ut purus motus localis.

Praeterea omnibus ratum est, colores esse aliquid permanens in rebus, uti liquet in picturis, quae post annos et saecula eaedem omnino nobis apparent. Atqui purus motus localis, utpote transiens, ac multis obnoxius mutationibus, nequit constituere aliquid permanens. Ergo.

Item incredibile est, quod idem motus localis producat in eandem facultatem diversos colores, sonos etc. Nam diversi effectus certo requirunt diversas causas. Atqui oculus, auris certe cognoscunt ac distinguunt diversos colores, sonos. Ergo isti nequeunt ab uno eodemque motu locali produci. Et si dicatur iste esse diversus, necessario agnoscen-

dae sunt in corpore vires diversae, quae ipsum modificent, ut vidimus in Cosmologia. Ergo.

199. **Dices** I. — Color, calor, sonus est id quod videtur, auditur sentitur. Atqui hoc est tantum in sensibus. Ergo. — *R. D. M.:*... est causa quae determinat sensum ad videndum, *c.;*... est ipse actus visionis, auditionis, sensationis, *n.* — *Contrad. m.* — Et revera distinctio est tam clara, ut inutile videatur eam uberius explicare. Iuvat tamen advertere cum Arist. et S. Th. « Omne sensibile dupliciter dicitur esse in actu. Uno modo, quando actu sentitur; hoc est dum species eius est in sensu; et sic sonus est actu, secundum quod est in auditu. Alio modo secundum quod habet propriam speciem, per quam sentiri potest, prout est in subiecto; et sic alia sensibilia fiunt in actu, prout sunt in corporibus sensibilibus, sicut color prout est in corpore colorato, odor et sapor prout sunt in corpore odorifero et saporoso. Sic autem non est de sono. Nam in corpore sonante non est sonus, nisi in potentia. In medio autem quod movetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu. Et propter hoc dicitur, quod sonus in actu est medii et auditus, non autem subiecti sonabilis » (1). Iamvero hinc manifesto sequitur, quod prius debet existere actu ipsum sensibile in rebus, ac dein habetur sensatio. Nam ut idem Arist. advertit : « Sensibile sensum agere facit, quare necesse est ipsum prius esse quam potentia » (2)

Huic difficultati iam occurrerat ipse Reid « Rudis ait : ignis est calidus, nix frigida, saccharum dulce: id nostri testantur sensus, et inficiari absurdum est. Philosophi dicunt : calor, frigus, dulcedo non sunt nisi sensationes in nobis, eas in igne, in nive, in saccharo inesse statuere absurdum est. Contradictio magis est apparens, quam realis; progignit illam abusus vocabuli ex parte philosophorum, et confusio idearum ex parte vulgi. Cum philosophus inquit, nil esse caloris in igne, quid intelligit? Ignem sensatione caloris destitui. Nae is vera loquitur, seque si explicet, vulgus non dissentiet. Verum hic homo se perperam exprimit; reapse enim in igne inest qualitas, quae calor nominatur; atque tum philosophi tum vulgus multo saepius qualitatem, quam sensationem nomine illo significant » (3).

Instas II. — Ipse S. Th. cum Arist. ait, quod *sonus est in medio, quod movetur ex percussione corporis sonantis.* Atqui in illo medio est tantum motus. Ergo. — *R. C. M.:* et *d. m.:* est purus motus localis, *n.:* est motus una cum actione producta a viribus corporis sonantis, *c.* — Quare iuxta mentem S. Th. et

(1) *De Anima*, l. XVI.

(2) *De sensu et sensato*, c. III.

(3) *Essais sur les facul. de l'homme.* — Apud P. Liberatore, *Logica*, p. altera, c. II, n. 49.

Arist., quam etiam nos sub omni respectu amplectimur, sonus non est aliqua perfectio complete existens in corpore sonante, sed est effectus determinatae actionis productae per motum in aëre a viribus ipsius. Et haec sententia ea est, quam in thesi sequenti tuemur (1).

200. **Prob. III p.** — I. *Indirecte* (ex incommodis et erroribus qui sequerentur). — Admitti nequit quod color, calor et sonus sint in rebus tantum causaliter, et constituantur in sui formali ratione dependenter a peculiari activitate nostrarum facultatum, si hoc *a*) contradicit experientiae communi, *b*) nullo solido scientifico experimento fulcitur, *c*) ac in discrimen ponit obiectivum valorem cognitionis nostrae. Atqui haec tria contingerent, si admitteretur huiusmodi doctrina. Ergo ipsa admitti nequit. — Maior patet, et ab omnibus facile conceditur.

Prob. m. per partes: *a*) prima pars omnibus manifesto constat et ab ipsis adversariis admittitur: *b*) altera demonstratur in thesi seq., interim ita arguimus. Omnia argumenta, ab adversariis allata (ut patebit in thesi seq.), hoc unum evincunt, has qualitates non posse admitti ut entitates simplices inhaerentes ipsis corporibus, a quibus primo afficimur. Atqui ex hoc perperam deducitur, illas qualitates esse in rebus tantum causaliter, et constitui in sui formali ratione dependenter ab activitate facultatis. Nam probe admitti potest, esse in rebus totum id quod nos percipimus, ut afficiens nostros sensus, et independenter ab activitate facultatis, quamvis non sit forma quaedam simplex et indivisa, ipsis corporibus inhaerens. Ergo... — *c*) Tertia pars ita evinci potest. Illa sententia in discrimen ponit obiectivum valorem cognitionis nostrae ac viam parat idealismo, quae agnoscit in rebus tantum *causam* cognitionis sensitivae, non autem ipsum *obiectum* ei respondens, tum *formale* tum *materiale*. Atqui iuxta hanc sententiam in rebus ponitur obiectum tantum ut causa, non autem ut obiectum formale. Ergo. — Maior ab ipsis adversariis admittitur (2): minor ita ostendi potest. Ut agnoscatur in rebus obiectum formale cognitionis,

(1) V. solutionem aliarum difficultatum apud P. Pesch, *Logica*, II, n. 658.
(2) Vide e. g. P. Gründer, l. c. tum in n. 142 et sqq. tum in n. 172.

afficiens ac determinans facultatem ad sentiendum, debet in eis admitti, totum id quod percipitur, ut aliquid praeexistens ipsi perceptioni sensuum. Atqui in sententia adversariorum hoc non admittitur. Ergo.

II. — *Directe* (ex natura cognitionis). Omnis cognitio etiam sensitiva fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, inquantum cognoscens fit simile obiecto, a quo determinatur, et hoc pacto ex cognoscente et cognito paritur cognitio. Atqui in hac sententia nequit hoc contingere. Ergo. — *Pr. m.* — Iuxta hanc sententiam cognoscens non assimilatur obiecto, quale ipsum est in se, sed quale constituitur per activitatem facultatis cognoscitivae: unde ipsum constituitur simile non obiecto, a quo determinatur, sed obiecto efformato per ipsam activitatem facultatis, quamvis praecedere debuerit causa extrinseca ad hanc activitatem determinandam. Atqui tunc revera cognoscens non fit simile obiecto, a quo determinatur, sed ipse potius efformat obiectum, cui assimilatur. Ergo.

III. (ex natura veritatis logicae). — Veritas est *cognitio adaequata rei*, seu in eo est, quod cognitio nostra in se talis sit, qualis est res ad quam refertur. Atqui in cognitione sensitiva certo adest veritas, ut vidimus in log. th. XX, quia, « iudicium sensus est de re secundum quod est » (1), seu cognitio sensus talis est, qualis est res in se. Atqui rursus hoc nullo modo habetur, si obiectum, quod cognoscitur, evadit tale e. g. *coloratum*, tantum dependenter ab activitate facultatum. Ergo. — Scite ad rem ait Suarez, « veritatem cognitionis includere talem repraesentationem cognitionis, quae habeat coniunctam concomitantiam obiecti ita se habentis, sicut per cognitionem repraesentatur. Ad veritatem enim nec sola repraesentatio sufficit, si obiectum non ita se habeat, sicut repraesentatur, neque concomitantia obiecti potest sufficere ad denominationem veritatis, nisi praesupposita praedicta repraesentatione, vel potius includendo illam: quia veritas non est sola illa denominatio extrinseca, sed includit intrinsecam habitudinem actus terminatam ad obiectum taliter se habens » (2).

(1) *De Veritate*, q. 1, a. 9.
(2) *Disp. metaph.*, disp. 8, s. 2, n. 12.

IV. (ex propria sensationis natura). — Sensatio accidit *in ipso afficiente a rebus sensibilibus*, seu ita sensus sentit, sicut afficitur a re sensibili. Atqui cum sensus sentit, revera cognoscit. Ergo ita cognoscit, sicut afficitur. Atqui si res non est, qualis cognoscitur, independenter ab activitate facultatum, non potest eas ita afficere sicut cognoscitur, sed alio modo afficit, et alio modo cognoscitur. Afficit enim ut quaedam determinata excitatio, et cognoscitur ut hic vel ille color, sonus, etc. Ergo.

201. **Dices** I. Ad vitandum idealismum sufficit agnoscere in rebus colorem, sonum fundamentalem. Atqui ipse admittitur a defensoribus huius sententiae. Ergo. — *R. D. M.;...* sufficit talis color, qui in sui formali ratione non constituatur dependenter ab activitate sensus nostri, *c.;* secus, *n.* — *Contrad. m...* Praescindendo a quaestione, utrum in ipso corpore colorato agnoscendus sit color *fundamentalis* vel *formalis*, hoc certum nobis videtur, non sufficere colorem fundamentalem (1), qui in sui formali ratione constituendus sit dependenter ab activitate sensus nostri. Nam in ipso actu visionis, auditionis, oculus, auris assimilantur colori, sono formali non fundamentali. Atqui si ipse constituitur talis dependenter ab activitate sensuum, tunc isti non assimilantur obiecto prout in se est, sed prout a seipsis constituitur formaliter tale. Et ita non rite explicatur natura cognitionis ac veritatis, quamvis non habeatur plenus idealismus (2).

II. Cognitio sensitiva dicenda est *secundum quid mediata* in quantum corpora cognoscuntur mediante *verbo mentis*, in quo relucent et evadunt color formalis... (3). Quia ut ait S. Th. « na-

(1) En quomodo P. Gründer, explicat colorem fundamentalem, l. c., n. 16 « nil aliud est, ipse ait, nisi energia, quam corporum moleculae exercent vi status vibratorii, quaeque propagatur ad organum visus per undulationes transversales materiae imponderabilis seu « aetheris ». Notari autem debet, quod non omnia corpora sunt fontes primarii energiae, quae propagatur ad organum visus sed plurima corpora sunt fontes huius energiae solum *secundarii*. — Energia, quam materia imponderabilis exercet vi undulationum transversalium, vocatur *lumen*. — *Radius luminis* est linea idealis, secundum quam undulationes aetheris propagantur, propagatur enim lumen linea recta in omnes directiones... ». Iamvero nulla est difficultas admittendi haec omnia saltem ut *hypothesim* magis approbatam. At ista potius ostendunt, colorem non posse reponi in entitate simplici inhaerente corpori colorato.

(2) Hi, qui admittunt dari in rebus aliquid quod *causaliter* determinat sensum, certe non tuentur plenum idealismum, et ideo in log. n. 144, II aperte diximus, praesentem quaestionem non esse permiscendam cum alia. Nihilominus modo contendimus, sententiam adversariorum, quam hic reiicimus, aliqua ratione viam ad ipsum aperire, ut eruitur ex argumento allato.

(3) Cfr. Gründer, l. c., n. 32-34 et n. 42 item in n. 74, et 126-138.

turas sensibilium qualitatum cognoscere non est sensus sed intellectus » (1). Atqui ita salvatur natura cognitionis... etc. Ergo. — *R. D. M.;* cognitio, quae percipit obiectum ut immutativum sensus formaliter in se tale quale percipitur..., *n.;* quae apprehendit intrinsecam naturam constituentem illud obiectum, *c.* (quamvis neque *secundum quid mediate* illa cognoscatur a sensibus, sed *tantum* ab intellectu, et hoc sensu omnino intelligenda sunt verba allata S. Th.) — *D. m.;* si admittitur in sensibus cognitio obiecti formalis, quod in se constituitur tale independenter ad eis, *c.;* si hoc denegatur, *n.* — In hoc argumento magna videtur fieri confusio inter cognitionem intellectus et sensus. Quare dicimus: *a*) Proprium intellectus est percipere naturas rerum etiam qualitatum sensibilium, et quidem post multa experimenta ac ratiocinia, et eam sensus nullo modo neque mediate percipere valent. — *b*) Certum tamen est, quod sensus immediate et independenter ab intellectu cognoscit obiectum proprium ut immutativum sui. — *c*) Sensus cognoscit hoc obiectum semper in concreto e. g. hoc *coloratum*, hoc *sonorum*, hoc *calidum*, ita ut primo et ratione sui cognoscat *colorem*, *sonum*, *calorem;* et secundario cognoscat corpus, ut affectum illa qualitate. — *d*) Utrumque sensus cognoscit immediate independenter ab omni verbo mentis. Nam haec cognitio invenitur etiam in animantibus brutis, in quibus nullum est verbum mentis. — *e*) Quare sensus utrique assimilatur per modum unius, et semper ratione obiecti proprii. Atqui ad hoc omnino requiritur quod a parte rei inveniatur hoc *coloratum*... cui visus assimilatur, independenter a perceptione sensus, secus enim deest terminus, cui sensus percipiendo assimilatur.

Instas III. In sensu sufficit assimilatio cum obiecto fundamentali (ita in n. 142). — *R. N. Assert.* Si enim per hoc intelligitur, quod obiectum visus non sit intrinseca natura coloris cognita secundum ea omnia, quibus intrinsece constituitur, hoc plane concedendum est. Si vero dicitur, quod visus non cognoscat *totum id quod constituit colorem* et non debeat praecise huic toti assimilari, ut eius cognitio sit vera, independenter ab intellectu, hoc certe admitti nequit. Neque in hac sententia verum manet quod ait S. Th. in I p., q. 78, a. 3. « Naturas sensibilium qualitatum cognoscere non est sensus sed intellectus; accipienda est ergo ratio numeri et distinctionis exteriorum sensuum secundum illud, quod *proprie et per se ad sensum pertinet;* est autem sensus quaedam potentia passiva, quae nata est immutari ab exteriori sensibili; *exterius* ergo *immutativum est, quod per se a sensu percipitur*, et secundum eius diversitatem sensitivae potentiae distinguuntur ». Videlicet, diversitas potentiarum desumenda est ex diverso obiecto formali sensuum, quod non est ipsa intrinseca natura sensibilis cognita secundum sua constitutiva, sed

(1) S. Th. I p., q. 78, a. 1.

est ipsum obiectum, simpliciter inquantum est immutativum sensus, et secundum hoc diversum obiectum, diversa distinguitur potentia. Atqui, si istud in sui formali ratione constituitur per ipsam activitatem facultatis, impossibile esset hanc diversitatem discernere. Quia tunc non facultas distingueretur per hoc obiectum, sed hoc obiectum per facultatem.

IV. Scholastici antiquiores, distinguentes *colores veros* et *apparentes*, docebant quod in istis reapse habetur assimilatio cognoscentis cum re, ac proinde vera cognitio. Atqui colores apparentes iidem sunt ac fundamentales. Ergo sufficit assimilatio cum istis ad habendam veram cognitionem. — *R. D. M.:...* ita ut colores apparentes dicerentur *apparere tales* ex activitate oculi, *n.*, apparere *tales*, quia *potentia applicata situsve fuit variatus*, ut ait Suarez, *c.* — *Transeat minor* — *N. C.* — De istis coloribus mox loquendum erit; sufficit modo advertere, nunquam scholasticos censuisse hos colores apparere tales ratione activitatis sensuum, quod in praesenti contendimus. Utrum autem ipsi vocari possint fundamentales, deinceps patebit.

V. Non datur sonus, qui non sit plane determinatus quoad *intensitatem*, *altitudinem* et *clangorem*. Atqui saepe accidit idem corpus sonans percipi a diversis auditoribus secundum diversam *intensitatem*, *altitudinem* et *clangorem*. Atqui haec diversitas explicari nequit nisi dicatur sonus fundamentalis esse in rebus formalis vero in ipsa auditione cuiusque audientis. Ergo. — *R C. M.* et *D.* 1am *min.*... quae diversitas oritur vel ex diverso medio interiecto, vel ex diversa distantia ac diverso numero vibrationum, *c.*; pendet ex diversa perceptione vel activitate audientis, *n.* — *Contrad.* 2am *min.*: si diversitas penderet a perceptione audientis, *c.*, secus... *n.* — Hoc argumentum iterum ostendit non posse admitti in ipso corpore sonante formam aliquam simplicem inhaerentem corpori sonoro, non autem ipsum constitui in sui formali ratione per ipsam perceptionem vel activitatem audientis. Et ideo tantum favet sententiae, quam nos tuemur (1), et revera quoad hoc punctum et nos cum neoscholasticis omnino convenimus. In eo tamen ab eis dissentimus, quod ipsi putent inter elementa requisita ad constituendam formalem rationem coloris, caloris et soni accensendam esse ipsam quoque sensationem. Nos vero eam excludimus, uti mox directe ostendere curabimus.

(1) Unde secundum hanc explicationem omnino subscribimus responsioni quam dat D. Farges, et veram putamus; « Il est facile, ipse ait, de répondre que dans ces cas le changement ne vient pas du sujet mais de l'objet lui-même, c'est-à-dire des actions sonores (ou lumineuses) qui varient suivant les vitesses et les milieux. Il y a une véritable altération dans le *nombre* (et parfois dans la direction) des ondes aériennes (ou étérées) qui frappent (notre œil ou) notre oreille ». *L'Objectivité de la perception des sens externes*, p. 108. Nimirum undulationes illae sunt diversae non ratione diversorum auditorum, sed ratione diversitatis numeri undulationum, directionis earundem vel medii interiacentis.

Thesis XXXVIII.

Color, calor et sonus existunt in rebus non ut qualitas simplex inhaerens ipsis corporibus, sed ut aliquid exurgens ex viribus propriis horum corporum et ex motu ab eis producto, quod proprium immutat organum.

202. **Declaratur.** Primo declaranda venit nostra sententia; ut descriminetur ab ea, quam modo reiecimus. — 1) Nos tuemur, ad salvandam veritatem cognitionis sensuum externorum agnoscendam esse in rebus aliquam perfectionem, quae *ita* sit extra sensus, *sicut* ab eis percipitur. — 2) Ad hoc tamen non requiritur ut ea reponatur in ipsis obiectis, a quibus tamquam a prima origine producitur immutatio sensus. Nam obiectum proprium horum sensuum est tantum illud quod est *immutativum sui;* determinatio vero loci vel rei, in qua ipsum residet, potius pertinet ad obiectum commune; ac proinde nequit cum certitudine cognosci, nisi adhibeantur vel alii sensus, vel maxime intellectus. — 3) Nihilominus agnoscendae sunt in hisce corporibus saltem determinatae vires propriae, quibus valeant diversas gignere undulationes in aethere aut aëre, vel per seipsas, vel per contactum alterius corporis iterum suis viribus praediti. — 4) Et huiusmodi undulationes, secundum diversum numerum, amplitudinem, celeritatem, diversos constituunt sonos, colores et calores et ita diversimode immutant organum. — 5) Hinc proinde explicatur, quomodo revera habeatur assimilatio inter sensum cognoscentem et rem cognitam, quae est *ipsa undulatio organum immutans;* et simul intelligitur, cur idem corpus coloratum, sonorum, calidum diversimode percipiatur a diversis sensibus qui nempe supponuntur eodem modo sani ac rite dispositi). Nimirum ratione diversi numeri, amplitudinis ac celeritatis illarum undulationum, propter diversam distantiam, situm vel medium interiacens. — 6) Ita tandem videntur plane explicari posse phaenomena diversae cognitionis quoad *altitudinem, intensitatem* et *tonos* soni; quoad colores apparentes et reales, quoad *interferentias* co-

lorum, ut e. g. in bullulis saponis, quoad mixturam pigmentorum seu colores aggregatos, quoad colores spectrales, quoad Daltonismum et huiusmodi, quin ullo modo recurramus ad sententiam modo reiectam. Atque ita proinde videmur, posse fideliter adhuc retinere principia S. Thomae et veterum scholasticorum, quorum doctrinam praestat breviter innere.

203. **Doctrina veterum.** — Et primo quoad *sonum*, Suarez ipsum ita definit: « Sonus est qualitas sensibilis proveniens ex violenta percussione, vel divisione in corpore apto ad illam recipiendum » (1). Et paulo post addit « si sonus definiretur, ut sensibilis est, facile declarari potuisset in hunc modum. *Est qualitas immutativa auditus per propriam speciem* ». Profecto haec definitio in sua generali ratione, qua profertur, videtur probe admitti posse, nec ullo modo pugnare cum recentiorum experimentis, eo vel magis, quia ipse ibid. in n. 5 ait « in tertia particula definitionis non explicatur determinatum subiectum soni, *quia illud sub opinione est* ». Et deinceps exponit diversas opiniones. Ex quibus iam elucet ad salvanda principia veterum scholasticorum, necesse non esse reponere sonum in ipso corpore sonante. Quinimmo ipse Suarez in n. 6 asserit: « Communis sententia est *sonum tantum esse subiective in medio.* Ita Albertus M., Philoponus, Commentator, S. Thomas, Aegidius et uterque Caietanus et alii communiter, favetque Aristoteles toto cap. 8, insinuans sonum tantum esse in aëre ».

Et quamvis alii habuerint oppositam sententiam, ipse concludit in n. 8. « In hac disceptatione mihi certum est, *sonum praecipue in corpore medio*, qualis est aër (vel potest esse aliud, ut idem etiam censet) *inhaerere* ».

Item S. Th., praeter testimonium allatum, docet. « In corpore sonante non est sonus, nisi in potentia; in medio autem quod movetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu. Et propter hoc dicitur, quod sonus in actu est medii et auditus, non autem subiecti sensibilis » (2). Audiatur pariter B. Albertus M. « Fit sonus secundum actum, quando est alicuius verberationis ad aliquid percussum; et in aliquo in quo sonus nunquam fit sine locali motu. Causa eius est, quia sonorum est esse in continuo fieri; et cum generans ipsum sit motus violentus, qui est ictus percutientis solidum planum, oportet quod aliquid generantis ipsum semper in ipso remaneat, quia aliter non fieret continuo sonus » (3). Deinde in cap. seq. ostendit, quomodo sonus fiat

(1) *De Anima*, l. III, c. 69, n. 1.
(2) *De Anima*, in l. II, lect. 16.
(3) L. II, *de Anima*, tract. III, c. XVII (V, p. 264).

etiam in aqua et advertit. « Scias quod cum sonus *sit in aëre et aqua*, est tamen magis in aëre quam in aqua ». Et tandem in c. XXI ait : « Quaerendum est, utrum sonet id quod verberatur aut id quod verberat, aut utrumque; et dicemus quod *utrumque illorum sonat*, i. e. facit sonum altero et altero modo; verberans enim facit eum sicut percutiens primum; verberatum autem facit eum (uti) verberatum et expellens aurem a se ».

Quare in tota fere doctrina horum veterum auctorum, habetur nisi perfecte proposita, clare saltem praeformata theoria *undulationis*, quae communiter a recentioribus physicis docetur.

Quoad colores autem theoria haud parum differt a recentiori, eo praesertim, quia ipsi putabant in visione non haberi immutationem physicam sed tantum intentionalem. Et prius quoad *lumen*, ut ait Suarez « fuit *antiqua sententia, lumen secundum se nihil esse praeter ipsam coloris manifestationem*, quae sententia sua improbabilitate periit... Alii putarunt lumen esse corpus... Alia fuit sententia lucem esse formam substantialim solis » (1). Inde addit, « lucem et lumen aliqualiter distingui, lux enim dicitur *qualitas lucens prout est in fonte*... lumen vero illa *qualitas quae in medio recipitur*, diciturque tum *radius*... tum *splendor* ». Et quoniam de lumine non est omnium eadem sententia, ipse tuetur cum S. Thoma, « ipsum esse *qualitatem veram, habentemque proprium esse naturale et reale*... Lumen in aëre est qualitas per se visibilis tamquam obiectum... ».

Porro si res bene perspicitur, hoc *lumen*, quod est in aëre, idem esset ac undulationes luminosae a recentioribus communiter admissae; *lux* esset fons ille, ex quo eae oriuntur, seu causa, a qua producuntur.

Nunc de *colore* idem *Suarez* in cap. seq. ait : « Est certa sententia, colorem ad praedicamentum qualitatis pertinere, *quae tamen qualitas* sit, *non satis constat*. Nonnulli autumant colorem non esse peculiarem qualitatem in corpore colorato, sed esse lumen ipsum in corpore denso et solido receptum... quod *coloratur diverso modo iuxta diversas ipsius dispositiones* ». Quae sententia innititur praesertim in definitione Aristotelis aientis : *color est extremitas perspicui in corpore terminato*. Nihilominus ipse tuetur, « colorem esse qualitatem permanentem in corpore colorato, (etiamsi non illuminetur) resultantem in illo ex elementorum mixtione ».

B. Albertus M. inter alia ait : « satis convenienter dicunt quidam, quod lumen est intentio, spirituale esse habens in perspicuo, quemadmodum color est habens esse intentionale in medio : sed in hoc differunt, eo quod lux est forma nobilior et simplicior quam sit color, et ideo perficit perspicuum, et facit ipsum esse actu et hoc non potest facere color. Similiter autem dat *actu esse*

(1) *De Anima*, l. III, c. XIV, n. 1-5.

coloribus » (1). Et paulo post, in c. 14, ait : « lux abstrahit colores, et facit eos fieri in lucido secundum rectas lineas, ita quod processus colorum ad visum est, sicut procedens abstrahit eos lux ». Et clarius S. Th. « Lux dupliciter potest considerari, vel prout est in se, et sic dicitur lux, vel prout est in extrémitate diaphani terminati, et sic lux dicitur color, quia hypostasis coloris est lux, (quia in natura lucis omnes colores fundantur) et color nil aliud est quam lux incorporata » (2), vel ut alibi ait : « color nihil aliud est, quam lux quaedam quodammodo obscurata admixtione corporis opaci » (3).

Plures etiam inter recentiores scholasticos hanc explicationem secuti sunt, de ea P. Urraburu ait (4) « Mihi quoque secunda haec sententia satis probabilis videtur, ita tamen intellecta, ut si sermo sit de coloribus corporum, in iis pro eorum natura et structura supponenda sit exigentia peculiaris lucis-coloris, sicut in simili innuimus de sono ad explicandam illius indolem (*timbro*) ex notis harmonicis agnosci oportere in ipsis corporibus sonantibus proprietatem quandam, hunc sonum cum his, potius quam cum aliis notis harmonicis, emittere postulantem. Et huiusmodi exigentia hunc potius, quam alium colorem exigens, nempe quosdam radios absorbendo et ceteros reflectendo, potest vocari, si placet, color fundamentalis, a luce realiter distinctus; color vero formalis resultans ex actuali reflexione certorum radiorum re non distinguitur a luce, ut nobis quidem probabiliter dicendum videtur cum altera sententia... ».

Quoad *calorem* tandem S. Th. ait : « Duplex est causa caloris ex corporibus coelestibus in his inferioribus generati : una quidem causa est motus, alia causa est lumen... Non est autem intelligendum, quod mutua contritio vel confricatio corporis coelestis et aëris (intelligi debet : aetheris) sit causa caloris, sed solum motus aëris (aetheris) ex superiori motu coelesti corporis causatus » (5). « Itaque sol est causa caliditatis per motum » (6).

204. **Theoria recentiorum.** — Ad recentes quod attinet, sufficiat referre ultimas conclusiones, quas physici communiter tuentur. — 1) *Sonus*, *color*, *calor* propagantur per undulationes productas in aliquo medio apto aëre vel aethere), et quae percellunt organum sensuum nostrorum. — 2) Ad has undulationes producendas requiritur corpus suis praeditum viribus, quod aliqua ratione *moveat* aërem vel aethe-

(1) *De Anima*, l. II, tract. III, c. 12 (V. p. 255).
(2) In I. S., D. XVII, q. 1, a. 1, cfr. etiam Toletum, II *De Anima*, c. 7, q. 17.
(3) In l. II *De Anima*, lect. 14.
(4) *Psych.*, L. II, D. 3, c. 2, a. 6, n. 195.
(5) *S. Th.*, Quaest. disp., q. 5, de pot. a. 7, ad 19.
(6) *S. Th.*, in L. 2 de coel., lect. 10.

rem circumstantem, atque adeo diversas gignat undulationes, quas organum cuiusque sensus apposite a natura institutum recipit, et tunc facultas sensitiva ei alligata sentit. — 3) Quoad *sonum* corpus eos producit vibrando per percussionem vel contactum alicuius corporis, et tunc secundum diversam naturam, dimensionem, *diversas* quas habet *vires* seu *energias*, ut aiunt, et *diversam rationem illius percussionis* vel *contactus*, *diversas* gignit *undulationes*, quae constituunt diversos sonos, tum quoad notas musicales, tum quoad intensitatem, altitudinem, characterem. — 4 Quoad *colorem*, vel corpus gignit per combustionem diversas illas undulationes in aethere, et tunc ipsum dicitur etiam *luminosum*, et secundum diversas suas vires diversas producit undulationes, quae constituunt diversos colores, vel ipsum nequit eas producere et dicitur *opacum*, sed tamen habet vim retinendi in se quasdam undulationes a luminoso productas, et reiiciendi vel reflectendi alias, quae vulgo apparent ut undulationes ab eo productae. Ex quo sequitur quod lumen est productivum diversorum colorum, et corpus opacum est potius diffusivum illorum (inquantum eos reflectit). Et color qui dicitur ei inesse, est vis reflectendi illas determinatas undulationes, quae vis manet etiam in tenebris, quamvis nullas reflectat undulationes (1). — 5) Quoad *calorem* tandem ipse primo in se constituitur per illas undulationes, quae gignuntur ex diversis viribus corporis, quod calefit, et quoniam omne corpus habet determinatas vires ad has gignendas, omne corpus habet calorem, quamvis considerari et haberi possit etiam corpus sine calore. Praeterea facultas sensitiva i. e. tactus, diversis ornatur et oppositis papillis, quibus in se recipit vel emittit illas undulationes: et ex contactu cum

(1) Ideo in proprio sensu admitti possunt quae Ecclesia canit in hymno ad Laudes feriae IV:

Rebusque iam color redit
vultu nitentis sideris.

Cui concinit poëta noster Alexander Manzoni in hymno « La Pentecoste »:

Come la luce rapida
Piove di cosa in cosa
E i color vari suscita
Ovunque si riposa,...

Et iam ante praeiverat Virgilius in *Aeneid.*, l. IV aiens: *Rebus nox abstulit atra colores.*

corpore habente diversum gradum caloris, sentit calorem, inquantum aut emittit illas undulationes, si corpus est minus calidum, aut recipit, si est magis calidum.

Porro quamvis quidam adsint, qui hanc theoriam proponunt, vel denegando vel abstraendo a viribus corporum, earum tamen existentia non modo ei non opponitur sed eam potius complet ac perficit in campo philosophico, in quo praecipue curandum est eas investigare ac determinare. Ita haberi potest vera harmonia inter physicorum experimenta et philosophorum principia, quam in nostra sententia adesse modo demonstrandum suscipimus.

205. **Prob. I p.** — Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, praesertim si secus augentur difficultates, et multa offenduntur incommoda. Atqui hoc contingeret, si diceretur quod sonus, color et calor sint aliqua entitas simplex inhaerens corpori ipsi colorato, sonoro et calido. Ergo. — *Prob. m.* per partes. — Praecipua ratio, cur a quibusdam adstruitur illa entitas a ceteris distincta, in eo est, quod secus periclitatur obiectivus valor sensationis nostrae. Atqui hoc falsum est, ut iam innuimus in log. Th. XXIV et praesertim n. 144, II: aliae vero rationes faciliter diluuntur in solutione difficultatum. Ergo nulla adest ratio adstruendi huiusmodi entitatem.

Praeterea *multa offenduntur incommoda, si ea admittitur.* — Nam 1) quidam in ea fundant veracitatem sensuum. Atqui hoc dici nequit, quum illa veracitas certior sit quam existentia istius entitatis; quae demonstratione eget; quod vel ex eo patet, quia haec a multis denegatur, qui tamen priorem agnoscunt. — 2) Si admittitur haec entitas, ea, quum esset accidens, deberet semper inhaerere suo subiecto, nec posset ulla ratione transmigrare, per medium; ac proinde sensus deberet semper referri ad illam, *ut existentem in subiecto proprio*. Atqui saepe accidit quod sensus cognoscat colorem, sonum, quin sese referat ad tale subiectum uti evidenter apparet in occasu solis, et ordinarie contingit quoad sonum, quum non potest determinari, unde ipse veniat. Ergo. — 3) Imo auris nullo modo percipit *obiectum sonorum*, sed sonum aliquem determinatum, cuius subiectum per alium

sensum cognosci debet. Atqui si sonus esset qualitas inhaerens corpori, ipsum quoque corpus sonorum percipi deberet, quia obiectum sensuum est aliquid concretum. — 4) Item iuxta communiorem antiquorum et ipsius S. Thomae sententiam, *sonus* non habetur nisi in *medio apto in motu posito* (1); et quoad colores, ii qui, uti Suarez, censebant eos inesse corpori colorato, cogebantur distinguere colores *apparentes* a realibus, et fateri: « difficile est veros colores ab apparentibus discernere » (2). Atqui sententia illa, numquam a scholasticis improbata fuit. Colores et isti *apparentes*, uti modo omnibus constat, iidem sunt ac veri colores, et certe nullo modo explicari possunt per entitatem inhaerentem corpori colorato. Ergo.

Prob. II p. — Obiectum proprium cuiusque sensus est illud quod eos immutat et determinat ad actum cognitionis. Atqui obiectum quod immutat oculum, aurem et tactum in sensatione coloris, soni et caloris sunt determinatae undulationes ortae ex viribus corporis colorati, sonori et calidi, quae movent aërem vel aetherem vel papillas tactiles. Ergo. — *Pr. m.* — Et sane ut iterum confirmetur, auris non percipit nisi undulationes aëris, quae eam percellunt, et *per se* ignorat corpus illud a quo producuntur: item oculus suas percipit undulationes, et quamvis semper referatur ad obie-

(1) Quidam recentiores scholastici aiunt, sonum existere in corpore vibrante uti *nisum* seu impulsum, ex quo continuetur motus in aëre: *iste nisus est qualitas*, ait e. g. P. Lahousse (*Cosmol.* 225). Item P. De Backer ait: « motus localis praesupponit in corpore moto qualitatem alterativam h. e. *nisum* seu *impulsum* ». Cfr. etiam P. De San (*Cosm.*, p. 335-340) qui fusius evolvit propriam rationem huius nisus. Sed revera non videtur huiusmodi *nisus* proprie constituere ipsum sonum, uti patet ex iis quae diximus, quamvis ipse dicendus sit praecipua pars constitutiva et specificativa soni, ut melius patebit inferius. Dum contra sententia nostra communis est inter scholasticos. Ut etiam P. De. Backer testatur: « communis sententia tenet cum angelico Doctore sonum non esse qualitatem corporis sonantis, sed inesse in medio », l. c. 104. Nostra sententia igitur omnino conformis est doctrinae S. Thomae.

(2) *De Anima*, l. IV, c. 15, n. 7. Et in n. 15 ad explicandos hos colores apparentes ait: « si causa non appareat sufficiens ad producendum colorem, maxime si ex parte rei visae non sit facta variatio, sed ideo tantum varii colores appareant, quia potentiae applicatio, situsve fuit variatus, tunc plane deceptio quaedam potentiae est: sicque sentiendum de coloribus, qui in collo columbae apparent, ac etiam de illo, qui per reflexionem lucis ex vitro colorato conspici putatur... ». Atqui nunc nemo dicit hic haberi deceptionem potentiae, uti praesertim in analysi spectrali patet. Ergo.

ctum coloratum, a quo ipsae producuntur, non semper ac necessario refertur ad illud, a quo primo producuntur, uti noscimus accidere in occasu solis, in perceptione astrorum ac stellarum; et lactus percipit calorem prout recipit aut emittit undulationes. Atqui istud obiectum est praecise effectus virium corporis, quae simul cum motu constituunt undulationes quae agunt in organum. Ergo.

Confirmatur *a) ex analysi spectrali.* — Si inter obiectum, quod apparet albus, et oculum prisma aliquod interiacet, corpus non apparet amplius album, sed in eo deprehenditur integra scala colorum. Et pariter per meram disci celerem rotationem colores illi iterum mutantur in album, et cum cessatione rotationis iterum habentur iidem colores. Atqui hoc phaenomenon recte explicatur in nostra sententia et pugnat cum priori. Si color enim est entitas simplex existens in corporibus, intelligi nequit, quomodo per prisma immutatur; si vero constituitur per undulationes, res plane explicatur. Nam prisma influit in ipsum motum secundum leges *refractionis* ac *reflexionis*, et tunc undulatio aëris mutatur, et non apparet amplius color albus sed integra scala colorum et vicissim accidit per rotationem disci.

b) Ex *mutatione luminis*. - Nam mutato lumine colores quoque corporum mutantur; ita e. g. vestes virides et caeruleae facile distinguuntur in lumine solari, vix autem distingui possunt in lumine candelarum, sed ambae virides apparent. Atqui hoc in nostra sententia, facile intelligitur. Nam lumen candelarum vix continet radios caeruleos, sed abundantes radios virides, et ideo isti tantum reflectuntur et diffunduntur a corpore, quod proinde viridum apparet.

c) Ex *coloribus interferentiae*. — Nam in quibusdam corporibus e. g. in bullis saponis, in collo columbarum, in cauda pavonum, modo hic modo alius apparet color iuxta diversum situm aspicientis. Atqui hoc, ut recte ait P. Lahousse ibid. n. 301, contingit « pro diverso situ relativo aspicientis bullulas, pro diverso angulo quem cum bullula efformant radii lucis ». Iamvero hoc idem ostendit colores constitui per illas undulationes, quae certe pro diverso *situ* vel *angulo* mutantur. Ergo.

d) Item quoad sonum alia adest confirmatio. Nam auris saepe percipit ac clare distinguit diversos sonos, qui simul audiuntur; ac proinde in eodem medio aëris, quod organum afficit, debent esse actu illi diversi soni. Atqui si isti soni sunt qualitates simplices existentes in subiecto, a quo communicantur aëri, certe non possent simul afficere organum. Nam una actio nequit communicare nisi unam simplicem entitatem. Si vero soni sunt complexus virium elasticarum corporis sonoris et aëris ab eo in motu positi, res clare explicatur. Tunc enim in aëre habentur diversae undulationes, quae simul organum auditus afficiunt, in hoc autem magna invenitur fibrillarum multiplicitas, in quas terminat nervus acusticus, quae proinde aptae sunt ad diversas illas undulationes recipiendas. Ergo (1).

e) Pariter diversimode soni percipiuntur a duobus auditoribus, ex oppositis partibus adstantibus, vel quia ipsi moventur, vel quia corpus sonorum movetur. Atqui haec diversitas plane intelligitur in nostra sententia. Ergo. — *Pr. m.* — 1) quum corpus aliquod sonat et duo auditores *A* et *B* adstant ex opposito cum distantia e. g. 500 passuum, in primo instanti eundem audiunt sonum, e. g. in *fa*. Si vero uterque moveatur secundum eandem directionem, et consequenter alter, e. g. *A* magis ab eo recedat, alter *B* magis accedat, post decem vel viginti passus prior sentit sonum toni minoris e. g. in *mi*, alter toni maioris e. g. in *sol*: et ratio est, quia prior recipit undulationes cum minori celeritate, alter cum maiori celeritate. — Item 2) Si *A* et *B*, ex opposita parte adstantes distant a corpore sonante in medio posito per 500 passus, in primo instanti sentiunt sonum in *fa*, si vero corpus sonans movetur versus *B* post viginti passus item *A* sentit sonum in *mi*, *B* sentit in *sol*; et ratio est, quia ipsae undulationes, quas recipit *A*, aliae sunt ac undulationes, quas recipit *B* (2). Atqui haec duo phaenomena plane osten-

(1) Hoc argumentum instaurari posset pro *phonographo*: ibi enim in uno papyro tot inveniuntur soni diversi, et quod maius est, saepe in eodem puncto. Nam quum istud tangitur ab extremitate acus in motu, diversos exhibet sonos, et quandoque miros concentus, qui simul audiuntur, et proinde ex eodem puncto, quod ab acu tangitur ortum habuerunt.

(2) Sedulo adverte discrimen intercedens inter haec duo exempla. In primo enim diversitas soni est non ex diversitate undulationum, sed ex diversitate re-

dunt sonos variari et constitui per diversas undulationes, productas a viribus corporis vibrantis et a diverso motu ab eis effecto in aëre. Ergo.

Tandem quoad *calorem* res clarius patet, ut eruitur ex eius natura breviter proposita in n. 202, 3°. Ex quo intelligitur etiam, cur diversa corpora eundem calorem habentia ut diversimode calida percipiantur; vel etiam corpora diversa calida eodem modo, aut diversa prorsus ratione a diversis sentientibus percipiantur...

De mente S. Th. dicendum videtur, ipsum principia statuisse, ex quibus sententia nostra aperte deducitur. Quoad sonum enim, ipse aperte dicit quod *sonus in actu est medii et auditus non autem subiecti sonabilis*, uti retulimus in n. 199. Hoc autem perinde valet ac sonus non est aliqua entitas simplex existens in corporibus, sed effectus virium, quae aërem, qui est praecise medium, in motu ponunt. Atqui eadem ratio valet pro colore et calore; scimus enim lucem et calorem propagari per undulationes aëris eodem modo ac sonus. Ergo.

206. **Coroll.** I. — *Ergo patet, quomodo revera iuxta nostram sententiam reapse color, calor et sonus existunt formaliter in rebus et non tantum in sensationibus.* — Tunc enim obiectum existit formaliter in rebus, quando in eis invenitur totum illud quod constituit eius formalem rationem independenter a nostra cognitione. Atqui totum id quod constituit formalem rationem coloris, caloris et soni existit in rebus independenter a nostra sensatione. Ergo (1).

ceptionis earundem in organo auditus. In altero vero diversitas est praecise ex diversitate undulationum, independenter a receptione: atqui hoc ostendit sonos diversificari et in re constitui independenter ab ipsa sensatione. Ergo hinc novum habetur argumentum contra eos, quos refutavimus in thesi praecedenti.

(1) Si quaeris autem utrum praeter istas undulationes productas a propriis viribus corporum admittenda sit aliqua qualitas eis inhaerens, accipe responsionem quam dat P. Salis Seewis cui nos quoque adhaeremus. « Dall'esposizione con buone ragioni e con ottime riprove dimostrato che il suono e così la luce si diffonda per via d'una commozione del mezzo e che la sensazione non si desta senza un'azione esercitata sull'organo del mezzo così commosso, non ne segue per sè che le onde o sonore o luminose siano formalmente tali pel solo moto che contengono... che sarà ben vero non darsi lume o suono senza moto, ma sarà vero altresì doversi ammettere nelle onde oltre al moto qualche altra

Si vero quaeris; quid sit hoc obiectum in se spectatum; *resp.* — est complexus determinatae vis inhaerentis alicui corpori, et motus ab ea producti in aliquo medio praesertim aëris vel aetheris), unde exurgit determinata undulatio afficiens organum, quae formaliter constituit propriam rationem alicuius coloris, soni, caloris.

Ea autem constituitur ac specificatur in sui intrinseca ratione principaliter per illam vim inhaerentem corpori, cui solet tribui color, sonus, calor, et secundario ex diversa natura tum motus producti, tum medii in quo motus producitur, tum etiam organi eam recipientis.

Unde sequitur, quod si unum ex istis elementis mutatur, obiectum diversimode percipitur, quamvis illa vis inhaerens corpori eadem semper maneat. Et sensus nullo modo fallitur, percipiendo obiectum diversum: hoc enim non est sola vis corpori inhaerens; quae eadem manet sed totus ille complexus, modo descriptus, qui revera est diversus. Quique proinde nullo modo dici potest *entitas simpler inhaerens illi corpori.* At certo existit in rebus secundum totam sui formalem rationem, independenter a perceptione sensuum.

207. **Dices:** I. Quod testatur communis hominum sensus, uti certum haberi debet. Atqui sensus communis testatur colorem... esse in corpore colorato. Ergo. — *R. D. M.;*... quando cognitio versatur circa obiectum proprium, *c.;* si versatur circa obiectum commune vel circa intimam naturam rei, *subd.;* si sensus ille communis oritur ex cognitione unius sensus, *n.;* si ex cognitione plurium sensuum et etiam intellectus, *c.* — *Contrad. m.;* et ipse oritur ex uno sensu et circa coloris situm, qui non est obiectum proprium, *c.;* ex pluribus..., *n.*

II. Iuxta hanc sententiam illae qualitates non sunt nisi undulationes. Atqui istae reducuntur ad motum. Ergo et illae. — *R. D. M.;*... undulationes quae in se determinantur ac specificantur a propriis viribus illius corporis quod vibrat aut movet aethe-

cosa atta a determinare la sensazione, alla quale perciò si apparterrà in proprio il nome di lume o quel di suono.

Noi discutemmo già quanto era d'uopo questo punto relativamente al suono e poste a fronte le due dottrine, l'una delle quali ripeteva la sensazione dell'udito dai suoi tremiti dell'aria debitamente commossa, comunicati all'organo, l'altra le ripeteva dall'azione di una speciale qualità destatasi nell'aria per quel commovimento; dovemmo conchiudere che quelle opinioni erano filosoficamente probabili ». *Civiltà Cattolica,* serie X, v. 8º, 1878, p. 296.

rem, *c.;* quae constituuntur independenter ab his viribus, *n.* — *Contrad. m.*

III. Qualitates illae sunt aliquid in rebus permanens. Atqui undulationes sunt aliquid transiens. Ergo. — *R. D. M.;* vires illae quae determinant undulationes, *c.;* totum illud quod constituit rationem coloris, soni et caloris... *nego* donec probetur. — *Contrad. m.* integre spectatae secundum totam rationem coloris..., *c.;* spectatae in sua origine..., *n.*

IV. Sensus eodem modo testantur existentiam coloris et soni in rebus sicut quantitatis ac figurae. Atqui quantitas ac figura est determinata entitas, quae in rebus existit sicut refertur a sensibus. Ergo. — *R. D. M.;*... existentiam horum omnium inquantum sunt diversa obiecta realia, quae diversimode afficiunt sensus, *c.;* etiam secundum intrinsecam naturam, *n.* — *C. m.* — Et eodem modo *D. C.* — Nam, ut scite ait S. Th. (1) « sensus est apprehendere hoc coloratum, intellectus autem ipsam naturam coloris ». Unde quamvis non agnoscamus dari colorem in ipsis rebus, quas dicimus coloratas, rite assignamus obiectum in rebus respondens cognitioni sensus, sicut agnoscitur aliquid extensum, figuratum... etc. Nec ullo modo requiritur ad obiectivum valorem cognitionis sensuum vindicandum statuere, qua ratione qualitates sensibiles in rebus insint. Eo vel magis, quia fere de unaquaque magna adest difficultas et controversia in determinando, quid ipsa sit (2).

V. *Instas* : saltem dicendum quod oculus cognoscit colorem, uti qualitatem existentem in corpore colorato. Atqui hoc denegatur. Ergo. — *R. D. M.;* uti qualitatem generice sumptam, *c.;* specifice determinatam, *n.* — *Contrad. m.* Porro qualitas generice spectata, non est nisi modificatio quaedam rei in qua inest; quid autem sit illud quod modificat, vel entitas una simplex, vel complexus virium, hoc pertinet ad specificam eius rationem, et ab oculo nullo pacto percipitur.

Quocirca quoniam nos admittimus in ipsis rebus qualitatem determinatam, quae valeat gignere in aëre vel aethere determinatas undulationes, quibus proinde constituitur integra et completa ratio coloris, soni... etc., probe omnino videmur tueri veracitatem sensuum, qui referunt ad illas res huiusmodi qualitates.

VI. Cognitio nostra determinatur a rebus non modo tamquam a causa efficiente, sed etiam tamquam a causa formali. Atqui causa formalis constituitur per simplicem quandam entitatem. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. determinatio quae habetur in facultate se habet ut causa formalis, *c.;* res quae producit illam determinationem, *subd.;* est causa formalis, quatenus producit illam determinationem secundum aliquam virtutem quae immediate afficit sensus, *c.;* necessario secundum aliquam virtutem

(1) *De Verit.*, q. 28, a. 1; cfr. etiam *S. Th.*, I. p., q. 78, a. 3.
(2) Cfr. etiam P. Pesch, *Logica*, II, n. 647.

simplicem inhaerentem rei..., *n.* — *Contrad. m.* causa formalis determinans aliquod subiectum, *c.*; causa quae producit determinationem, *subd.*; eodem modo ac supra.

208. II. — *Ergo patet obiectum proprium nostrorum sensuum esse aliquid reale existens extra nos et non purum phaenomenon.* — Et sane, obiectum proprium est illud *quod est de se immutativum cuiusque sensus.* Unde primo ac per se percipitur, et est ratio cur alia percipiantur. Vocari etiam solet obiectum *motivum*, utpote quod proprie movet facultatem ad cognitionem. Atqui id quod immutat atque de se movet sensum non est sola quaedam vis, sed aliquid reale hac vi praeditum distinctum a sensibus quod organum afficit, quod sicut praeexistat oportet ante ipsam affectionem, ita pergit postea existere. Atqui rursus hoc dici nequit purum phaenomenon. Ergo.

III. — *Ergo sensus percipiunt etiam substantiam ut subiectum affectum illis qualitatibus quae per se immutant sensus.* — Sensus enim percipit illas qualitates, quae constituunt eius obiectum proprium, eo modo quo ab eis afficitur.

Atqui afficitur ab eis, prout istae actu existunt in aliqua substantia ut in proprio subiecto. Nam illud quod afficit sensum non est qualitas sola abstracta, sed qualitas concrete existens in aliquo subiecto seu substantia. Ergo.

Ipsa autem merito dicitur *obiectum per accidens* relate ad sensus, siquidem obiectum per accidens est illud quod non immutat sensus, sed tantum accidit ei quod immutat, et hac ratione aliquo modo a sensibus cognoscitur; huiusmodi autem est ipsa substantia corporea et natura illarum rerum, quae per suam actionem afficiunt sensus. At sensus per *accidens* percipiunt quidem quod dantur diversae substantiae, praeditae diversis accidentibus seu qualitatibus, ac diversae vires, quae diversimode in eos agunt; sed minime apprehendunt determinationem propriae et intrinsecae rationis cuiusque substantiae, eiusque vis activae vel formalis, et ultimam rationem, qua unaquaeque earum in seipsa constituitur et ab aliis secernitur; haec omnia tantum ab intellectu apprehenduntur.

Conclusio contra idealistas. — Ergo solutio quaestionis circa naturam obiecti sensuum melius adhuc pate-

facit falsitates idealistarum omnium, quos proinde nullo modo vacat singillatim refutare. Ex ea enim doctrina Aristotelico-scholastica nova induitur luce, novamque recipit confirmationem, atque iterum apparet infallibilitatem sensuum nostrorum nullo modo nutare, sed rectam tutamque manere etiam cum principiis recentiorum physicorum. Quippe ea etiam necessario expostulant, ut reapse in rebus existat obiectum, quod percipiatur a nostris sensibus, omnino independenter ab eis. Determinatio vero naturae seu propriae rationis cuiusque non ad sensum, sed ad intellectum pertinet.

Nunc autem, aliis omissis, naturam singulorum sensuum investigandam aggrediamur oportet.

ARTICULUS IV.

DE NATURA SINGULORUM SENSUUM.

209. **Ordo rerum.** — Natura singulorum sensuum dupliciter spectari potest; vel *physiologice*, inquirendo propriam cuiusque structuram; vel *philosophice*, investigando rationem, secundum quam ipsi agunt et ad invicem distinguuntur. Primum, uti innuimus, ad nos non pertinet : alterum autem quoad sensus externos, non multa indiget inquisitione. Omnes enim in eo conveniunt, quod distinguuntur tot sensus externi, quot sunt diversa obiecta formalia, circa quae ipsi versantur, et diversa organa, quibus utuntur. Hinc communiter quinque sensus distingui solent : *visus*, *auditus*, *odoratus*, *gustus* et *tactus*. Quoad tactum vero quaestio agitatur, utrum sit una facultas vel multiplex, ipse enim sentit extensionem, duritiem, calorem, dolorem...; ideo quidam distinguere vellent diversas facultates iuxta haec diversa obiecta, circa quae versatur (1). Praestat interim exhibere

(1) Fredault nonnullas recenset horum opiniones, omnino inter se diversas, ex quibus abunde patet, quam difficile sit alias facultates inter se distinguere. Et sane « Cardan (*De subtilitate*, lib. VIII) subdivise le toucher en quatre sens différents: le premier pour le chaud, le froid, l'humidité et le sec: le second pour la douleur et le plaisir; le troisième pour les plaisir vénériens, et le quatrième pour la pesanteur. — Lamy mettait au nombre des sens la faim, la soif, la luxure; c'était confondre les sensations et les sens internes. — Buffon vantait un sens particulier pour la volupté, ce qui était

brevem eorum descriptionem, simul ostendendo rationem, quam ad invicem huiusmodi sensus praeseferunt.

210. **Structura organica sensuum** — Facultates omnes sensitivae alligatae sunt diversis organis, cum propriis nervis, qui colligantur cum uno centro in cerebro. Porro ut habeatur sensatio, requiritur ut ipsi connaturales excitationes a rebus debito modo recipiant, ac proinde nervis congruis huic fini instructi sint. Praeterea, cum id natura proprii *incitamenti* postulat, certis nervorum speciebus certi adnectuntur apparatus, ut sic singuli nervi, mediis hisce apparatibus, possint a propriis suis incitamentis convenienter immutari. Hinc habentur *externa sensoria* quae, praeter hos nervos subsecivas quasdam partes comprehendunt, protegendo organo destinatas.

Per huiusmodi externa sensoria animal commercium veluti init cum rebus externis, suae vitae accomodatum ad ipsam conservandam ac tuendam; ideo necesse fuit animal a diversis obiectis moveri sive contiguis, sive distantibus, per actionem, qua diversae excitantur sensationes.

Haec inter sensoria eminet non quidem dignitate sed amplitudine *organum tactus*, quippe quod in dermate totam

inacceptable, puisque celle-ci n'est qu'un plaisir, et que chaque sens peut être cause de plaisir. — Carus admet un sens spécial pour la perception de la chaleur... — De Blainville croyait à un sens général répandu dans tout l'organisme; ce qu'on ne peut admettre sans un objet sensible général, qui n'existe pas. — Gerdy, confondant les sens externes et les sensations, a étudié le tout ensemble sous le titre général de sensations, et admit la classification suivante: — 1° Sensations physiques produites par des agents extérieurs, comprenant dix espèces. — 2° Sensation de l'activité. — 3° Sensation de fatigue. — 4° Sensation de besoin: de se mouvoir, respirer, boire, manger, dormir. — 5° Sensations spontanées: fourmillement, picotement, frisson, douleur... — (*Physiol. philosoph. des sensations et de l'intelligence*, Paris, 1846).

M. Landry a proposé de diviser les sensations tactiles en quatre genres: 1° L'activité musculaire, 2° de contact, 3° de température, 4° de douleur — (*Traité des paralysies*, t. Ire, pag. 178 et suiv., Pars., 1859). — Si l'on ne veut tomber dans une confusion effroyable où il ne sera plus possible de rien démêler, nous croyons qu'il faut nettement distinguer les sens externes et les sensations internes, qui ont des objets fort différents, les uns destinés à nous faire connaître ce qui est en dehors de nous, les autres nous faisant connaître nous-mêmes ». M. Fredault, *Traité d'Anthropologie*, p. 386. Cfr. Colin, *Physiologie comparée*, tom I, p. 284; Milne Edwards, *Leçon sur la Physiologie*, tom. 13, p. 312, in nota.

pervadat corporis superficiem. In hoc dermate reperiuntur papillae quaedam, corpuscula continentes peculiari structura praedita, quae sensationem percipiunt per *physicam* et *immediatam* immutationem a proprio suo incitamento. — Non omnes corporis partes aequali gaudent virtute ad hanc sensationem exercendam, quae potissimum pendet a multitudine ac subtilitate nervorum, qui in diversa parte reperiuntur. Eius obiectum est multiplex: magnitudo, gravitas, laevitas, durities, calor, motus et opposita. Hinc quidam occasionem accipiunt ad distinguendas diversas facultates tactiles. Sed bene advertit ad rem S. Th. (1). « Sensus tactus est unus genere sed dividitur in multos sensus secundum speciem et propter hoc est diversarum contrarietatum); qui tamen non separantur ad invicem secundum organum, sed per totum corpus se concomitantur et ideo eorum distinctio non apparet... Posset tamen dici, quod omnes illae contrarietates singulae conveniunt in uno genere proximo, et omnes in uno genere communi, quod est obiectum tactus secundum rationem communem. Sed illud genus commune est innominatum, sicut etiam genus proximum calidi et frigidi est innominatum ».

211. **Natura organi tactus.** — Quodnam ipsum sit, difficile est determinare, ac diversa est physiologorum opinio. Quidam existimant ipsum constitui per corpuscula, quae in papillis dermatis insunt. At potius dicendum, ipsa inservire ad augendam tantum sensationem tactus, quae tamen habetur in aliis quoque corporis partibus. Ideo alii asserunt omnes nervos per cutem diffusos constituere organum tactus.

Ex quo sequitur, organum tactus diffundi etiam per organa aliorum sensuum, quod ita pulcherrime explicat S. Th. 2). « In rebus ordinatis oportet primum modum includi in secundo, et in secundo inveniri non solum id quod sibi convenit secundum rationem propriam, sed quod competit secundum rationem primi; sicut... videmus in sensibilibus, quod quum sensus tactus sit quasi fundamentum aliorum sensuum, in organo uniuscuisque sensus non solum invenitur

(1) *S. Th.*, I p., q. 78, a. 3 ad 3.
(2) *De Verit.*, q. XXII, a. 5.

proprietas illius sensus, cuius est organum proprium, sed etiam proprietas tactus; sicut organum sensus visus non solum sentit album et nigrum, inquantum est organum visus, sed sentit calidum et frigidum, et corrumpitur ab eorum excellentia secundum quod est organum tactus ».

Dum contra reliqua sensoria determinatam corporis partem, eamque satis exiguam, occupant.

212. **Alia organa sensuum.** — Et primo de organis *olfactus et gustus*. Utrumque maxime inservit in bonum vitae vegetativae. Nam organum gustus, in anteriori gula positum, arcet animal ab alimento nocivo, ad congruum pellit; olfactus, respirationis organo praefixus, animali medium suppeditat discernendi inter bonas malasque corporum aëriformium qualitates. Utriusque incitamentum agit *ad instar vis chimicae*, quae cum nervi substantia chimicam gignit combinationem. Sed differt status cuique incitamento ad influendum necessarius: in organum enim olfactus non agunt nisi corpora, in quantum statum nacta sunt aëriformem, gustus vero substantiis tantum afficitur, quae vel liquidae sint, vel ope salivae solubiles. Et ipse etiam olfactus suas habet, easque non minimas, partes in gustationis opere.

Organum gustus in multis oris partibus locum habet, praecipue in extrema lingua, in qua potissimum sunt nervi gustatorii, inter quos eminet nervus glosso-pharingeus. Sensatio habetur, quum substantiae quaedam aptae, in aliquo liquido praecipue in saliva dissolutae, illos nervos excitant.

Organum olfactus constituitur ex membrana *pituitaria narium*, tamquam ex parte externa, et ex nervis olfactoriis, qui ex centro ad ipsam usque extenduntur. Sensatio contingit, quum particulae volatiles corporis odorosi per aëra diffusae nares penetrent ac nervos illos irritent.

Organum auditus movetur a certis aëris undulationibus, quae sensationem soni gignunt. Et quoniam sonus existit formaliter in huiusmodi undulationibus productis a corpore quodam sonante, sequitur hoc quoque organum reduci de potentia ad actum sensationis per immediatum contactus obiecti excitantis. Ipsum iterum constat ex parte externa, quae aures nuncupatur, et interna, nempe ex diversis ner-

vis auditoriis. Ex auricula meatus auditorius cartilagineus et osseus ad ipsos ducit, intercedit tamen media *Membrana tympani*, qua *cavum tympani* claudituv. In interiore parte istius sunt *Fenestra vestibuli*, *Fenestra cochleae*, *Promontorium*, *Eminentia pyramidalis*, *Semicanalis tensoris tympani*. In ipso cavo insuper sunt *ossiculae auditus*, quae instar catenae vibrationes tympani ad labyrinthum transferunt, in qua reperiuntur *vestibulum*, *canales semicirculares*, *cochlea*, in hanc introducitur *nervus acusticus*, qui in plurima partitur filamenta, quorum termini speciali ratione constituti reperiuntur.

Organum visus interne constituitur *nervis visualibus* seu *opticis*, externe vero oculis sive bulbis, qui ad instar camerae obscurae constructi sunt. In istis oculorum bulbis multae distinguuntur partes cum nervis ac musculis propriis, nempe *Sclerotica* et *Cornea*, *Choroidea* et *Iris* in qua media reperitur *Pupilla*, tandem *Retina* seu *Tunica nervea*, quae *cerebrum oculi* etiam appellatur. Ista quinque constat membranis, quarum 1ª continet bacillos et conos, 2ª granulos, 3ª cellulas, 4ª fibras, 5ª est extrema membrana omni structura expers.

In medio oculo adest *corpus vitreum* et *Lens crystallina* triplicem continens humorem: *aqueum*, qui anteriorem oculi cavitatem implet, *crystallinum*, qui in centro oculi adest tenui pellicula involutus, quae *Aranea* vel *Arachnoidis* appellatur; et *vitreum*, qui posteriorem replet oculi cavitatem, pellicula contentus, quae Hialoidis dicitur.

Sensatio oculi habetur, mediantibus aetheris vibrationibus seu undulationibus, productis a corpore luminoso in organo oculi. Ibi reproducitur physica rei imago realis in retina et ea, quae *virtualis* dicitur in pupilla, quae *parva pupa* nuncupari solet. Ratio autem, qua huiusmodi undulationes progignuntur, propagantur et organum afficiunt, fuse explicatur a cultoribus disciplinae opticae; ad quos haec quaestio, utpote experimentalis, solvenda pertinet.

Hac brevi singulorum organorum descriptione proposita, haud difficile erit quinarium numerum sensuum externorum vindicare.

Thesis XXXIX.

Rite quinque sensus externi specifice inter se diversi distinguuntur: tactus, gustus, odoratus, auditus ac visus.

213. **Praenota.** — Rationem distinctionis et numeri sensuum exteriorum quidam accipere voluerunt ex parte organorum in quibus aliquod elementorum dominatur, vel aqua, vel aër, vel aliquid huiusmodi: quidam autem, ex parte medii, quod est vel coniunctum, vel extrinsecum: et hoc vel aër, vel aqua, vel aliquid huiusmodi: quidam autem ex diversa natura sensibilium qualitatum, secundum quod est qualitas simplicis corporis, vel sequens complexionem. Sed nihil istorum conveniens est. Non enim potentiae sunt propter organa, sed organa propter potentias: unde non propter hoc sunt diversae potentiae, quia sunt diversa organa: sed ideo natura instituit diversitatem in organis, ut congruerent diversitati potentiarum. Et similiter diversa media diversis sensibus attribuit secundum quod erat conveniens ad actus potentiarum. Naturas autem sensibilium qualitatum cognoscere non est sensus, sed intellectus. Accipienda est ergo ratio numeri, et distinctionis exteriorum sensuum secundum illud, quod proprie et per se ad sensum pertinet. Est autem sensus quaedam potentia passiva, quae nata est immutari ab exteriori sensibili. Exterius ergo immutativum est quod per se a sensu percipitur, et secundum cuius diversitatem sensitivae potentiae distinguuntur » (1).

Porro hoc diversum sensibile diverse etiam immutat facultatem. Ergo merito ex diversa immutatione eruitur diversitas facultatum. Et ita argumentum confici potest.

Probatur. — Tot potentiae externae distinguendae sunt, quot sunt earum diversae immutationes. Atqui distingui potest quintuplex immutatio. Ergo.

Pr. m. — Habetur immutatio in qua obiectum percellit organum: — 1) per solam diffusionem undularum a corpore luminoso vel illuminato, uti est *color*: — 2. per undulatio-

(1) S. Th., I p., q. 78, a. 3.

nes productas a vibratione corporis, uti est *sonus* : — 3) per immutationem alterativam secundum processum physicum vel chimicum a rebus aëriformibus, et habetur *odor*: — 4) per immutationem naturalem etiam organi secundum processus chimicos a rebus fluidis, habetur *sapor*: — 5) per immediatum contactum cum corpore physice immutante organum per qualitates tangibiles ut e. g. *mollities*, *duities* etc. Atqui istae immutationes diversimode afficiunt sensus. Ergo.

Praeterea distinctio sensuum desumi potest ex distinctione actuum et obiectorum iuxta th. VII. Atqui potentiae, imo omnia entia, per illud idem quo specificantur, etiam distinguuntur. Ergo ex diversis actibus et obiectis desumenda est distinctio sensuum. Atqui rursus actus horum sensuum eorumque obiecta formalia specifice differunt inter se. Ergo. — *Pr. m.*, Actus horum sensuum in se inspecti diversimode exercentur, ut ex physiologorum experimentis colligitur, et ex diversis nervis ad id necessariis confirmatur. Inspecti autem in ordine ad obiecta, circa quae versantur, specificantur secundum diversa obiecta formalia, quae attingunt. Atqui obiecta formalia horum quinque sensuum specifice differunt inter se. Ergo (1).

214. **Dices:** I. Obiecta formalia visus et auditus sunt undulationes. Atqui istae non constituunt duo obiecta. Ergo. — *R. D. M.;...* simplices undulationes, *n.;...* undulationes qua productae sunt a diversis viribus obiectorum, *c.* — *Contrad. m.*

II. Obiectum tactus sunt extensio et calor. Atqui haec sunt duo obiecta formalia. Ergo. — *R. D. M.;* ita ut utrumque percipiatur per *tangibiles qualitates*, *c.;* per diversas formalitates, *n.* — *Contrad. m.*

III. Obiectum intellectus latius patet quam omnia obiecta sensibilia. Atqui illud apprehenditur ab una facultate. Ergo. — *R. D. M.;* ita ut illud apprehendatur sub una communi formalitate, ista sub diversis formalitatibus, *c.;* ita ut haec etiam apprehendantur sub eadem formalitate, *n.* — *C. m.* — Ad rem S. Th. « Quum potentiae sensitivae distinguantur ex obiectis et varia immutatione illarum, necesse est unum esse intellectum et plures sensus : intellectus enim obiectum est universale, atque adeo ens ut ens, obiectum vero sensus est singulare quod multiplex est... » (2).

(1) Cfr. P. Pesch, *Psych.*, n. 521.
(2) *De Anima*, L. III, l. 2.

215. **Scholion. — De sexto sensu.** — Plures inveniuntur inter recentiores, qui censent hunc sensuum numerum augendum esse. Nos revera primo non negamus *possibilitatem* recensendi alios sensus praeter commemoratos, quum argumentum nostrum non sit penitus exclusivum, et forte quis posset adhuc distinguere tactum in plures sensus, iuxta ea quae innuimus in n. 208. Nihilominus non tam faciliter adstruendus est sextus sensus, quem recentiores proponunt, ob operationes quas patet exerceri ab uno e sensibus recensitis. Ita quidam adstruunt sensum, quem vocant *orientationis* seu directionis. Porro ad hoc sufficit facultas locomotiva directa a cognitione diversorum sensuum externorum, e. g. visus et auditus cum cognitione sensus communis et phantasiae. Alii adstruunt *sensum* quendam *vitalem*, quo percipimus interna phaenomena vitae vegetativae e. g. *famem*, *sitim*, *lassitudinem*, vel vitae sensitivae, *e. g. dolorem*, *delectationem*... etc.

Sed haec omnia pertinent ad cognitionem sensuum internorum et explicari possunt per tactum quendam internum seu per irritationem internorum musculorum seu nervorum, et per appetitum, qui inde enascitur, aversionis vel desiderii. — Et sane *dolor* oriri videtur ex *facultatis sensitivae vel cuiusdam partis eius a recto ordine defectione;* quae exurgere potest vel ex obiecto quod inordinate immutat organum, vel ex huius laesione. Et quoniam haec defectio opponitur ordinationi et fini facultatis, enascitur in ea *sensatio doloris* (1) et appetitus aversionis. E converso *delectatio* habetur *ex aptitudine* seu *convenientia obiecti cum propria facultate*, quae proinde in ipso quiescit ac delectatur « In delectatione duo sunt, ait S. Th. (2), scilicet perceptio convenientis, quae pertinet ad apprehensivam potentiam, et complacentia eius, quod offertur ut conveniens, et hoc pertinet ad appetitivam potentiam, in qua ratio delectationis completur ».

Idem dicendum de sensatione *famis* et *sitis*, quae enascitur ex privatione obiecti debiti, ex quo proinde gignitur passio in organis sensitivis, quae huiusmodi obiecto indigent, iterum coniuncta cum sensatione doloris. Porro cum difficile sit determinare proprium organum harum sensationum, merito dicitur ipsum esse tactum internum (3). Unde etiam Aristoteles inquirit (4), num tactus, qui est unus genere, dividi possit in plures sensus secundum speciem: quod non videtur repugnare. Sed tunc non haberetur novus sensus addendus prioribus, sed tantum quaedam subdivisio unius ex ipsis.

Tandem quoad sensum *localizationis*, ipsum nullum esse, ex eo facile evincitur, quia cognoscere situm vel locum pertinet ad diversos sensus. Siquidem quantitas, et ea, quae ipsam conse-

(1) Cfr. S. Th. I-II p., q. 38, a. 2: et Suarez, *De Anima*, L. V, c. 5, n. 10.
(2) S. Th., I-II p., q. 11, a. 1, ad 3.
(3) Cfr. Conimbr., *De gener. et corrupt.*, L. I, c. 5, q. 5, a. 2.
(4) *De Anima*, L. II, c. XI.

quuntur, constituunt obiectum commune (n. 200), quod nequit percipi cum certitudine nisi plures adhibeantur sensus, quorum tamen praecipuum iterum est tactus. Ergo nullum videtur adesse argumentum quod suadeat additionem sexti sensus.

Gressum potius faciamus ad inquirendam naturam sensuum quorum organa non in externa corporis superficie reperiuntur, sed in interiori organismi structura resident; ac proinde ut obiectum habent non res externas, sed internas animi sensationes, vel intentiones quasdam cum rebus cuniunctas. Unde merito *sensus interni* nuncupari solent. Quatuor communiter praesertim a scholasticis recenseri solent: *sensus communis*, *phantasia*, *aestimativa et memoria*. Prius igitur de *sensu communi*.

Thesis XL.

Agnoscenda est facultas sensitiva, quae sensus communis appellatur, cuius proprium obiectum est percipere ac inter se discernere diversas sensationes sensuum externorum, et est organica in cerebro residens.

216. **Quid sensus communis.** — Est facultas cognoscitiva sensitiva, quae penitus differt a *sensu naturae communi*, de quo loquuti sumus in logica, Th. XXXIX. — Eius propria ratio in eo est, quod cognoscat ipsas sensationes sensuum externorum; et vocatur *communis*, quia eius obiectum non est aliqua res determinata, sed ipsa sensatio obiectorum sensuum externorum, ideoque aliquid omnibus istis commune.

Organum proprium huius facultatis est illa cerebri pars, ad quam conveniunt omnes nervi sensuum externorum, quaeque proinde est eorum radix ac centrum, et efformat *quid unum* cum unoquoque eorum. Inde eius cognitio semper comitatur unamquamque sensationem istorum (1). Et quum isti proprias habeant sensationes; sensus communis eas percipit et simul discernit, inquantum eas apprehendit ut *sensationes in se diversas*. Ita ut actus, quo eas discernit, non sit

(1) Hinc eruitur novum argumentum ad delegendam deceptionem eorum, qui autumant sensationem sensuum externorum exerceri in cerebro. Confundunt enim illi ipsam sensationem horum sensuum cum ea, quae est propria facultatis sensus communis; et quamvis hoc non sit praecipuum eorum argumentum, favet tamen eorum deceptioni.

distinctus ab actu, quo eas cognoscit: eodem modo ac oculus, auris percipiendo multos colores vel sonos, eodem actu eos cognoscunt et inter se distinguunt.

217. **Prob. I p.** - Certum est, uti experientia cuique testatur, nos non modo habere sensationem rerum externarum, sed etiam ipsas sensationes directe cognoscere, et inter se discernere. Atqui huiusmodi cognitio ad nullum sensum externum pertinet. Ergo agnoscenda est alia facultas interna, quae merito sensus communis vocatur. — *Pr. m.* — Illa facultas, quae cognoscit ac discernit diversas sensationes, ea esse debet, quae possit omnes attingere. Atqui singuli sensus externi nequeunt sensationes aliorum percipere, secus enim etiam obiecta formalia propria aliorum sensuum perciperent. Item non possunt percipere propriam sensationem, quum haec nequeant esse obiectum determinans ipsum sensum a quo procedit. Nam sensatio est alligata organo, ideoque si ipsa esset obiectum determinans sensum, organum deberet simul se habere in ratione obiecti, et in ratione comprincipii sensationis. Atqui hoc evidenter repugnat. Ergo.

Neque dici potest hanc cognitionem fieri ab intellectu, qui est facultas spiritualis: ea enim arguit facultatem dependentem ab organo, uti ostenditur in 2ª parte.

Ad rem S. Th. « Sensus proprius iudicat de sensibili proprio, discernendo ipsum ab aliis quae cadunt sub eodem sensu; sicut discernendo album a nigro vel a viridi. Sed discernere album a dulci non potest neque visus, neque gustus; quia oportet quod qui inter aliqua discernit, utrumque cognoscat. Unde oportet ad sensum communem pertinere discretionis iudicium, ad quem referantur, sicut ad communem terminum, omnes apprehensiones sensuum, sicut cum aliquis videt se videre, hoc enim non potest fieri per sensum proprium, qui non cognoscit nisi formam sensibilem a qua immutatur; in qua immutatione perficitur visio, et ex qua immutatione sequitur alia immutatio in sensu communi, qui visionem percipit » (1).

Et alibi « Sensus communis quamvis sit una potentia secundum essentiam; tamen aliquo modo multiplicatur secundum esse, in quantum coniungitur diversis sensibus propriis sicut

(1) Ibid., ad 2.

unum centrum coniungitur pluribus lineis. Unde immutationes omnium sensibilium simul terminantur ad sensum communem, sicut motus, qui esset per omnes lineas, posset simul terminari ad centrum » (1).

Cum eo concinit Scotus : « Cum potentia sit principium operationis animae, oportet, omnes operationes ad aliquam potentiam reduci; cognoscere differentiam albi et dulcis est operatio animae : hoc autem non reducitur ad potentiam intellectivam, quae tantum habet cognoscere de rebus intelligibilibus et eorum differentiis; differentia autem albi et dulcis cognoscitur ab anima non tantum ut differunt per suas quidditates, sed etiam ut sensibilia sunt. Quod patet, quia brutum, in quo non est intellectus, cognoscit eorum differentias, ut unum sensibile alteri praeeligat, vel praeoccupet (2).

Item B. Albertus Magnus : « Nos diiudicamus inter sensata secundum idem et diversum... Cum enim unius diiudicantis sit cognoscere unum diiudicatorum, oportet quod illud iudicium fiat aliqua virtute; et cum sit inter sensata, secundum quod sensata sunt et non secundum quod imaginata et intellecta, oportet quod illa vis habeat nomen sensus : et cum non sit ad unum sensatum, sed ad plura, non erit sensus proprius, sed communis » (3).

Prob. II p. — Illa facultas est organica, quae versatur circa obiectum singulare et concretum. Atqui sensus communis versatur circa sensationes prout sunt singulares et concretae, et illud iudicium, quod ab eo profertur, fit etiam modo singulari et concreto, sine ulla praecedente comparatione vel discursu. Nam sensus communis sic confert unum sensibile alteri, quod simul sentit, ipsa sensibilia esse inter se diversa, quin indigeat aliquo medio. — Praeterea haec cognitio reperitur etiam in brutis animantibus. Atqui in eis nulla datur facultas spiritualis, uti postea directe monstrabitur. Ergo. Quod ipse vero resideat in cerebro, omnes facile concedunt, et ex eo patet, quia ibi conveniunt omnes nervi diversorum sensuum, et hoc pacto possunt diversae eorum sensationes simul percipi et inter se conferri.

218. **Dices :** I. Contrariorum non datur eadem facultas. Atqui sensus communis deberet esse facultas contrariorum. Ergo. — *R. D. M.;...* si haec contraria non conveniunt in aliqua ratione communi, *c.*, si conveniunt *n.* — *Contrad. m....* prout conveniunt in

(1) Qdl. 7, a. 2 ad 1.
(2) *De Anima*, q. 9, n. 8.
(3) *De homine*, tract. I, q. 23, a. 1.

ratione communi (i. e. quod sint aliqua sensatio) *c.*, spectata secundum propriam rationem diversam, *n.*

II. Sensus cognoscit et iudicat de suo obiecto. Atqui ipse sufficit ad discernendum suum obiectum ab alio. Ergo. — *R. D. M.*, ita iudicat ut simul cognoscat alia obiecta a quibus discernat suum, *n.*; quin illa cognoscat, nec etiam cognoscat suam sensationem, *c.* — *Contrad. m.*... si cognosceret etiam alia, *c.*, secus *n.* Et revera nulla facultas potest discernere suum obiectum ab alio, nisi utrumque cognoscat. Haec enim discretio non est idem ac abstractio per modum simplicitatis, de qua in log. cr. n. 69 quum nempe *cognoscitur unum non cognito altero*, sed est cognitio qua percipitur *unum ut distinctum ab altero*, ac proinde unum non esse alterum. Porro ad hoc requiritur cognitio utriusque obiecti. Ad rem S. Th. « Ad secundum dicendum quod sensus proprius iudicat de sensibili proprio, discernendo ipsum ab aliis, quae cadunt sub eodem sensu; sicut discernendo album a nigro vel a viridi. Sed discernere album a dulci non potest neque visus neque gustus, quia oportet *qui inter aliqua discernit, quod utrumque cognoscat* » (1).

III. Sensus communis non potest distinguere diversas sensationes, nisi per iudicium componens ac dividens. Atqui ipse utpote organo affixus nequit ferre hoc iudicium. Ergo. — *R. D. M.* per verum ac proprium iudicium componens, *n.*; per iudicium quod fit per simplicem perceptionem quo apprehenditur unumquodque in sua propria ratione, *atque adeo ut distinctum* ab alio, quod aliam praesefert rationem, *c.* — *Contrad. m.* — Porro hoc iudicium, ut innuimus, habetur etiam in sensibus externis. Oculus enim, percipiens plures diversos colores secundum suam rationem, percipit unum ut distinctum seu diversum ab alio. Unde non requiritur, nec iudicium componens nec praecedens comparatio, nec ulla reflexio super suum actum.

213. **Scholion I. — De sensu intimo, quem quidam recentiores tuentur.** — Naturam huius sensus ita exponit P. Mendive. « Dispositio habitualiter in me existens, ad meas omnes actiones, et passiones in me, ut praesentes, experiendas, dicitur *facultas sensus intimi;* ipsa vero experientia illarum actualis et transitoria, *actus sensus* intimi appellatur. Experientia haec non est actus realiter distinctus ab actione vel passione per eam expertis; sed ipsa actio vel passio quatenus nobis praesentes, et in potentiis nostris vitales receptae. Nec experientia sensus intimi est perceptio proprie dicta : non enim pro obiecto habet rem aliquam a seipsa distinctam, quod perceptionibus proprie dictis minime accidit.

Ex dictis sequitur, facultatem sensus intimi non distingui realiter a collectivitate omnium potentiarum cognoscitivarum et

(1) S. *Th.*, p. I, q. 78, a. 4, ad 2um

appetitivarum, quarum actus experimentaliter in illis recipiuntur: siquidem actus facultatis praedictae non sunt nisi ipsi actus harum potentiarum, quatenus ob reflexionem virtualem in se contentam, seipsis animae praesentes fiunt. Nec contra hoc obiici potest, actus appetitivos non posse hanc experientiam in seipsis involvere, nam ipsi etiam vitaliter atque experimentaliter in subiecto appetente recipiuntur » (1).

Sed revera non apparet quid ipse sit praeter sensum communem, qui comitatur omnem cognitionem sensitivam, et praeter conscientiam quae comitatur cognitionem intellectivam. Nec videtur admitti posse reflexio illa virtualis in cognitione sensitiva et multo minus in actibus sensitivis et appetitivs (2).

Scholion II. – De sensu fundamentali Rosminii et aliorum. – Sensus communis magis adhuc distinguendus est a sensu fundamentali a Rosminio adinvento; qui esset sensus quidam vel perceptio perennis corporis proprii per se spectati, quae natura saltem prior esset externis sensationibus, quibus praeberet velut fundamentum et subiectum. At quod gravius est, in huiusmodi sensu fundamentali Rosminius unionem animae cum corpore reponit, ac proinde idem esset humano composito essentialis, sicut ipsa anima essentialis est.

Ipsum nullo modo admitti posse, vel ex eo patet, quod si daretur, deberet potius sequi quam praecedere unionem animae cum corpore. Praeterea nemo ipsum experitur, dum potius deberet esse omnibus clare et semper notus.

Item P. Tongiorgi, incipiens a sensu quodam actuali sui ipsius, quem habere putat animam, eidem prorsus essentiali et independenti a quacumque affectione vel actu eiusdem animae, statuit animam, dum corpus informat, perenniter sentire suam in eo praesentiam; atque adeo quamvis sensus sui in corpore non sit essentialis, quia neque est essentiale animae esse in corpore, tamen unionis statum necessario ac perpetuo consequitur.

Revera nec istum sensum admitti posse, iterum constat propria cuiusque experientia, quae nullo modo testatur hanc perennem cognitionem; et eruitur ex tota doctrina iam exposita, iuxta quam omnis nostra cognitio fieri debet per actio-

(1) *Institut. Philos. Schol.* Logica, pag. 171 sqq. Vallisoleti, de Cuesto, 1886
(2) Cfr. P. De Backer, *Psych.*, c. V, a. 6, p. 166.

nem obiecti in facultatem, quae actio hic prorsus desideratur (1).

Thesis XLI.

Agnoscenda est etiam phantasia, cuius propriuw obiectum est reproducere ac percipere sensationes ac sensata sensuum externorum etiam in eorum absentia, quae in eodem cerebro residet.

220. **Quid Phantasia.** — Phantasiae nomine venit tum potentia sensitiva, tum eius actus. Uti potentia definitur ab Arist. (2) « *facultas organica, quae a sensu in actu ex natura sua moveri possit* ». Ut actus vero est *ipse motus factus a sensu in actu;* tunc potius vocari solet *phantasma*. Phantasmata, ait S. Aug. (3) nihil aliud sunt, quam de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta ». Quare proprium huius facultatis est percipere res a sensibus externis iam perceptas, easque in se reproducere, efformando *imagines earum*, quae dicuntur *phantasmata*, seu idola *phantasiae*. Imo potest etiam diversa sensibilia simul in una imagine componere. « Vis imaginativa, ut ait S. Th. (4), potest formare diversorum sensibilium formas, quod praecipue apparet, dum imaginamur ea, quae nunquam sensu percepimus ».

221. **Prob. I p.** — Experientia cuique manifesto constat, nos saepe percipere obiecta sensibilia eorumque sensationes, quasi praesentia nobis adstarent, dum revera non adsunt, nec ullus sensus externus exercetur, ut evidenter patet praesertim in somniis. Atqui hoc necessario expostulat facultatem, quae reproducat sensationes et sensata iam

(1) De hoc sensu loquitur etiam Galluppi in Lezione di Logica e Metaf. v. IV, lez. 31 e 38 qui censet, primo subiectum sentiens, ac dein alias omnes eius perceptiones esse huius sensus fundamentalis modificationes: item sensationem illam actualem suipsius esse essentialem animae semperque in actu. Sed iam prius de eodem locutus fuerat Condillac in *Trael. de sensationibus p. 2, c. 1,* qui ait hoc sensu percipi actiones, quas diversae corporis partes ad invicem exercent Porro nullum huiusmodi sensum admitti posse, satis liquet ex iis quae innuimus.

(2) Κίνησις ὑπο τῆς αἰσθήσεως τῆς κατ' ἐνέργειαν γιγνομὲνης

(3) De vera relig., c. 10.

(4) *Quaest. disp.*, q. X. *De Verit.*, a. 6, ad 5.

cognita, eaque tamquam praesentia percipiat, dum revera praesentia non sunt. Ergo.

Praeterea saepe percipimus obiecta, quae ut talia neque existunt, neque existere possunt, quamvis earum partes separatim existant: ita c. g. percipimus montem aureum, hominem equinum, caudatum, et multa monstra. Atqui haec obiecta nequeunt percipi sensibus externis. Ergo agnoscenda est alia facultas, quae ea percipiat.

Quod autem etiam in animalibus brutis existat huiusmodi facultas, ita eleganter notat S. Augustinus (1): « Per loca nota sine errore iumenta pergunt ,et cubilia sua bestiae repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant, et in latratum aliquando erumpunt: quod nullo modo possent, nisi in eorum memoria visarum, vel certe per corpus utcumque sensarum rerum versarentur imagines ». Atqui istae non possunt versari, nisi agnoscatur haec alia facultas. Ergo.

Qua ratione vero huiusmodi obiectum a phantasia percipiatur, ita declaratur a S. Th. (2) « Res quae sunt extra animam, tripliciter se habent ad diversas animae potentias: ad sensus enim exteriores se habent ut agentia sufficientia, quibus patientia non cooperantur, sed recipiunt tantum.... Sed ad imaginationem res quae sunt extra animam comparantur ut agentia non sufficentia: actio enim rei sensibilis non sistit in sensu, sed ulterius pertingit usque ad phantasiam, sive imaginationem; tamen imaginatio ita est patiens, quod cooperatur agenti: ipsa enim imaginatio formal sibi aliquarum rerum similitudines, quas nunquam sensus percipit, ex his tamen, quae sensu percipiuntur, componendo ea et dividendo: sicut imaginamur montes aureos, quos nunquam vidimus, ex hoc quod vidimus aurum et montes... ».

Prob. II p. — Ratio est eadem ac ea, quam pro sensu communi attulimus. Obiectum enim harum facultatum est eiusdem rationis, et hoc tantum adest discrimen, quod obiectum illius sit *sensatio obiecti praesentis*, obiectum alterius sit *sensatio obiecti absentis*, quae proprio nomine vo-

(1) *Contra Epist. Fundamenti*, c. 17.
(2) Qdl. 8, a. 3.

cari solet *phantasma* vel *imaginatio*, quatenus phantasia vi peculiaris suae activitatis obiectum illius sensationis, quamvis absens, actu percipit quasi praesens. Atqui ad hoc percipiendum sufficit facultas organica. Ergo. — Quod autem eius organum debeat esse cerebrum, ex eo patet, quia inveniri debet in centro omnium nervorum sensuum externorum.

Iuvat tamen audire argumentationem quam S. Th. cum Aristotele affert (1). « Sensus secundum actum fit ex eo quod movetur a sensibilibus; unde relinquitur quod a sensu secundum actum causatur aliquis motus. Ex quo etiam manifestum est, quia motus causatur ab actu sensus, necesse est quod sit similis sensui, quia omne agens agit sibi simile. Unde et illud quod movet, in quantum movetur, causat motum quo ipsum movetur. Ex omnibus autem his concludit, quod phantasia sit quidam motus causatus a sensu secundum actum, qui quidem motus non est sine sensu, neque potest inesse his, quae non sentiunt: quia si aliquis motus fit a sensu secundum actum, similis est motui sensus, et nihil aliud nisi phantasia invenitur esse reale ».

222. **Scholion I. — De distinctione phantasiae a sensu communi.** — Phantasiam esse facultatem distinctam a sensu communi, facile evincitur inspiciendo propriam cuiusque actionem. — 1) Sensus communis primo et per se percipit sensationem obiecti praesentis, et secundario ipsum obiectum actu afficiens sensus externos. Phantasia vero percipit haec eadem obiecta, ea in se reproducendo, ac proinde etiam peracta sensatione externa. Dupliciter aliquid sensu percipitur. Uno quidem modo per ipsam immutationem sensus a sensibili; et sic cognoscuntur tam sensibilia propria, quam etiam communia a sensibus propriis et a sensu communi. Alio modo cognoscitur aliquid quodam secundario motu, qui relinquitur ex prima immutatione sensus a sensibili. Qui quidem motus remanet quandoque post absentiam sensibilium et pertinet ad phantasiam » (2). — Hinc 2) sensus communis comitatur omnem sensationem sensuum, et etiam ipsius phantasiae; nam « phantasia, ut ibid. prosequitur

(1) *De Anima*, L. III, l. 6.
(2) S. Thom., *De mem. et reminisc.*, lect. 2.

S. Th., secundum quod apparet per huius immutationem secundariam, est passio sensus communis »: et eius perceptio cessat, cessante sensatione istorum. Perceptio vero phantasiae sequitur sensationem sensuum externorum, et manet etiam ea peracta, simul coniungit diversa sensata, quae omnia percipit etiam in rerum ipsarum absentia. — 3) Unde obiectum sensus communis est sensatio obiecti praesentis; obiectum phantasiae est ipsa res percepta et in seipsa reproducta. Quare phantasia primo determinatur ad actum ab aliquo *sensato*, quod est proprium eius obiectum, et quod potest etiam in se reproducere, et ita habetur in ea species expressa tum terminativa tum repraesentativa rerum (n. 165). Et ideo valet iterum percipere sensata absentia, eaque insuper simul componere et novas efformare imagines. Hinc distingui solet phantasia *mere repraesentativa* et *productiva*, quae quam maxime iuvat ad artes liberaliores excolendas e. g. poësim, rethoricam, picturam... etc. Nam quamvis ipsae ab intellectu exerceantur, quum vero, uti videbimus, phantasia ei materiam praebere debeat ad intelligendum, ex diversa vi, qua ista polleat ad diversas imagines componendas, novasque veluti *creandas* (unde enascitur ingenium, quod dici solet *creativum*) diversimode intellectus iuvatur ad novos efformandos conceptus.

Hanc virtutem phantasia exercet praesertim per *associationem imaginum*, qua fit ut imago una alteram excitet ratione cuiusdam nexus, quem S. Th. cum Arist. (1) censet quatuor modis contingere posse: ratione *temporis, similitudinis, contrarietatis et propinquitatis cuiuscumque*, i. e. tum loci, tum relationis inter eas vigentis.

Ita intellectus adiuvatur ad intelligendam unam rem per imaginem alterius, vel ex compositione harum imaginum alios promere conceptus, et facilius recordatur conceptuum praeteritorum.

223. **Scholion II. — De somniis.** — Quoniam diximus, phantasiam sensationem habere etiam in somno, et

(1) Cfr. Ibid. c. 2, et lect. 1 et 5. — Moderni multa scrutati sunt de hac phantasiae vi, ac praesertim de lege associationis, in quibus plura sunt arbitraria, vel tantum probabilia, nonnulla falsa, quae proinde non vacat exponere.

dicuntur haberi *somnia*, praestat aliquid de iis breviter innuere. — Et primo somnus, physice seu physiologice spectatus, in eo consistit quod systema nerveum veluti suspendit exercitium suae activitatis per nervos singulorum sensuum externorum, qui proinde non percipiunt amplius obiectum *ordinarie* propositum. Inde sequitur quaedam relaxatio membrorum eorumque quies, quae mirifice iuvat ad vires reficiendas, ut dein alacrius ad suum redeant exercitium. Simul tamen relinquitur facultatibus vegetativis facilior potestas suas exercendi functiones, quod iterum iuvat ad organismum integrum commodius restaurandum ac roborandum. Quum enim plures nervi requirantur ad huius vitae exercitium, isti facilius ad ipsum concurrere possunt, quum quiescit ac veluti ligatur activitas vitae sensitivae. Unde somnus merito cum Aristot. definiri potest: *nexus et vinculum sensorii primi, quod fit gratia salutis.*

Hinc efficitur: — 1) quod in somno cessant tum operationes sensuum externorum et appetitus sensitivi, tum consequenter operationes vitae intellectivae ac voluntatis, ideoque nequeunt dari actiones imputabiles in meritum vel demeritum (1). — 2) Media illa, quae nervos extimulant ac proinde eorum relaxationem ac quietem impediunt, somnum arcent; ea vero, quae ipsas lenunt ac veluti mulcent, somno favent. — 3) Adeoque morbi, qui nervos irritant, perturbationes, quae contingunt in digestione vel respiratione, somnum impediunt vel turbant cum vividioribus somniis.

Somnia proinde oriuntur in phantasia, quae residens in cerebro suas potest habere sensationes, reproducendo imagines sensationum habitarum eorumque obiectorum. Quo-

(1) Pulcherrimam huius rei affert rationem S. Th. quam praestat referre; quamvis ea plene intelligi nequeat nisi in cap. seq. art. 4: «Ad intellectum duo pertinent, scilicet percipere et de perceptis iudicare. Intellectus autem in dormiendo non impeditur, quin aliquid percipiat ex his, quae prius consideravit, unde quandoque homo dormiendo syllogizat. Sed perfectum iudicium non potest esse in dormiendo, eo quod tunc ligatus est sensus, qui est primum principium nostrae cognitionis. Iudicium enim fit per resolutionem in principia, unde de omnibus oportet nos iudicare, secundum id quod sensu accipimus. Usus autem liberi arbitrii sequitur iudicium rationis, et ideo usus liberi arbitrii sufficiens esse non potest; quia etsi sit aliquis motus voluntatis, magis sequitur phantasiam, quam iudicium rationis». Unde merito dici solet: *qui dormit, non peccat.*

modo autem ipsa contingant, explicari posse videtur ex eo quod phantasia non indigeat praesentia obiecti, neque nervis sensuum externorum, sed tantum centro, quod in cerebro residet; istud vero non est alligatum et impeditum, ac proinde praestare valet facultati phantasiae necessarium concursum ad suam activitatem exercendam.

Et quoniam in cerebro est praecipuum centrum totius systematis cerebro-spinalis, quod inservit ad vitam tum vegetativam tum sensitivam, sequitur magnus adesse nexus et influxus operationum unius vitae in aliam. Quocirca operationes vegetativae, quae adhuc exercentur in somno, excitare possunt partem centri cerebralis, in qua residet phantasia, eamque ad actum suae sensationis determinare. Quum igitur quandoque operationes irregulares sint, vel effectum aliquem physiologicum producant, phantasiam excitant ad actum, qui vividius phantasma quoddam repraesentat.

Praeterea ad ipsa excitanda diversimode influunt: *a*) dispositiones corporis, pendentes a physiologica constitutione et exercitatione nervorum; *b*) dispositiones animi, quae iam in statu vigiliae influxum in nervos corporeos exercuerunt; *c*) ipsae operationes exercitae in statu vigiliae, praesertim si quid praeter ordinarium vitae cursum praeseferebant (1).

224. **De Aestimativa et Cogitativa.** — Aliae adhuc sensationes examini subiiciendae manent, quae in statu vigiliae exercentur, et versantur non circa qualitatem aliquam physicam rebus inhaerentem, sed circa *intentiones quasdam singulares* ac *concretas, ipsis adnexas*, et quam maxime utiles vel necessarias cognitu ad bonum vitae animalis prosequendum. Quocirca facultas, quae has valeat sensationes

(1) Quoad praevisionem futurorum in somniis haec habet Angelicus (*c. Gentes*, L. II, c. 81) « Homines dormientes, quando corporis sensibus non utuntur nec est aliqua perturbatio humorum aut fumositatum impediens, percipiunt de futuris, ex impressione aliqua, quae modum ratiocinationis humanae excedunt, et hoc multo magis accidit in syncopizantibus et extasim passis, quanto magis fit retractatio a corporeis sensibus. Nec immerito hoc accidit, quia quum anima humana sit in confinio corporum et incorporearum substantiarum, quasi in horizonte existens aeternitatis et temporis, recedens ab infimo appropinquat ad summum, unde et, quando erit totaliter a corpore separata, perfecte assimilabitur substantiis separatis quantum ad modum intelligendi, et uberius influentiam earum recipiet ».

exercere et communiter *aestimativa* nuncupari solet, 1) supponit exercitium sensuum externorum et communis circa propria sensata. — 2) Deinde percipit in istis aliquas proprietates seu affectiones, quae non sunt in se sensibiles, sed affixae quibusdam qualitatibus sensibilibus ac proinde non percipiuntur nisi dependenter ab istis, et ut coniunctae cum eis. — 3) Hinc efformat aliquod veluti iudicium singulare, e. g. *hoc est fugiendum, illud appetendum;* « sed hoc iudicium est ex naturali aestimatione, non ex aliqua collatione, quum sensus rationem sui iudicii ignorent: propter quod huiusmodi iudicium non se extendit ad omnia, sicut iudicium rationis, sed ad quaedam determinata » (1). — 4) Ac tandem influit in appetitum sensitivum, efficiendo in eo passionem aversionis vel desiderii illius determinati obiecti. Haec facultas in brutis etiam animantibus reperitur.

Cogitativa. — In homine vero haec eadem facultas vocari solet *cogitativa*, propter coniunctionem cum intellectu. Propria utriusque ratio ac distinctio ita explicatur a S. Th.

In animali... fit apprehensio intentionis individualis per aestimativam naturalem, secundum quod ovis per auditum vel visum cognoscit filium, vel aliquid huiusmodi. Differenter tamen circa hoc se habet cogitativa et aestimativa. Nam cogitativa apprehendit individuum, ut existens sub natura communi, quod contingit ei in quantum unitur intellectivae in eodem subiecto; unde cognoscit hunc hominem prout est hic homo, et hoc lignum prout est hoc lignum. Aestimativa autem non apprehendit aliquod individuum, secundum quod est sub natura communi; sed solum secundum quod est terminus aut principium alicuius actionis vel passionis, sicut ovis cognoscit hunc agnum, non in quantum est hic agnus, sed in quantum est ab ea lactabilis, et hanc herbam in quantum est ei cibus. Unde alia individua, ad quae se non extendit eius actio vel passio, nullo modo apprehendit sua aestimativa naturalis. Naturalis enim aestimativa datur animalibus, ut per eam ordinentur in actiones proprias vel passiones prosequendas vel fugiendas » (2).

(1) S. Thom., Quaest. disp., q. 24, *de Verit.*, a. 2.
(2) *De Anima*, L. II, l. 13.

Hinc sequitur, aestimativam et cogitativam, quamvis eo spectent, ut animalia et homines *ordinentur in actiones proprias aut passiones vel prosequendas, vel fugiendas*, semper tamen versari circa aliquod obiectum singulare. Nam illa intentio e. g. *inimici*, quam ovis percipit in lupo, ad hoc inservit, ut ipsum fugiat: sed ipsa concipitur semper singulari modo, ut inhaerens rei singulari, ita ut ovis non concipiat rationem inimici in se, sed tantum rationem inimici, ut existentem in *hoc* animali, vel *hoc* animal ut habens rationem inimici. Et etiam cogitativa « est in parte sensitiva, ut ait S. Th. ibid., quia vis sensitiva in sui supremo participat aliquid de vi intellectiva, cui coniungitur ».

Instinctus. — *Si quaeris*, quomodo animal valeat percipere hanc rationem: — *respondeo*, hoc esse ab ipsa natura seu ab *instinctu naturali*, ut dici solet, qui proinde est veluti propria virtus *aestimativae*, et definiri potest: *inclinatio quaedam ab ipso naturae factore animis indita, qua animalia valeant facilius praecavere mala ac noxia, et prosequi ea, quae bona et utilia sunt*. Quare instinctus primo afficit aestimativam, et est propria eius virtus seu dispositio, qua ipsa potens est suum obiectum prosequi. Et consequenter redundat in appetitum sensitivum, qui consequitur cognitionem aestimativae. Unde instinctus dici potest appetitus naturalis, qui est proprius vitae sensitivae, proximam habens radicem in aestimativa, et qui exercetur per appetitum sensitivum, inquantum iste dirigitur in proprium finem vitae animalis. Quocirca sicut res inanimae et plantae tendunt in proprium finem per appetitum naturalem; ita viventia praedita vita sensitiva tendunt per instinctum in proprium finem suae vitae.

In homine vero quoniam cogitativa est perfectior quam aestimativa, instinctus etiam perfectior est: et quum quaedam intentiones utilitatis vel damni respiciunt etiam ordinem moralem, tunc huiusmodi instinctus reducitur ad legem naturalem, quae dicitur insculpta cordibus nostris. Imo quoniam, uti videbimus, homo praeditus est appetitu intellectivo superiori, qui libertate arbitrii gaudet, instinctus etiam ei subiiciatur oportet, et ita haec lex naturalis tota pertinet ad ordinem moralem actionum hominum.

225. **De Memoria.** — Postremo alia occurrit facultas, quae *memoria* nuncupatur, cuius proprium est retinere ac servare in *habitu* cognitiones omnes sensuum sive externorum sive internorum, quorum actus iam transierunt. Ea definiri potest: *cognitio praeteriti, prout res quaedam sensibilis in praeterito cognita est*. Unde triplex est officium memoriae: 1um servare cognitiones sensitivas iam praeteritas; 2um iterum eas cognoscere, quin amplius res afficiant sensus, seu etiam in earum absentia; 3um eas cognoscere uti praeteritas. — 1um et 2um munus memoria exercet simul cum phantasia. Nam quamvis forte phantasia ipsa possit retinere ac servare sua phantasmata, memoria retinet etiam sensationes aestimativae, atque adeo ipsius est etiam haec vis *retentiva* sensationum. Pariter ut cognoscat res praeteritas memoria indiget phantasmate non secundum quod est phantasma quiescens in anima, ut ait B. Albertus M., *sed secundum quod est imago*. Et ita intelligitur quomodo memoria cognoscat praeteritum, quod est proprium eius officium. Nimirum, ut idem explicat (1), « si accipiamus phantasma, prouti absolute quiescit in anima, notitiam de re faciens, tunc est phantasma praesens in anima et tunc afficit propria phantasiam)... Si autem ad rem, a qua acceptum fuit, referatur per propria rei illius, tunc vocatur imago quasi *imitago* dicta: et hoc modo perficit memoriam. Et ideo licet sit in potentia praesens, tamen quia non accipitur ut ipsum absolute, sed ut alterius, quod est praeteritum, et in hoc esse perficit memoriam...: ideo memoria est praeteriti et non praesentis ».

Thesis XLII.

Tandem agnoscenda est tum facultas sensitiva, quae aestimativa vocatur et percipit intentionem aliquam singularem non de se sensibilem, sed annexam obiecto sensibili; tum facultas, quae sensationes omnium sensuum retinet ac praeterita percipit, et memoria nuncupatur.

226. **Prob. I p.** — Certum est, tum homines tum animalia bruta percipere non modo qualitates materiales rebus inhaerentes, sed etiam rationem aliquam seu perfectionem

(1) *De Memoria*, Tract. I, c. 4 (v. IX, p. 105).

minime materialem ac sensibilem neque pure imaginariam, sed realiter annexam alicui obiecto sensibili, e. g. rationem utilitatis vel inutilitatis, amicitiae vel inimicitiae, beneficii vel non. Item animalia ordinant suas actiones ac praesertim appetitus secundum hanc cognitionem; ita, e. g., ovis fugit lupum, quem percipit ut *inimicum*, avis quaerit paleam, quam percipit ut sibi *utilem* ad nidificandum, canis lambit herum suum, quem percipit uti *benefactorem*... et ita porro.

Atqui haec actio est vera sensatio, peragenda ab aliqua facultate sensitiva, organo alligata. Ergo. — *Prob. m.* — Haec actio versatur semper circa intentionem annexam seu alligatam alicui obiecto singulari ac materiali, « quoniam illae intentiones ab imaginibus apprehensis non separantur » (1), uti patet etiam in animantibus brutis. Atqui actio huiusmodi exercetur a facultate organica. Ergo.

Dices: I. Quod non est sensibile, nequit a sensibus percipi. Atqui intentio illa non est sensibilis. Ergo. — *R. D. M.;* quod non est sensibile neque per se neque per aliud, *c.;* quod non est sensibile per se sed per aliud *n.* — *Contrad. m.* — Unde intentio illa eo ipso quod percipitur *ut annexa seu alligata* alicui obiecto sensibili, fit per hoc ipsum sensibilis.

II. Haec intentio percipi nequit nisi per iudicium componens. Atqui sensus nequit facere iudicium. Ergo. — *R. D. M.;*... si deberet cognosci ipsa intrinseca ratio illius intentionis, vel motivum cur ipsa apprehenditur ut inhaerens illi rei, *c.;* si apprehenditur simpliciter ut annexa illi rei *n.* — *C. m.* — Aestimativa igitur prorsus ignorat tum intrinsecam rationem illius intentionis, tum motiva, cur ipsa inhaereat illi rei, sed ipsam pure et simpliciter percipit ut coniunctam illi rei sensibili. Unde est etiam quod ipsa decipi possit, si nimirum percipiatur alia res sensibilis, similis ei, quae habet annexam intentionem illam, uti quandoque contingit in brutis.

III. Intellectus certe non potest cognoscere rationem e. g. inimici, nisi per iudicium componens. Ergo multo minus sensus hoc potest. — *R. D. A.;* non potest cognoscere *intrinsecam rationem*, e. g., inimici, nisi per iudicium, *c.*, neque obiectum, ut sibi annexam habens rationem inimici, *n.* (et *n. supposit.* quia hoc non est obiectum proprium intellectus sed sensus) et *N. Cons.* Nam sensus non abstrahit ab obiecto materiali, sed ipsum in se percipit secundum determinatam rationem, a qua immutatur. Et

(1) B. Alb. M., *de Anim.*, L. III, Tract. I, c. IV (v. V, p. 320).

propterea aestimativa percipit hoc obiectum determinatum, uti habens hanc intentionem seu rationem inimici. Ideoque non indiget componere, sicut intellectus qui cognoscit per abstractionem.

227. **Prob. II p.** — Certum omnibus est nos et animalia retinere ac diu etiam servare sensationes praeteritas sensuum externorum, phantasmata, et ipsas etiam intentiones insensatas annexas obiectis sensibilibus; item recordari harum intentionum etiam absentium, et uti *in praeterito* habitarum, et simul distinguere diversum tempus praeteritum, in quo habitae sunt. Atqui ad has peragendas cognitiones requiritur propria facultas sensitiva, quae memoria appellari solet. Ergo. — Quod autem haec facultas sit organica, iterum evincitur ex eo quod eius obiectum est semper aliquid sensibile materiale ac singulare. Nam etiam ratio illa praeteriti, quam cognoscimus per memoriam, est semper alligata alicui sensationi singulari, et cognoscitur, inquantum haec sensatio cognoscitur ut praeterita, seu prior ac altera. Ergo eius obiectum est semper aliquid singulare ac sensibile. Ad ipsam igitur pertinet tum servare *habitu cognitionem* sensitivam iam quodam actu exercitam; tum eam iterum cognoscere, tum praesertim, eam cognoscere ut *in praeterito habitam*.

Nam « memorabile, ut scite advertit B. Albertus M. (1), concernit differentiam temporis, quae est praeteritum tempus. Cum igitur aliquid adest, hoc sentire dicimur. Cum autem per intellectum consideramus aliquid, illud dicimur scire. Cum vero sine actibus, hoc est sine actione propria obiecti particularis vel universalis in ipsam, habeat alicuius sensibilis cognitionem vel scientiam, tunc dicimur memorari, quia tunc oportet quod in rem *cognitam prius* procedat ex eo quod habet apud seipsam... Ex quibus patet, quod memoria neque est sensus, neque opinio rationalis, sed est habitus aut passio cuiusdam horum, quae sunt sensibilis vel rationalis animae et ita distinguitur memoria sensitiva et intellectiva), cum fiat determinatio praeteriti temporis circa sensibile vel opinabile ».

(1) *De Memoria*, Tract. I, c. II (v. IX, p. 100).

Dices: Nequit cognosci aliquid ut praeteritum, nisi cognoscatur tempus. Atqui... — R. D. M.,... nisi cognoscatur tempus ut affixum alicui sensationi habitae, *c.*;... ipsam rationem temporis, *subd.*; si praeteritum cognoscitur per intellectum, *c.*; si per sensum, *n.* — *Contrad m.*;... nequit cognoscere ipsam rationem temporis, *c.*; tempus affixum alicui sensationi, *n.* — Cognoscitur « tempus *dupliciter*, prosequitur B. Albertus; *in se* scilicet secundum quod est numerus motus ita cognoscitur ipsa ratio temporis), et sic rationabilia sola sentiunt et cognoscunt tempus. Alio autem modo sentitur tempus in temporali (i. e. in re cognita aliquo tempore) et non secundum se: et tunc sentitur sub determinata differentia temporis, *secundum quam adiacet rei temporali*: et hoc est obscure percipere tempus: et sic sentitur in praeterito, quando res praeterit: sicut oves et caprae revertuntur ad caulas, cognoscentes caulas, ubi habitaverunt in praeterito: et formicae colliguntur in domibus suis, praesentientes pluvias in futuro. Sed tamen minus sentiunt bruta futurum quam praeteritum. Sentiunt enim praeteritum per picturam praeteritorum, quae sunt in ipsis: futura autem non praesentiunt, nisi signo aliquo praesenti, sicut vapore, vel calore, vel aliquo huius ».

228. **De reminiscentia.** — Cum memoria intime connectitur *reminiscentia*, quae proprie consistit in actibus illis, quibus conamur actu percipere id quod habitu erat in memoria, sed non statim redit in actualem cognitionem. Ipsa definiri potest cum antiquioribus, qui, uti refert B. Alb. M. 1) omnes concorditer dicunt, quod reminiscentia nihil aliud est, nisi *investigatio obliti per memoriam* ».

Hoc fit per *associationem sensationum*, recordando nempe aliam sensationem cum illa coniunctam vel plures ad invicem coniunctas, et ideo per quendam discursum, in quo termini medii sunt diversae sensationes singulares. Unde merito solet comparari actus memoriae relate ad actum reminiscentiae cum actu simplicis intelligentiae relate ad actum ratiocinandi. Et ideo eadem facultas utrumque actum ponit.

1) Ibid. Tract. II, c. 1 (v. IX, p. 107).

Ad rem S. Th. « Reminiscentia nihil aliud est quam inquisitio alicuius, quod memoria excidit. Et ideo reminiscendo venamur, idest inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priori, quod in memoria tenemus: puta si quaerit memorari id quod fecit ante quatuor dies, meditatur sic; hodie feci hoc, heri illud, tertia die aliud, et sic secundum consequentiam motuum assuetorum pervenit resolvendo in id quod fecit quarta die » (1). Ideo « reminiscentia, ut idem ait in lect. VII, est quaedam quasi inquisitio, cum intentione deveniendi in cognitionem alterius ».

Ipsa vero in eo distinguitur a memoria, quod, ut ait Albertus M. (2), « memoria motus continuus est in rem et uniformis. Reminiscibilitas autem est motus quasi interceptus et abscissus per oblivionem, et non est uniformis, et causatur ex multis principiis circumstantibus illud, cuius est proprie reminiscibilitas ».

Placet huic quaestioni finem imponere his S. Augustini verbis (3). « Quid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit, cum obliviscimur, et quaerimus ut recordemur? Ubi tandem quaerimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio forte offeratur, respuimus, donec illud occurrat quod quaerimus, et cum occurrit, dicimus: Hoc est: quod meminissemus. Certe ergo obliti fueramus. An non totum exciderat, sed ea parte, qua tenebatur, pars alia quaerebatur, quia sentiebat se memoria non simul volvere, quod simul solebat, et quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi, quod deerat, flagitabat? Tamquam si homo notus, sive conspiciatur oculis, sive cogitetur, et nomen eius obliti requiramus, quidquid aliud occurrerit, non connectitur quia non cum illo cogitari consuevit, ideoque respuitur, donec aliud adsit, ubi simul assuefacta notitia non inaequaliter adquiescat. Et unde adest, nisi ex ipsa memoria? Nam et cum ab alio commoniti recognoscimus, inde adest. Non enim quasi novum credimus, sed recordantes approbamus, hoc esse quod dictum est. Si autem penitus aboleatur ex ani-

(1) *De memoria et reminiscentia.*

(2) Ibid., c. 2 (v. IX, p. 109): confer, si placet, integrum tractatum, ubi plura pulcherrime explicat de modo reminiscendi.

(3) *Confess.*, l. X, c. XIX, n. 28.

mo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimode adhuc obliti sumus, quod vel oblitos nos esse meminimus ».

229. **Corollarium. — Ergo merito distinguuntur quatuor facultates sensuum internorum.** — Facultates specificantur ac distinguuntur per actus et obiecta formaliter diversa (Th. VII). Atqui, uti nuper vidimus, sensus communis, phantasia, aestimativa et memoria habent actus et obiecta formaliter diversa. Ergo.

Placet idem confirmare sequenti argumento S. Th. quo simul ostenditur munus cuiusque facultatis (1). « Cum natura non deficiat in necessariis, oportet esse tot actiones animae sensitivae, quot sufficiunt ad vitam animalis perfecti. Et quaecumque harum non possunt reduci in unum principium, requirunt diversas potentias, cum potentia animae nihil aliud sit quam proximum principium operationis animae. — Est autem considerandum, quod ad vitam animalis perfecti requiritur quod non solum apprehendat rem ad praesentiam sensibilis, sed etiam in eius absentia; alioquin cum animalis motus et actio sequantur apprehensionem, non moveretur animal ad inquirendum quid absens. Cuius contrarium apparet maxime in animalibus perfectis, quae moventur motu processivo; moventur enim ad aliquid absens apprehensum. Oportet ergo quod animal per animam sensitivam non solum recipiat species sensibilium, cum praesentialiter immutatur ab eis, sed etiam eas retineat et conservet. Recipere autem et retinere reducuntur in corporalibus ad diversa principia;... Unde cum potentia sensitiva sit actus organi corporalis, oportet esse aliam potentiam, quae recipiat species sensibilium, et quae conservet. — Rursus considerandum est, quod si animal moveretur solum propter delectabile et contristabile secundum sensum, non esset necessarium ponere in animali nisi apprehensionem formarum quas percipit sensus, in quibus delectatur aut horret. Sed necessarium est animali ut quaerat aliqua, vel fugiat, non solum quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter alias commoditates et utilitates sine nocumento; sicut ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figurae, sed quasi inimicum naturae; et similiter avis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali quod percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior; et huius perceptionis oportet esse aliquod aliud principium; cum perceptio formarum sensibilium sit ex immutatione sensibili, non autem perceptio intentionum praedictarum. Sic

(1) *S. Th.*, p. I, q. 78, a. 4.

ergo ad receptionem formarum sensibilium ordinatur *sensus proprius* et *communis*, de quorum distinctione post dicetur. — Ad harum autem formarum retentionem aut conservationem ordinatur phantasia, sive imaginatio, quae idem sunt; est enim phantasia sive imaginatio quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum. — Ad apprehendendum autem intentiones, quae per sensum non accipiuntur, ordinatur *vis aestimativa;* — ad conservandum autem eas *vis memorativa*, quae est thesaurus quidam huiusmodi intentionum; cius signum est, quod principium memorandi fit in animalibus ex aliqua huiusmodi intentione; puta, est nocivum, vel conveniens. Et ipsa ratio praeteriti, quam attendit memoria, inter huiusmodi intentiones computatur ».

230. **Scholion. De organo seu de sede cerebrali horum sensuum.** — Omnes hos sensus internos in cerebro residere, nemo est qui dubitet, sed forte difficile est determinare proprium cuiusque organum. Ipsum enim revera non indiget peculiari illa structura, quae reperitur in organis sensuum externorum, quia non debet determinari ab obiectis ipsis sensibilibus, sed tantum a sensationibus iam habitis, per sensus externos; quocirca plane potest centrum illud cerebrale, in quo conveniunt nervi horum sensuum inservire tamquam organum sensuum internorum.

Ideoque illa cerebri structura, quae necessario requiritur, ut ad ipsum referantur singuli illorum nervi, sufficit ad constituendum proprium organum sensuum internorum.

Coroll. — Hinc explicatur: 1° Cur nimia corporis defatigatio, aut debilitas nervorum impediat usum harum facultatum: nervi enim cum coniungantur cum centro systematis cerebro-spinalis influunt in ipsum et efficiunt ut facultates, quae agunt dependenter ab ipso, impediantur in sui exercitio. — 2° Cur morbi quidam nervorum, vel nimii aut subitanei dolores inducant morbum *maniae*: istae enim causae cerebrum ita perturbant, ut alterent exercitium illarum facultatum, praesertim phantasiae ac proinde aestimativae, qua inordinate percipiuntur quaedam obiecta ut nociva, alia ut appetibilia... et ita porro. — 3° Cur dici possit ex diversa cerebri conformatione oriri diversas aptitudines et inclinationes in vita praesertim hominis. Nimirum, huiusmodi conformatio nullo modo dici potest causa efficiens sed tantum *materialis* vel *dispositiva* ad exercendos quosdam

actus illarum facultatum cum maiori vel minori facilitate. Et quoniam, uti videbimus, intellectus noster recipit cognitionis materiam a sensibus, ipse quoque in suo exercitio modificatur extrinsece ab istis dispositionibus, et ostendit quasdam aptitudines et inclinationes, quas deinceps sua exercitatione et arte perficiendo auget vel etiam oppositis actibus minuit. — 4° Cur *phrenologi* post Gall a saec. XVIII adstruant quas ipsi vocant *localizationes* cerebrales, quas numerant 27, et alii 35 vel 40, tamquam sedes harum facultatum. Eas vero prorsus arbitrarias esse ac nullo innixas fundamento, vel ex eo patet, quod in tot experimentis ab eis allatis, nihil certi reperitur circa earum naturam et munus, et saepissime sibi contradictoriae eae apparuerunt. Nam si quid veri in eis est, ad hoc unum reducitur quod cerebri conformatio influit quodammodo in exercitium harum facultatum sensitivarum, unde exoritur quidam influxus extrinsecus in exercitium activitatis intellectivae.

Conclusio. — Perspectam igitur habemus, quantum ad munus philosophi spectat, naturam cuiusque sensus tum externi tum interni. Cognita enim in priori articulo propria obiecti sensuum ratione, haud erat difficile naturam singularum facultatum dignoscere ac distinguere. Et quoniam earum obiectum est aliquid materiale et concretum, sequitur has facultates in sui exercitio pendere intrinsece ab organo materiali, nam secus non habetur proportio inter facultatem et eius obiectum. Hinc breviter delibavimus propriam rationem organi facultatis, cum uberior eorundem explicatio ad physiologiam vel psychologiam experimentalem pertineat. Et ideo unice solliciti fuimus numerum, distinctionem ac proprium munus harum omnium facultatum vindicare et explanare.

ARTICULUS V.

DE BRUTIS ANIMANTIBUS.

Nunc de brutis animantibus sufficit investigare: utrum vera gaudeant vita non modo vegetativa sed etiam sensitiva, quae consistit tum in cognitione sensitiva tum in appetitu.

qui ad eam consequitur; et quoniam non desunt qui vitam quoque intellectivam eis tribuant, inquirendum erit, utrum revera ipsa eis insit. Ita tandem apparebit, quaenam sit propria eorum forma substantialis.

Thesis XLIII.

Bruta animantia non sunt mera automata, sed praeter vegetativam vera gaudent vita sensitiva, quae exercetur per veram cognitionem sensitivam.

231. **Status quaestionis.** — Viventia illa, quae vita pollent sensitiva, animalia vocari solent, sive rationalia, ut homines, sive irrationalia, ut bruta animantia. Quod in homine reapse adsit vita sensitiva, nemo est, qui ambigere audeat. « est enim homo, ut ait Aristoteles (1) omnium animalium notissimum », nisi idealistae excipiantur, qui potius naturam cognitionis sensitivae labefactant, quam eius existentiam denegent. In brutis vero animantibus cognitionem sensitivam denegavit praesertim Cartesius inter recentiores, quippe qui res omnes creatas in duas distribuit classes, in eas nempe, quae extensione tantum geometrica constituuntur, et eas quae actuali cogitatione pollent. Hinc consequens erat belluas, quum nullam habeant cogitationem, nempe intellectivam, nulla quoque gaudere vita, sed esse corpora extensione tantum praedita ac vi locomotiva, quae proinde mera automata nuncupavit, constructa ad instar mirabilis cuiusdam machinae (2).

Eum iam praeiverat Gomez de Pereira, hispanus medicus in libro cui titulus: Antoniana Margarita (Medina del Campo 1554). In eandem incidit sententiam Petrus Gassendi, cum iis omnibus qui, Epicuri ac materialistarum sententiam sectantes, animam belluarum, imo ipsius hominis, materiam aliquam subtiliorem esse autumant.

Quoad vitam vegetativam, quae communiter in eis agnoscitur, nil addendum manet, quum communis eius ratio eadem reperitur ac in plantis; quae in Capite I exposita est.

(1) L. 1, *de hist. animal.*, c. 6.
(2) Descartes, *Epist.*, pars I, epist. 62.

Vita vero sensitiva a Cartesio et eius asseclis in uno cordis calore reponitur (1), et, uti innuimus in n. 59, ad instar esse alicuius machinae e. g. orologii rotati, vel organi pneumatici, quod pressis manu palmulis, et aëre per varias fistulas subeunte, tam multiplici, tamque musico resonat concentu. His accedunt recentiores quidam physiologi, qui censent motus omnes externos animalium esse pure mechanico-reflexos per excitationes chimicas, opticas, electricas, thermicas... etc. Et consequenter S. v. Ulxcüll asserit: « Optamus, ut non amplius de psychologia animalium sed tantum de physiologia nervorum sermo fiat » (2). Cui consonat Bethe (3). Item Hesse Döflein asserit: « Enuntiare non possumus, quod animalia sentiunt, sed tantum quod excitationibus motus in eis determinantur » (4).

232. **Prob. I p.** - Si bellua mera foret automata, omnes earum operationes reducerentur ad motus locales mechanicos. Atqui absurdum consequens. Ergo et antece-

(1) « Il faut, ipse ait, pourtant remarquer que je parle de la pensée, non de la vie, ou du sentiment: car je n'ôte la vie à aucun animal, ne la faisant consister que dans la seule chaleur du cœur. Je ne leur refuse pas même le sentiment autant qu'il dépend des organes du corps. Ainsi mon opinion n'est pas si cruelle aux animaux qu'elle est favorable aux hommes » DESCARTES, epist. 67, fin.

« Sentiendi autem, inquit cartesianus Le Grand, et movendi facultas (*quae apud nonnullos animae sensitivae nomine venit* in animalibus) in debita partium, videlicet nervorum, musculorum, spirituum, fibrarum, artuum, aliorumque organorum dispositione consistit. Quorum ministerio animalia, a rebus tum externis, tum internis, diversimode afficiuntur, et tota ab uno loco in alium locum transferuntur. Sunt enim animalia (si homo excipiatur) veluti quaedam *horologia*, aut alia *automata*, hoc est machinae, quae vi quadam, veluti sua sponte, sunt praeditae, dum bene dispositae sunt, et in se motuum principium corporale habent, quorum gratia elaboratae sunt, cum omnibus, quae ad earum actionem sunt requisita. Quia omnia, quae in animalibus fiunt, (homine secluso) solum corpus pro causa agnoscunt, nec ulla in eis anima sensitiva fingenda, quam quae corporeorum organorum affectione absolvitur, nec ulla alia anima, quam spiritus, seu subtiliores sanguinis partes, istius generis vitae, et sensuum exercitiis idoneae. ». ANTONII LE GRAND, *Institutiones Philosophiae* etc., par. 7, art. 17, num. 3, pag. 390.

(2) Wir verlangen, dass man nicht mehr von Tierpsychologie, sondern bloss von Nervenphysiologie rede. *Biol. Zentralblatt* (1900) 498.

(3) *Archiv für gesamte Physiologie* (1900) T. 79, p. 49.

(4) Auch für die Tiere können wir nicht aussagen, dass sie fühlen, sondern nur dass durch Reize Bewegungen bei ihnen ausgelöst werden, l. c. I (1910) 42.

dens. Maior patet, cum a Cartesianis quoque admittatur. — *Prob. m.* — Et primo motus mechanicus perdurat, quoadusque vi opposita elidatur, ac lineam rectam, nisi quid obstet, persequitur. Atqui animalia saepe nutant aut cessant motum, quin ulla huiusmodi vis extrinseca habeatur, ut iugis docet experientia. Ergo. — Praeterea haec sententia in alia innititur, quae asserit omnem corporum activitatem reduci ad purum motum localem. Atqui istam falsam omnino esse, satis ostendimus tum in Cosmol. th. II tum hic iterum in thesi X. Ergo (1).

Prob. II p. — Ibi adest cognitio sensitiva, ubi reperiuntur omnia organa necessaria ad eius exercitium, et operationes propriae huius vitae. Atqui in animalibus brutis certissime adsunt organa propria diversorum sensuum, quibus exerceantur diversae operationes vitae sensitivae, e. g. videre, audire, olfacere et huiusmodi, quemadmodum iugis testatur experientia. Ergo.

Merito igitur aiebat S. Augustinus: « Irrationabilia animantia vivere atque sentire nemo ambigit » (2).

Praeterea cognitio sensitiva exercetur per actiones videndi, audiendi, gustandi, percipiendi dolorem, etc. Atqui in animalibus reperiuntur istae operationes similes iis, quae contingunt in homine. « Cognitionis alicuius, ait Aristot. (3) particeps unumquodque animal est, aliud maioris, aliud minoris, aliud plane exigue: sensum enim habent, sensus au-

(1) Ad rem Gardair, *Corps et Ame*, p. 102 « Les forces physico-chimiques agissent d'un corps sur un autre; mais elles sont trop complètement plongées dans la matière, pour que, par elles un sujet corporel puisse se replier sur lui-même et saisir son propre acte ».

Et A. Vacant, *Etudes comparées sur la Phil. de S. Th. et sur celle de Duns Scot.* t. I, p. 37 « Les animaux ne sont pas de pures machines. Ils ont des sensations conscientes, aussi réelles que les nôtres; et leurs operations procèdent de leur activité propre. S'ils obéissent tous de la même manière aux instincts innés communes à toute l'espèce à laquelle ils appartiennent, chacun d'eux tient une conduite particulière, qui varie en raison des conditions spéciales où il vit. Cette conduite est déterminée non seulement par les impressions, qu'il ressent et les circonstances où il se trouve, mais encore par les habitudes qu'il a prises et par les impressions qu'il a déjà ressenties en face des mêmes objets ».

(2) *De Lib. Arbitrio*, l. II, c. 29.

(3) L. I. *De gener. anim.*, c. 33.

tem cognitio quaedam est ». Et alibi (1). « In universum si quis animantium ceterorum victum contempletur, ea multis in rebus humanam vitam imitari observabit, atque in minoribus potius quam in maioribus videbit intellectus acumen »; quamvis tamen nullus in eis intellectus adsit.

Item patet in animalibus esse cognitionem facultatum internarum. - - Et primo certo constat ea retinere per memoriam cognitiones habitas. « Puto te negare non posse, ait S. August. 2) bestias habere memoriam; nam et nidos post annum revisunt hirundines, et de capellis verissime dictum est : *atque ipsae memorae redeunt ad tecta capellae*. Et canis herum dominum, iam suis hominibus oblitum, recognovisse praedicatur ». Haec memoria sensitiva est, non intellectiva, quum tantum circa res corporeas versetur.

Sed memoria necessario exigit phantasmata, quae ab ea retinentur, unde etiam poëta cecinit : « Et canis in somnis leporis vestigia latrat ». — Aestimativam quoque in eis adesse, quacum *instinctus* coniungitur, omnibus in comperto est. Per eam enim agnus cognoscit lupum ut inimicum et ideo fugit, avis colligit paleas ad nidificandum; et multa animalia ante omnem experientiam cognoscunt cibos sibi idoneos, herbas medicinales ad medendum variis morbis aptissimas... et alia id genus.

Tandem in eis adesse etiam sensum communem evidenter colligitur ex eo, quod haec facultas est veluti fundamentum aliarum. Et revera animalia certo distinguunt diversa alimenta, individua, quae diverso etiam appetitu prosequuntur. Atqui non possent ea distinguere, nisi suas perciperent affectiones ac perceptiones sensuum externorum. — Item tendunt in alimenta, non propter pulchritudinem vel odorem, sed propter convenientiam cum gustu, ac proinde secernunt unam cognitionem ab altera. Ergo.

Dices : I. — Qui cognitione gaudent, in sua vita proficiunt. Atqui bruta animantia non proficiunt. Ergo. — *R. D. M.*; qui gaudent cognitione intellectiva, *c.*, sensitiva *n.* — *C. m.* — Profectus, uti patebit in cap. seq., tunc habetur, cum a notis proceditur ad ignota, quod fieri nequit nisi mediante ratiocinio, quod

(1) L. IX *De Hist. anim.*, c. 7.
(2) L. epist. fund. c. 17. Cfr. aliud testimonium allatum in n. 221.

habetur tantum in vita intellectiva. Sensus enim cum cognoscat tantum singularia ac materialia, nec valeat in suos actus reflectere eosque simul comparare, nullum potest conficere ratiocinium.

II. — Vita sensitiva inservit ad intellectivam. Atqui haec deest in brutis. Ergo. — *R. D. M.;* tantum..., *n..;* etiam, *c.* — *C. m.* — Quamvis in homine vita sensitiva inserviat intellectivae, ipsa tamen iam in se sola habet finem sui, ut nempe cognoscens communicet cum rebus singularibus materialibus.

III. — Ubi adest cognitio sensitiva, inveniri debent signa, quibus ea manifestatur. Atqui haec signa in brutis desunt. Ergo. — *R. D. M.;...* signa naturalia, *c.;* etiam artificialia ac perfectiora *n.* — *Contrad. m.* — Signa artificialia, ut essent vocabula prolata vocibus rite articulatis, perfectiora quidem sunt ac maximae utilitatis nisi etiam necessitatis in hominibus ad manifestandam cognitionem intellectivam, at certe dici nequeunt prorsus necessaria ad cognitionem sensitivam habendam eamque aliis communicandam, nec ad appetitum manifestandum.

IV. Actus brutorum, qui dicuntur ostendere cognitionem sensitivam, plane possunt explicari per instinctum seu appetitum naturalem. Atqui iste non requirit cognitionem. Ergo. — *R. D. M.;* omnes... *n.;* quidam qui forte neque pertinent ad ordinem cognitionis, *c.* — *C. m.* — Verus appetitus naturalis tendit tantum ad aliquid conforme physicae rei naturae, per illud genus actionum, quod determinatur a forma propria illius naturae. At brutorum operationes consequuntur diversas formas intentionales, distinctas a naturali. Secus enim, ut de aliis taceam, quomodo explicatur, quod animal, fontem aquae inspiciens, ad eum currit, et, si forte impedimentum conspicit, sistit, ut ad alium se vertat, vel etiam signa doloris edit? cur canis herum aspiciens, signa laetitiae promit, eum lambit; et, si virum conspicit extraneum, vehementer latrat? cur agnus lupum fugit et ad ovem potius se convertit?... et ita porro.

V. — Cognitio sensitiva requirit principium formale simplex. Atqui in brutis deest. Ergo. — *R. D. M.;...* et dependens a materia, *c.;* ab ea independens ideoque in se subsistens *n.* — *Contrad. m* — Si certe in mineralibus ac plantis principium formale simplex reperitur, multo magis in brutis adesse debet.

233. **De appetitu sensitivo.** — Innuimus iam in n. 39 agnoscendum esse in viventibus, quae cognitione gaudent, *appetitum* seu *tendentiam in bonum apprehensum tamquam in summ finem* (1); si ergo in brutis animantibus adest cognitio sensitiva, *appetitus* quoque ei respondens adsit oportet, qui proinde merito *sensitivus nuncupatur*. Et primo ut

(1) Cfr. quae de bono ac de fine delibavimus in Metaph. gen. n. 122, 123 et nn. 297-299.

huius natura penitius perspiciatur, praestat statuere, *quid sit* **appetitus naturalis,** a quo ipse apprime secernendus est. Clare admodum a Suarezio describitur (1).

« Appetitus naturalis dicitur quaelibet propensio cuiusvis rei in suum proprium bonum, quae propensio non est proprie appetitus, sed metaphorice, neque est specialis potentia, neque fit per actionem ipsius appetentis, sed *est coaptatio naturalis, quam quaeque res habet cum ea, ad quam ordinatur.* Unde talis appetitus non supponit cognitionem, nec fit ab ipso appetente (i. e. non importat peculiarem ac proprium actum appetentis), sed illi datur a natura, et ad proprium commodum tendit. Quare appetitus naturales tot multiplicantur, quot sunt diversae inclinationes naturales ». Ideo huiusmodi appetitus non est facultas ab istis distincta, quum nullum actum proprium exercere debeat distinctum ab actu cuiusque facultatis.

Sed, ut ibid. prosequitur Suarez, « praeter appetitum naturalem est in re qualibet cognoscente specialis potentia animae, per quam actu sibi proprio vitaliter appetit. Haec constat experientia, cuius rationem reddit optime D. Th., quod *appetitus sequatur formam*, ideoque iuxta diversum modum rationemque formae, diversa ratio appetitus consequatur. Unde cum inanimatae res informantur solum naturali forma, solum habent inclinationem naturalem consequentem naturalem formam. Res autem cognoscentes, cum informentur per cognitionem etiam aliarum rerum formis intentionaliter superiori quodam modo, fiuntque res ipsae cognitae vitaliter et intentionaliter, ideo altiorem nactae sunt appetitum, hoc est *vitalem*, qui consequitur cognitionem ».

Ergo appetitus in ordine cognitionis est tendentia consequens formam apprehensam a cognoscente, seu tendentia in illud obiectum reale secundum *suum esse physicum*, quod per cognitionem erat in cognoscente tantum secundum *esse intentionale*. At quoniam obiectum, in quod tendit appetitus, dicitur *bonum* (metaph. gen. n. 122) et etiam *finis* (ibid.

(1) *De Anima*, L. V, c. I, n. 1.

n. 123) merito hic initio definivimus appetitum: *tendentiam in bonum apprehensum, tamquam in suum finem.*

Quocirca *appetitus sensitivus est tendentia in bonum sensibile tamquam in suum finem*, nimirum tendentia ad assequendum secundum esse physicum obiectum a sensibus perceptum, existens in eis ut intentionale. De hoc igitur appetitu nunc dicendum occurrit, quod necessario adstruendus est in brutis animantibus, et quidem uti facultas distincta a facultatibus cognoscitivis.

Thesis XLIV.

Agnoscendus est in brutis animantibus appetitus sensitivus, uti facultas ab aliis realiter distincta.

234. Haec thesis, uti patet ex iis quae praestituimus, non est nisi corollarium prioris, ideoque eosdem habet adversarios ac altera. Et proinde ex probatione huius theseos nova habetur confirmatio sententiae nostrae, et reprobatio opinionum adversariorum. Et sane.

Prob. I p. Appetitus sensitivus est inclinatio consequens formam sensitivam, quae nempe per cognitionem sensitivam exoritur. Atqui in animalibus brutis huiusmodi forma sensitiva adest. Ergo necessario consequitur appetitus ei respondens. « Insuper eis insunt passiones concupiscibilis et irascibilis, quae aperte exhibentur per omnia signa delectationis et voluptatis, irae, timoris et amoris, quo fit ut magno impetu ferantur ad cibos et ad ea, quae ipsos delectant, ac dolore afficiantur in rebus adversis. Atqui hae passiones sunt naturalis effectus appetitus sensitivi; unde scite aiebat S. Augustinus: « Dolor, quem bestiae sentiunt, animarum etiam bestialium vim quandam in suo genere mirabilem laudabilemque commendat » (1). Et Aristotel. (2) « Quod si sensitivum inest, appetitivum etiam inest: nam appetitus cupiditas est ira et voluntas... cui sensus inest, ei voluptas etiam et dolor inest ». Ergo.

Praeterea in animantibus brutis certe adest facultas locomotiva, uti omnibus patet. Atqui haec facultas neces-

(1) *De Lib. Arbitrio*, l. III, c. 33, n. 69.
(2) L. II, *de Animal.*, c. 3.

sario supponit appetitum sensitivum. Nam, ait S. Th., « est duplex virtus motiva, una imperans, altera imperata: imperans est virtus appetitiva sensitiva, cuius actus constat quod non est sine organo corporali: virtus autem motiva imperata, et exequens motum, est vis quaedam musculis et lacertis affixa » (1). Ergo.

Prob. II p. — Tunc agnoscenda est facultas ab aliis realiter distincta, quum habetur actus et obiectum specifice diversum ab obiectis aliarum (Th. VII). Atqui actus et obiectum formale appetitus sensitivi specifice differunt ab actibus et obiectis formalibus aliarum facultatum. Ergo. — *Pr. m.*: — *a*) quoad *facultates cognoscitivas*. Istae enim tendunt ad percipienda obiecta, eaque in se ponenda secundum esse intentionale, appetitus autem tendit ad ea possidenda secundum esse reale ac physicum. Atqui esse intentionale et physicum specifice differunt, et ideirco actus, quibus in utrumque tenditur, specifice quoque differre debent. Ergo. — *b*) quoad *appetitum naturalem*. Iste sequitur formam naturalem, cuique potentiae ab ipsa natura communicatam, et est ipsa tendentia facultatis ad suum actum exercendum. Atqui appetitus sensitivus sequitur formam apprehensam, et est tendentia non ad ponendum actum sed ad possidendum obiectum apprehensum. Ergo distinguitur ratione tum obiecti, tum actus, tum principii determinantis ad actum. — *c*) quoad *facultates pure physicas* et *vegetativas*. Ipsae sunt in ordine prorsus inferiori ac est ordo cognoscitivus, in quo reperitur appetitus sensitivus. Atqui facultates diversi ordinis certissime realiter distingui debent. Ergo (2). — Tandem quoad *appetitum intellectivum* suo loco patebit utriusque distinctio.

(1) II Sent. D. 18, q. 2, a. 3, ad 1.

(2) Accipe etiam argumentum S. Th. (I p., q. 80, a. 1). « Quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio... In his autem quae cognitione carent invenitur tantummodo forma ad unum esse proprium determinans unumquodque, quod etiam naturale uniuscuiusque est. Hanc igitur formam naturalem sequitur naturalis inclinatio, quae *appetitus naturalis* dicitur. In habentibus autem cognitionem sic determinatur unumquodque ad proprium esse naturale per formam naturalem, quod tamen est receptivum specierum aliarum rerum: sicut sensus recipit species omnium sensibilium, et intellectus recipit species omnium intelligibilium. Et sic anima hominis fit omnia quodammodo secundum sensum et

Praeterea tendentia, quae consequitur formam advenientem operanti iam in sua natura constituto, explenda est per actionem facultatis propriae, respondentis huic novae formae. Atqui tendentia appetitus sensitivi consequitur formam apprehensam, quae advenit cognoscenti iam in sua natura constituto. Ergo exercenda est per actionem facultatis propriae illi respondentis, atque adeo appetitus sensitivus necessario esse debet facultas distincta.

Dices: I. — Appetitus sensitivus tendit in bonum ut in finem, quemadmodum et appetitus naturalis. Atqui iste non exigit peculiarem facultatem. Ergo. — *R. D. M.;...* inquantum sequitur formam, qua illud cognitum fuit, ut ipsum in suo esse reali possideatur, *c.;* inquantum sequitur formam naturalem, qua determinatur ad actum exercendum *n.* — *D. m.;* non exigit facultatem distinctam, qua tendat ad actum ponendum, *c.;* non exigit facultatem, quae ponat hunc actum *n.*

II. — Obiectum utriusque appetitus est idem, nempe bonum. Ergo non distinguuntur. — *R. D. A.;* eodem modo propositum et assequendum *n.;* diverso modo propositum et assequendum, *c.* — Obiectum appetitus naturalis est actus ponendus ab aliqua facultate, determinatus ab ipsa natura. Appetitus autem sensitivus tendit ad actum, determinatum a perceptione illius rei. Unde bonum utriusque diversimode proponitur et est diversimode assequendum; aliud enim est bonum quod consistit in actu ponendo circa rem aliquam, aliud vero, quo tenditur ad ipsam possidendam, eaque fruendum.

III. — Omnis appetitus est tendentia in finem. Atqui haec tendentia non exigit peculiarem facultatem. Ergo. — *R. D. M.;...* vel a natura determinatum vel apprehensum per cognitionem, *c.;* tantum a natura determinatum *n.* — *Contrad. m.:* tendentia in finem apprehensum *n.;* determinatum a natura, *c.*

IV. — Obiectum facultatis cognoscitivae et appetitus est idem. Ergo — *R. D. A.;...* idem *materialiter, c.; formaliter n.* — Ad rem S. Th. « Id quod apprehenditur et appetitur est idem subiecto, sed differt ratione. Apprehenditur enim ut est ens sensibile vel intelligibile; appetitur vero ut est conveniens aut bonum. Diversitas autem rationum in obiectis requiritur ad diversitatem potentiarum, non autem diversitas materialis » (1). Apprehenditur, ut sit intentionaliter in cognoscente, appetitur ut sit realiter.

intellectum.... Ita oportet quod in eo sit inclinatio supra modum inclinationis naturalis, quae dicitur appetitus naturalis. Et haec superior inclinatio pertinet ad *vim* animalis appetitivam, per quam animal appetere potest ea quae apprehendit ».

(1) S. *Th.*, I p., q. 80, art. 1, ad 2.

235. **Scholion. — De Organo appetitus sensitivi.** — Quod appetitus sensitivus sit facultas organica, communis est omnium sententia. Ipse enim sequitur cognitionem habitam per facultates sensitivas organicas, ac proinde versatur semper circa obiecta sensibilia ac materialia. Sed quum quaestio movetur de proprio eius organo, non una est philosophorum sententia tum inter veteres (1) tum inter recentiores.

Plures, sequentes Aristotelem, cor esse putarunt proprium eius organum. Attamen eorum argumentum potius favet nostrae sententiae, quum innitatur in eo, quod *cor sit primum principium et instrumentum motus* (2). Dum contra hoc principium praesertim pro vita sensitiva invenitur in centro systemátis cerebro-spinalis.

Qua de re nos primo advertimus cum P. Pesch: « Res certa est appetitum hunc simili modo diffundi per totum corpus, quo tactum et sensum communem. Omnis ergo pars sensitiva, in qua inest sensus, est etiam organum appetitus sensitivi. Ubi est cognitio et sensus, ibi est varia appetitus affectio » 3). *Organum autem elicitivum primum et internum* in cerebro reponendum videtur.

Thesis XLV.

Organum elicitivum appetitus sensitivi est centrum systematis nervei, in cerebro residens; cor autem est eius organum manifestativum primarium.

236. **Explicatur.** — Iamvero duo sunt, quae hic contendimus: 1° organum elicitivum appetitus non esse cor sed systema nerveum praesertim in cerebro; — 2° cor tamen ad eius exercitium cooperari, atque adeo esse etiam manifestativum ipsius saltem primarium, sed non unicum. Haec est communior sententia physiologorum, quam plures etiam recentiores scholastici amplectuntur (4).

(1) Cfr. Suarez, *De Anima*, l. V, c. IV, n. 9.

(2) Cfr. Suarez, ibidem.

(3) *Psychol.*, vol. II, n. 655.

(4) Cfr. e. g. P. Pesch, l. c. n. 656....; Card. Mercier, *Psychologie*, n. 142, item Blanc et alios.

Cor enim potius dici posset organum vitae vegetativae animalis, inquantum suis motibus efficit, ut sanguis per sua vasa, quae ad cor se referunt, circumeat per totum organismum ut vitae vegetativae inserviat, ut innuimus in n. 56, 57. Dum contra organa omnia vitae sensitivae pertinent ad systema nerveum suum habens praecipuum centrum in cerebro. Iamvero hoc systema sese refert ad cor per duos nervos praecipue, *pneumogastricum* et *magnum-sympathicum*, quorum alter veluti dirigit ac moderatur motus cordis seu contractiones eius musculares: alter vim addit ut iugiter isti motus permaneant. Quare quamvis huiusmodi motus per se non dependeant a centro systematis cerebro-spinalis, quendam tamen subeunt influxum quoad *intensitatem, celeritatem, et uniformitatem* motus. Hinc sequitur quod diversae affectiones appetitus sensitivi e. g. *amoris, doloris, irae, desiderii*, diversimode influant in contractiones cordis, ac proinde in ipsum motum sanguinis. Inde fluido liquet, quod *primo* cor manifestat istas sensationes affectivas, ac dein etiam alia membra, praesertim vultus, exhibendo mutationem coloris et huiusmodi.

Insuper ipsi quoque nervi sanguine indigent ad sui mutationem, conservationem ac reparationem, et sub hoc respectu, quamvis indirecte, cor etiam influit ad exercitium vitae sensitivae, et vicissim phaenomena quaedam vitae sensitivae mediante nervo *magni-sympathici* influunt in motus musculares cordis, et efficiunt, ut ex eis sanguis facilius vel difficilius affluat ad diversa texta nutrienda ac reparanda, atque ita melius vel peius exerceatur vita vegetativa. Quapropter quamvis centra nervorum systematis cerebro-spinalis nullum directum exerceant influxum in cordis motus, *indirecte* vere ac realiter influunt.

Tandem cor dependet in suis motibus a nervis, qui inserviunt ad respirationem: sanguis enim, qui inservit ad organismi nutritionem, expostulat oxygenium, quod per respirationem ad pulmones transmittitur, ut cum sanguine permisceatur. Quare ea quae perturbant respirationem, afficiunt tum centra nervorum, qui ei inserviunt, tum sanguinem per sua vasa diffluentem, et consequenter ipsum cor.

Triplex igitur datur dependentia cordis a centris ner-

vorum seu a centro systematis cerebro-spinalis in ordine anatomico et activitatis: 1) directe per nervos pneumogastricum et magnum-sympathicum; 2) indirecte per sanguinis vasa eiusque motum a corde productum; 3) per organa respirationis. Quocirca ratione huius triplicis dependentiae efficitur, quod cor cooperetur ad exercitium actionum appetitus sensitivi, quamvis earum organum elicitivum, cui ipsa facultas est alligata, sit centrum systematis nervei in cerebro residens; uti statim patebit.

237. **Prob. I p.** — Primo argumento *psychologico*. Appetitus sensitivus est facultas consequens cognitionem sensitivam, ut diximus: ergo ibi est primum ac proprium eius organum, ubi centrum omnium nervorum organorum sensuum. Atqui ipsum est centrum systematis cerebro-spinalis. Ergo. — Et sane, ad vim maioris intime perspiciendam, advertendum est, appetitum quam maxime consequi cognitionem sensuum internorum, et primo *sensus communis*, quo, cognoscendo et comparando sensationes sensuum externorum, valemus appetere hoc vel illud obiectum sensibile, item *phantasiae* ac *memoriae*, et ita appetimus obiecta absentia, ac praesertim *aestimativae*, quae potissima est ad inclinandum diversimode appetitum in obiecta apprehensa secundum diversas intentiones eis annexas. Atqui vidimus harum facultatum organa residere in cerebro. Ergo.

Secundo argumento *physiologico*. Cum appetitus sensitivus tendit in aliquod obiectum, est causa motuum aliorum corporis membrorum, quibus realiter in illud tendimus, et qui diriguntur ab appetitu, praelucente cognitione huius obiecti. Atqui hi quoque motus exercentur per systema cerebro-spinale. Ergo in eius centro resideat oportet *appetitus*, ut eos dirigat in obiectum quod appetitur.

Tertio argumento *anatomico*. Organum appetitus huiusmodi structuram exhibeat oportet, ut aptum appareat ad exercitium vitae sensitivae. Atqui structura cordis non ostendit nisi aptitudinem ad contractiones musculares, quibus in motu ponitur sanguis, ut vita vegetativa servetur in singulis corporis membris. Structura autem systematis cerebro-

spinalis ac praesertim cerebri tota apparet instituta ad exercitium vitae sensitivae. Ergo.

Quarto argumento *pathologico*. Experientia docet, intimum adesse nexum inter nervos et affectiones seu tendentias appetitus sensitivi. Qui nervis pollent aut debilioribus, aut magis subiectis obiectorum impressionibus, facilius etiam subiiciuntur affectionibus ac passionibus appetitus sensitivi. Et vicissim vehementiores passiones debilitant vel perturbant nervos ac praesertim cerebrum. Dum contra nil huiusmodi intercedit inter physicas cordis dispositiones et affectus appetitus, et si forte quandoque ex perturbatione in cordis motibus influxus quidam in appetitum exerceri videatur, hic est potius indirectus iuxta ea quae nuper praestituimus. Atqui hoc satis ostendit organum appetitus esse potius cerebrum quam cor. Ergo.

Prob. II p. — Et primo *a posteriori* constat iuxta diversos affectus appetitus, diversas produci contractiones musculares cordis, ex quibus proinde diversi motus in sanguine gignuntur, uti diximus. Atqui hoc pacto cor plane valet manifestare affectus appetitus. Ergo.

Secundo *a priori*. Illud organum est manifestativum appetitus, quod ita recipit eius impressiones, a quibus immutatur, ut simul valeat immutare organa facultatis sensitivae, quae proinde percipit existentiam actionum appetitus. Atqui cor revera primo immutatur ab actionibus appetitus et simul immutat nervos, qui ad cerebrum referuntur, et qui constituunt organum tum tactus interni tum sensuum internorum. Cerebrum vero, quamvis sit organum appetitus, directe non immutatur ab eius actibus, quippe qui non exercentur per immutationem physicam ipsius organi, sed consequuntur immutationem, habitam per sensationem. Ergo revera cor est manifestativum appetitus, non autem cerebrum.

Tertio argumento *anatomico*. Nervi multiplici ratione cum corde coniunguntur, ac proinde possunt tum influere in cor ad eius motus musculares immutandos, tum proinde ab istis immutari, ad perceptiones sensiles habendas. Atqui cum ipsi immutant motus musculares, ostendunt existentiam actuum appetitus, et vicissim cum ab illis motibus immutan-

tur, percipiunt existentiam horum actuum. Imo tantus est nexus inter diversos appetitus, sub ratione actus et effectus, qui oriuntur in corde, ut merito appelletur cor *calidum* vel *frigidum*, *magnum vel parvum*... etc. iuxta hos diversos actus, ut clare explicavit Bernard (1). Ergo.

238. **Corollarium.** I. Ergo modo plane intelligitur, cur conscientia referat affectiones appetitus ad cor potius quam ad cerebrum. Conscientia refert existentiam actuum appetitus, non prout ipsi eliciuntur ab appetitu, sed prout percipiuntur a sensibus. Atqui percipiuntur inquantum immutant cor: nimirum, uti nuper diximus, inquantum nervi facultatum cognoscitivarum tactus interni et sensus communis immutantur a corde. Ergo (2).

II. Ergo recte cor sumitur uti simbolum vel signum amoris aliarumque passionum appetitus non modo sensitivi

(1) « Quand on dit, que le cœur est brisé par la douleur, le cœur a été arrêté par une impression soudaine, d'où quelquefois la syncope, et des crises nerveuses. Le cœur *gros* répond à un prolongement de la diastole, qui fait éprouver dans la région précordiale un sentiment de plénitude et de resserrement. Le cœur qui *palpite* n'est pas seulement une formule poétique, mais une réalité physiologique: les battements sont rapides et sans intensité. La facilité avec laquelle le cœur se vide, la régularité de la circulation étant entretenue par une pression insignifiante, répond au cœur *léger*. Deux cœurs *unis* battent à l'unisson sous l'influence des mêmes impressions. Dans le cœur *froid*, les battements sont lents et tranquilles, comme sous l'influence du froid; dans le cœur *chaud*, c'est le contraire. Quand on dit à quelqu'un qu'on l'aime de *tout son cœur*, cela signifie physiologiquement, que sa présence ou son souvenir éveillent en nous une impression nerveuse qui, transmise au cœur par le pneumogastrique, fait réagir notre cœur de la façon la plus convenable à provoquer dans notre cerveau un sentiment ou une émotion. Chez l'homme, le cerveau doit, pour exprimer ses sentiments, avoir le cœur à son service ». *La science expérimentale. Etude sur la physiologie du cœur* (1165).

(2) Scite ad rem ait Card. Mercier, l. c. « La conscience n'attribue pas les émotions au cerveau, parce que les fonctions cérébrales qui accompagnent les sensations et les sentiments échappent à la conscience; et comme, pour exprimer une chose, il faut en avoir conscience, les phénomènes cérébraux ne peuvent servir à l'expression de la sensibilité affective. En revanche, les concomitants indirects des phénomènes affectifs, à savoir les battements du cœur et plus généralement les phénomènes circulatoires et respiratoires, sont tels que leurs modifications quelque peu intenses sont perceptibles par les sens, donc ils peuvent servir à l'expression de la sensibilité affective. Pour être indirects, ces phénomènes n'en sont pas moins en liaison constante avec les phénomènes psychiques et dès lors, il y a une connexion naturelle entre *les variations d'intensité* des passions et les phénomènes circulatoires, et il est permi par conséquent de prendre ceux-ci pour l'expression de celles-là ».

imo et intellectivi. Simbolum enim alicuius actus minime esse debet organum elicitivum ipsius, sed sufficit ut talem exhibeat nexum cum eo, ut ex sua natura valeat illum *significare* seu manifestare, et tunc dicitur etiam *signum naturale*, prout ex ipsa natura est institutum ad illum significandum. Atqui vidimus realem ac naturalem adesse nexum inter actus appetitus et cor. Ergo 1). — Quoad appetitum intellectivum in cap. seq. monstrabitur, ipsum, quamvis spiritualis, influxum exercere in systema nerveum ac proinde in cor, unde eadem ratione potest ipse quoque ab eo significari. — Ibid. etiam sermo erit de utriusque appetitus passionibus.

239. **Dices:** I. Appetitus realiter distinguitur a potentia cognoscitiva. Ergo habere debet diversum organum. — *R. D. M.;* ipsa facultas quae proprie elicit actum, *c.;* organum quod cum ea intrinsece concurrit, *subd.;* inquantum diversimode concurrit cum appetitu et cum facultate cognoscitiva, *c.;* inquantum constituitur per diversam materiam, *n.*, vel transeat. — *D. C. eodem modo.* — Distinctio potentiarum primo ac per se desumitur ex diversitate facultatum, quae proprie agunt. Si vero ipsae indigent etiam intrinseco organi concursu, tunc ipsum certe diversimode quoque concurrere debet ad diversos earum actus, et sub hoc respectu diversum est pro unaquaque facultate. Utrum autem diversa pariter requiratur materia, hoc saltem certum non videtur. Et revera nemo adhuc assignare potuit diversam materiam pro organis quatuor sensuum internorum, ideoque nil mirum si neque determinari queat peculiaris illa cerebri materia ut proprium organum appetitus, et ideo diximus *transeat.*

II. Illud est organum appetitus, in quo eveniunt passiones animalis. Atqui eveniunt in corde. Ergo. — *R. D. M.;* in quo eliciuntur, *c.;* in quo manifestantur, *subd.;* est organum elicitivum, *n.*, manifestativum, *c.* — *Contrad. m.*

III. Si cor esset tantum manifestativum actuum appetitus, qui fiunt in cerebro, posset etiam manifestare actus cognoscitivos. Atqui non manifestat. Ergo. — *R. D. M.;...* si etiam actus cognoscitivi exercerent influxum in cor, *c.;* si non exercent, *n.* — *Contrad. m.;...* praecise quia non exercent influxum, *c.;* quia non eliciuntur a corde *n.* — Ad rem S. Th.: in apprehensione sensitiva non habetur passio quia ex ea « non sequitur motus in cor-

(1) « La conscience spontanée, ita prosequitur idem Card. Mercier in loco nuper allato, *symbolise* ainsi l'amour par le cœur, mais son jugement fait abstraction du point de savoir si le phénomène sensible auquel le symbole est emprunté est lié directement ou indirectement au phénomène psychique de l'amour, si le cœur est ou n'est pas, en rigueur de termes, l'*organe proprement dit* et le siège immédiat de la sensibilité appétitive ou émotive ».

pore nisi mediante appetitiva, quae est immediatum movens. Unde secundum operationes eius statim disponitur organum corporale, scilicet cor, unde est principium motus, tali dispositione, quae competat ad exequendum hoc, in quod appetitus sensibilis inclinatur. Unde in ira fervet, et in timore quodammodo frigescit et constringitur » (1).

IV. Cor quum recipere possit impressiones magni-sympathici, plane concurrere potest ad producendos actus appetitus ut eius organum. Ergo. — *R. D. A.*; ut eius organum receptivum actuum qui ab appetitu gignuntur, *c.;* ut eius organum elicitivum una simul cum facultate, *n.* — Porro aliud est recipere actus ab appetitu productos, aliud concurrere ad eos producendos. Ac proinde quoniam cor recipiat impressiones ab illis actibus productas, nil vetat etiam ipsum vocare sedem illarum affectionum quas manifestant, dummodo hic loquendi modus rite explicetur.

240. **De Facultate locomotiva.** — De ipsa non multum dicendum nobis occurrit cum potius physiologis explicanda est. Et primo quoad eius naturam, ipsa ita definiri potest: *facultas organica per quam animal proprium corpus movet secundum locum.* — « *Facultas organica* » constituit eius genus, quod ostendit, eam pertinere ad classem facultatum, quae intrinsece pendent a materia. — Cetera verba constituunt differentiam specificam, quae patefaciunt proprium eius obiectum specificativum.

S. Thomas, de ipsa loquens, in eo insistit, quod ipsa sit vis quaedam subiacens cognitioni et appetitui sensitivo ac intellectivo. Et merito quidem, hac enim ratione intelligitur tum ordo potentiarum inter se, tum propria ratio seu finis huius facultatis, qui in eo est ut inserviat utrique appetitui, consequenter ad cognitiones habitas. Et sane quum uterque appetitus tendat in ipsum obiectum reale seu physicum sibi comparandum, indiget aliqua vi, qua hoc consequi possit. Et quoniam obiectum illud materiale distat localiter ab appetente, requiritur in eo vis quaedam, qua localiter moveatur, ut se vel sua membra dirigat in alium locum. « Vis motiva, ait S. Th., exequens motum, est, per quam membra corporis redduntur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus non est *movere* sed *moveri* ». Et alibi: « Oportet intelligere, quod anima movet corpus per apprehensionem et appetitum » (2).

Si vero haec vis spectatur per ordinem ad ipsum actum vitalem, quem eadem exerit, ab eodem S. D. dicitur: « Virtus

(1) Quaest. disp. *De Verit.*, q. 26, a. 3. Adverte tamen quod si conferantur haec verba S. Th. cum verbis Claudii Bernard paulo ante allatis, ad rem, quod attinet non videntur differre, quamvis forte ob defectum experimentorum, quae ignorabantur aetate S. Th. non videatur S. D. rite distinguere inter organum elicitivum et manifestativum appetitivae virtutis.

(2) *S. Th.*, I p., q. 75, a. 8, ad 3. — Et Quaest. disp., q. de anima a. 9, ad 6.

imperata et *exequens motum* est vis quaedam musculis et lacertis affixa, ad quorum motum totum corpus movetur ». Et alibi : « Haec vis motiva non solum est in appetitu et sensu ut imperante motum, *sed etiam est in ipsis partibus corporis*, ut sint habiles ad obœdiendum appetitui animae moventis ». Et « In nobis actio virtutis motivae est media inter actum voluntatis et effectum » (1).

Organum huius facultatis sunt *musculi*, *qui motorii vocantur*, quique nervis uniuntur ortis ex systemate cerebro-spinali.

Thesis XLVI.

Bruta animantia nullo modo gaudent vita intellectiva.

241. **Status quaestionis.** — Haec thesis pleniorem, uti par est, confirmationem habebit in cap. seq., quum directe explicabitur natura vitae intellectivae.

Quare sufficit modo ostendere non adesse in eis vitam illam cognoscitivam et appetitivam, quam in hominibus reperiri omnibus constat, et intellectivam appellamus.

Haec thesis duo habet adversariorum genera, et eorum qui nullam agnoscentes vitam intellectivam a sensitiva distinctam, neque in homine eam adesse fatentur: et eorum, qui ad deprimendam hominum excellentiam eosque cum belluis comparandos, in istis quoque vitam intellectivam adstruunt. Contra priores adversarios sermo erit in cap. seq. De ceteris tantum modo aliquid immuendum venit (2).

(1) II S., D. 18, q. 2, a. 3, ad 1. — S. *Th.*, q. 78, a. ad 4. — Et *Contra Gentes*, l. II, c. 35.

(2) Scite ad rem P. Wasmann, qui clare proponit statum huius quaestionis. « L'ipotesi d'una *intelligenza belluina* oggi è di moda; l'umanizzazione delle bestie una mania... Però se si studia un po' da vicino l'origine di codesto vezzo, si vede che esso non viene dagli scienziati, ma dai così detti popolarizzatori della scienza, da quegli amici e patroni delle bestie, che attingono le loro nozioni psicologiche intorno alla vita degli animali dai lavori di un Brehm e di un Büchner... Ma ben diverso è il giudizio che si fa dell'intelligenza animale tra i dotti, anche tra gli stessi darwinisti... Codesti avversari, quali Romanes, Espinas, Forel, Emery, Ziegler... etc. consentono con noi nel ritenere come antiscientifica e addirittura ridicola la pretesa di spiegare alla Brehm *per via di una vera intelligenza belluina* tutti gli atti finalistici dei bruti scorti da conoscenza sensitiva. Con costoro si tratta principalmente di rispondere ai due quesiti seguenti: *primo*, l'intelligenza umana differisce da quella belluina *essenzialmente* o solo *di grado? Secondo*, la vita intellettuale umana potrebbe, o no, evolversi filogeneticamente dalla vita sensitiva animale? » *Istinto e intelligenza nel regno animale*, versione italiana sulla 3. ed. tedesca di Antonio Boni, Firenze, Libr. ed., 1908, p. 1, 2.

Et primo iam apud antiquos praeter Pythagoreos, Brachmanes, Indiae sapientes et Epicurei diserte docuerunt, belluas etiam intellectu pollere sicut et homines, ex quo deducebant eorum omnium animam eiusdem esse perfectionis adeoque mortalem. Plutarchus opusculum composuit, cui titulus : « Quod bruta animalia ratione utantur » in quo aperte asserit : « Bestiarum natura non est mentis atque intelligentiae expers ». Inter recentiores vero haud pauci inveniuntur, qui ex diversis peractis experimentis colligunt, in belluis veram adesse intelligentiam, quamvis imperfectioris rationis ac in homine; nec etiam desiderari locutionem, quae tantum exercetur per diversa corporum membra : « Quot membra, tot linguae », aiebat O. Golgau.

Sed communissima Scholasticorum doctrina, quam nos hic vindicamus, cum aliis recentioribus (1), veram vitam intellectivam in brutis omnino reiicit. Principium fundamentale ad hoc stadendum, praeter ea, quae iam saepe recoluimus, clare proponit Lloyd Morgan (2), hunc statuens canonem (canon of interpretation) « Nullo modo licere explicare activitatem belluinam analogice cum actibus superioribus psychologicis, quando potest sufficienter explicari per actus ordinis inferioris phaenomenorum psychicorum ». Hoc principium est veluti criterium negativum, ostendens non requiri principium intellectivum ad explicandam vitam belluarum; et sufficit ad reiicienda argumenta adversariorum. Aliud au-

(1) Sufficiat inter hos commemorare Ott. Flügel, Herbartianis principiis imbutum, qui in opere *Seelenleben* der Tiere, ad examen revocat argumenta recentiorum fautorum intelligentiae belluarum et tamquam inania reiicit. — Item G. H. Schneider darwinista, pariter reiicit doctrinam istorum, in op. *Der tierische Wille* quod voluit dicare Dr. C. Haeckel, quasi ut ei ostenderet, doctrinam illam non a philosophis ac theologis scholasticis sed a darwinistis quoque reiiciendam esse. — Et D. G. Wundt Lipsiis Professor quamvis initio inclinaret in methodum recentiorum psychologorum, postea ad meliorem frugem reversus eam damnat, ac vehementer refutat eorundem doctrinam in op. *Vorlesungen über die Menschen-und Tierseele*, edit. 2ª (Hamburg u. Leipzig) 1892, in qua etiam multa corrigit quae in 1ª edit. edixerat.

(2) Cfr. eius opus *An Introduction to comparative Psychology*, London, 1903, p. 59, 242, 259, 292. — Cum eo convenit P. Wasmann, l. c., p. 7 « Ai fenomeni, ipse ait, si deve dare la spiegazione più semplice che sia possibile, e quindi anche alle bestie non dobbiamo attribuire facoltà psichiche più elevate di quelle che esiga la spiegazione dei fatti osservati. Onde non si deve neanche in verun caso interpretare un atto belluino come effetto d'una facoltà psichica superiore, quando si può spiegare a sufficienza come effetto d'una inferiore ».

tem positivum ita confici potest: *ubi omnino desunt phaenomena vitae intellectivae, ipsa certe non adest.*

In cap. seq. vero demonstrabitur, vitam intellectivam essentialiter differre a sensitiva, et propria eius phaenomena diserte expendentur.

242. **Probatur.** — Vera vita intellectiva ea est, quae versatur circa conceptus universales, iudicia ac ratiocinia, quae proinde apprehendit etiam immaterialia et abstracta, ac per viam analysis auget in dies suam cognitionem, et est causa continui progressus in scientiis et artibus, qui in hominibus adest, ac proinde appetit bona etiam abstracta et immaterialia, imo gaudet etiam arbitrii libertate circa bona particularia. Atqui haec omnia in brutis animantibus prorsus desiderantur. Ergo.

Probatio Maioris abunde patebit in cap. seq. — *Prob. m.* — Qui efformare valent conceptus universales, iudicia ac ratiocinia, veram quoque valent excolere scientiam et artem, utramque in dies perficere, ut apud homines aperte contingit. Atqui apud belluas nulla scientia et ars excolitur et multo minus perficitur; quaedam vero opera artis, quae apud apes, aves, formicas (1), et huiusmodi reperiuntur, clare ostendunt ea esse effectus non intellectus earum, sed determinatae inclinationis eis insitae ab auctore naturae, et propterea eodem modo semper agunt, iisdemque utuntur mediis, quae, si desint, non valent ea cum aliis supplere; unde omnis hirundo similiter nidificat. Ergo (2).

Praeterea qui vita gaudet intellectiva, quaerit et invenit diversas propriasque rerum causas, et valet ex ipsis diversos producere effectus. Atqui apud belluas huiusmodi in-

(1) De intelligentia quae dicitur formicarum cfr. P. Wasmann S. I., *Die zusammengesetzen Nester und gemischten Kolonien der Ameisen* (Münster 1891) p. 184.

(2) Huc etiam redit argumentum quod affert Wundt qui, in op. cit. reprehendendo argumenta adversariorum eorumque nimiam levitatem in eo praesertim insistit, quod ad habendam veram vitam intellectivam, requiruntur *actus cognitionis reflexae*, quibus proinde fiunt comparationes, iudicia, ratiocinia, et quibus belluae omnino carent, quum omnes actus vitae cognoscitivae ipsarum plene reduci possint ad *simplices leges associationis sensationum*, quae praesertim exeritur ope phantasiae aestimativae ac memoriae. — Cfr. eius opus *Vorlesungen über die Menschen-und Tierseele*, ed. 1892, p. 396.

quisitio et adinventio omnino deest. Ipsae enim non cognoscunt nisi determinatas causas, quae determinatos gignunt effectus, et nunquam novas inveniunt, quae vel eosdem vel alios valeant producere, et saepe ostendunt prorsus ignorare ceteras causas, quod nemo eis tribuit vitio, vel defectui (1). Ergo.

Tandem defectus ipse locutionis, quae adest in homine, evidens indicium est defectus vitae intellectivae. Locutio enim cum varietate vocabulorum, quibus exprimi possunt etiam res abstractae, iudicia, ratiocinia, est prorsus necessaria ad communicandam aliis cognitionem intellectivam. Atqui bellvae, cum careant loquela, nequeunt illam cognitionem aliis communicare. Et si quid forte manifestant, « non tamen, ut ait S. Th. (2), manifestationem intendunt, sed naturali instinctu aliquid agunt, ad quod manifestatio sequitur ».

243. **Dices:** I. Illa animalia gaudent vita intellectiva, quae sciunt aptare media ad finem. Atqui bruta animantia hoc sciunt. Ergo. — *R. D. M.:...* si valent apprehendere rationem mediorum ad finem, et ea seligere sub hac ratione, *c.;* si tantum materialiter ea adhibent, *subd.;* ipsa gaudent vita intellectiva in seipsis, *n.;* habent in se vestigium vitae intellectivae creatoris, quod constituit eorum instinctum naturalem, *c.* — *Contrad. m....* Cfr. quae innuimus de instinctu n. 224. Et revera illi actus a brutis ponuntur sine cognitione ipsius finis in se, et quin proinde apprehendatur ratio mediorum ad finem, sicut accidit in omnibus actibus, qui ponuntur per instinctum, et qui nullo modo exigunt per se vitam intellectivam, uti patet etiam in homine (3).

II. Plura simul comparare ac distinguere et ad invicem referre est opus intellectus. Atqui bruta animantia hos actus exerunt. Ergo. — *R. D. M....* si cognoscuntur per conceptus universales et per propriam cuiusque rationem, *c.*, si tantum per perceptionem huius singularis et illius a priori distincti *n.* — *Con-*

(1) Hac de re praeclare scripsit I. H. Fabre, *Souvenirs Catoliques*, Paris 1891. Cfr. quae habet inter alia, p. 168, 169.

(2) S. *Th.* II II p. q. 110, a. 1.

(3) Ad rem contra Ziegler arguit P. Wasmann, l. c., p. 12. « Ziegler ha dimenticato qui che, nell'esame critico delle attività psichiche animali, si deve muover sempre dall'analogia con quelle umane: altrimenti di zoopsichologia non sappiamo un bel nulla. Ora nella vita psichica umana conosciamo per esperienza propria, la distinzione tra atti coscienti e incoscienti del fine; e poichè entrambi si distingono pure nelle loro manifestazioni, la psicologia comparata deve estendere anche alle bestie la differenza tra atti coscienti e non coscienti della finalità ». Et isti nullam arguunt vitam intellectivam.

trad. m. — Quare animalia bruta per sensus percipiunt obiecta singularia inter se distincta, et hac ratione cognoscunt ea distingui inter se, imo quodammodo ea comparant et ad invicem referunt. Quae omnia praestantur tantum per *associationem imaginum sensibilium* et *instinctum* non per verum ratiocinium, uti falso comminiscitur Florel (1). Nec pariter inferri potest, ibi inveniri semper vitam intellectivam, quamvis in gradu multo inferiori, uti contendit Emery (2).

III. Animalia bruta multa exerunt opera artis. Atqui haec ostendunt in eis adesse vitam intellectivam. Ergo. — *R. D. M.*:... quae eodem omnino modo semper perficiuntur, *c.*, quae aliquem exhibent progressum *n.* — *Contrad. m.* — Eo ipso quod non progrediuntur, manifesto demonstrant agere per determinationem a natura habitam et per cognitionem singularium sensibilium. Nec verus progressus diei possunt habitus quidam perfectius agendi, quos acquirunt belluae, ex consuetudine cum hominibus, qui eas *edocent* vel melius *assuescunt* ad aliquid agendum. Profecto isti habitus versantur semper circa actus materiales et singulares, qui perficiuntur intra limitem prorsus determinatum, nec exempla, quae affert Florel, aliquid plus evincunt. Ipsa enim non ostendunt adesse in brutis verum germen progressus, sed tantum capacitatem recipiendi determinatas impressiones sensiles, quae ex multorum actuum repetitione ab hominibus provocata, facilius determinant ea ad istos exercendos (3). Qui vero artem excolunt

(1) Florel, in opere, cui titulus *Expériences et remarques critiques sur les sensations des insectes*, 2. part. (*Recueil Zool.* Suisse, 31 mars 1887) 237, ex istis associationibus sensationum quae deprehenduntur in formicis et aliis insectis, infert in eis haberi ratiocinationem « Donc, ipse ait, les insectes *raisonnent*, et les plus intelligents d'entre eux, les hyménoptères sociaux, surtout les guêpes et les fourmis, raisonnent même beaucoup plus qu'on n'est tenté de croire, quand on observe le mécanisme régulièrement reproduit de leurs instincts ». Iamvero hoc ratiocinium nil aliud est nisi determinatio illa naturae in proprium finem assequendum cum illis cognitionibus sensitivis singularium in quo proprie consistit instinctus. Unde ipse idem Florel postea, re melius perpensa, hoc ratiocinium ad simplices *deductiones instinctivas analogicas* reduxit.

(2) Emery zoologiae professor in univers. Bononiensi tuetur in brutis esse vitam intellectivam in gradu inferiori ob defectum loquelae, ostendendo eorum instinctum esse veram intelligentiam, et associationem sensationum esse veram abstractionem et comparationem intellectivam. Porro in cap. seq. quum veram operationem intellectivam ad examen vocabimus, ostendemus falsitatem huiusmodi conclusionis.

(3) Ad rem P. Wasmann, l. c. p. 69 « L'addomesticabilità e l'ammaestrabilità dei bruti superiori in confronto con gl'inferiori, dipende principalmente dal fatto che la loro facoltà conoscitiva sensibile, interna ed esterna, i loro organi sensori ed il cervello sono proporzionalmente similissimi a quelli dell'uomo. Quindi l'intelligenza umana, mediante l'associazione di certi segni sensibili, può dirigere il bruto a uno scopo determinato. Con questo indirizzo imprime, in certo modo *meccanicamente*, i propri processi logici nella memoria sensitiva del bruto — questo però non impara *mai a pensare*, cioè non impara

per intellectum cum conceptibus universalibus ac veris iudiciis et ratiociniis, ut in cap. seq. patebit, in dies perficiuntur ac progrediuntur, novum adinveniendo agendi modum.

IV. Accipere unum prae alio pertinet ad intellectum. Atqui bruta hoc faciunt. Ergo. — *R. D. M.....* si fit per deliberationem, quae sequitur cognitionem utriusque ac motivi electionis unius prae alio, *c.;* si fit per determinationem habitam a natura, *n.* — *Contrad. m.* — Quod autem animalia eligant cum ista determinatione, patet ex eo quod eadem semper eligunt, et ad quae *naturaliter*, non autem deliberative inclinantur.

Et haec sufficere videntur, cum cetera argumenta iisdem semper principiis solvuntur. Qui eruditionis gratia plura cupit examini subiicere, adeat citatos auctores praesertim P. Wasmann.

Continuatio rerum. — Cognitis propriis operationibus animalium brutorum facile erit eorundem essentiam seu vitam in actu primo investigare ac statuere. — Ea in primis materia organica gaudeant oportet: imo eorum organismus perfectior esse debet ac in plantis, primo ratione vitae sensitivae, quae peculiarem sibi vindicat organismum, dein etiam ratione vitae vegetativae, quae ob intimum nexum, quem exhibet cum vita sensitiva, necessario exerceri debet alia ratione ac in plantis.

Praeterea eorum etiam forma substantialis perfectior esse debet ac anima plantarum, ut colligitur ex thesi VI, et XXXI. Nunc igitur eius propria ratio statuatur oportet.

Thesis XLVII.

In brutis praeter materiam organicam agnoscenda est anima formaliter sensitiva, quae est eius forma substantialis et unica.

244. **Status quaestionis.** — Quod in iis agnoscenda sit forma substantialis a materia distincta, sicut in mineralibus et in plantis, merito nunc demonstratum supponimus. Quare modo inquirenda manet propria eius natura, et dicimus eam esse ipsam animam sensitivam, seu principium illud formale intrinsecum, a quo procedunt, operationes vitae sensitivae. Et quoniam vidimus in th. XXXI, hoc princi-

mai a confrontare *da sè* le dette immagini tra loro per dedurre nuove conseguenze dai loro mutui rapporti ».

pium esse animam perfectiorem anima vegetativa, ipsum praecise *animam formaliter sensitivam* vocamus, quatenus eius propria et ultima perfectio in eo est quod *sentiat*, vel melius *sit principium sensationis*. Et hanc asserimus esse revera formam substantialem animalium brutorum. Addimus esse unicam formam substantialem ut excludamus alias, quas adstruunt scotistae, ut innuimus in Th XI.

Prob. I p. — Principium cognoscitivum est anima a materia plane distincta (Th. XXXI). Atqui in brutis datur principium cognoscitivum sensitivum. Ergo in eis debet esse anima formaliter sensitiva.

Cognitio sensitiva quamvis versetur circa obiecta materialia, est tamen operatio, quae pertinet ad ordinem intentionalem immanentem ipsi cognoscenti. Atqui huiusmodi operatio exposcit animam, quae activitate polleat perfectiori, quam anima vegetativa, et quae merito dicitur formaliter sensitiva. Ergo idem ac prius.

Prob. II p. — Principium formale vitae est vera forma substantialis primo actuans materiam primam Th. XI. Atqui anima sensitiva est principium formale vitae sensitivae in animalibus. Ergo est vera forma substantialis. — Insuper perfectio vitae sensitivae est in ordine prorsus superiori ac perfectio vitae vegetativae et formae corporeae. Atqui huiusmodi perfectio nequit fluere tamquam aliqua proprietas vel accidens a forma substantiali vegetativa vel corporea. Ergo agnoscenda est forma substantialis superior actuans materiam, quae est anima formaliter sensitiva. — Praeterea potentiae sensitivae fluunt, neque a sola anima, neque a sola materia, sed a toto composito. (Th. XXXV). Atqui nequit aliqua potentia fluere a duobus componentibus, nisi haec se habeant uti potentia et actus in ordine essentiae, seu ut materia et forma substantialis. Ergo.

Prob. III p. — Forma substantialis ea est, quae constituit materiam in suo primo esse et in determinata specie. Atqui haec nequit esse nisi una, uti vidimus in Th. XI, et in Cosmologia. Ergo.

Praeterea forma substantialis superior, quae materiam

actuat, uti saepe ait S. Th. [1] cum Aristot., potest praestare quicquid praestat forma inferior et aliquid amplius. Atqui forma substantialis sensitiva est superior vegetativa et corporea. Ergo potest praestare quicquid praestant istae inferiores, ideoque in animalibus una adest forma substantialis, formaliter sensitiva.

Item si ipsa actuaret materiam, iam informatam ab aliqua forma substantiali, esset forma accidentalis seu proprietas quaedam fluens ab illa. Nam anima sensitiva brutorum non est per se subsistens, et nequit produci nisi per materiae transformationem. Atqui forma quae producitur per transformationem materiae actuatae ab alia forma, cui advenit, nequit esse nisi proprietas seu virtus accidentalis illius formae praeexistentis. Ergo quum anima sensitiva nequeat esse virtus accidentalis formae inferioris, necessario esse debet forma substantialis et unica.

245. **Coroll. I - Ergo anima brutorum non est spiritualis.** — Anima spiritualis ea est, quae potest existere et operari independenter a materia. Atqui anima brutorum nequit operari et existere independenter a materia. Nam anima, quae potest existere et operari independenter a materia, aliquam operationem habet independentem ab ea. Atqui anima brutorum istam non habet. Ergo.

II. **Ergo haec anima non est terminus creationis, sed producitur dependenter a materia.** — Nam terminus creationis est ens aliquod per se subsistens. Atqui anima brutorum non est per se subsistens. Ergo ipsa nequit esse terminus creationis; ac proinde non producitur nisi dependenter a materia, eodem pacto ac omnes formae substantiales materiales, uti alibi exposuimus. Quare hic iterum recolenda sunt, quae de productione animae plantarum diximus in th. XVI et XVII.

III. **Ergo bruta animalia specifice differunt a plantis,** — imo constituunt proprium determinatum regnum ab illis distinctum. Bruta enim gaudent vita sensitiva, qua

(1) S. *Th.*, I p., q. 80, a. 1.

plantae carent. Atqui haec vita constituit ordinem viventium omnino diversum ab ordine vitae vegetativae eique superiorem. (Th. VI). Ergo.

Conclusio. — Vita, quae in brutis animantibus reperitur, clarius adhuc confirmat ac manifestat principia omnia, quae tum circa vitam in genere, tum circa vitam vegetativam ac cognoscitivam in specie statuta fuerunt. In eorundem natura et operationibus perscrutandis ac determinandis duo opposita vitia vitanda occurrerunt, et eorum, qui nimium ea deprimunt, ut in eis solam agnoscant materiam, et eorum, qui eadem nimium e contrario extollunt, ut cum hominibus comparare velint.

Ex eorundem solutione liquido patet, belluas vera vita sensitiva pollere, quae praesertim manifestatur in actibus appetitus sensitivi, qui cognitionem consequuntur. Ideo eius existentiam ac naturam perspicere curavimus, ut melius ostenderetur tum propria ratio vitae sensitivae, tum eius discrimen a vita intellectiva. Inde novum colligitur argumentum in favorem nostrae sententiae, quae tuetur, animalia bruta regnum constituere omnino distinctum a regno vegetali et a specie humana; et clarius elucet falsitas theoriae transformistarum ac materialistarum.

Tandem vero, etsi eorum vita sensitiva potiori iure ac vita vegetativa plantarum expostulet animam a materia distinctam, cum qua unam substantiam viventem ac sentientem constituat, ea tamen semper adhuc a materia dependens est in essendo et operando. Ac proinde bruta animantia adhuc manent in ordine substantiarum materialium, quae cum materia oriuntur ac pereunt.

246. **Totius capitis recapitulatio.** — Tota vita vegetativa eo tendit, ut diversas species conservet ac earum individua multiplicet, vita autem cognoscitiva eo spectat ut ipsa individua melius perficiat, ac semper novas relationes inter diversas species et individua statuat. Hoc autem habetur, inquantum cognoscens in ordine intentionali reproducit diversas illas species et individua, quae simul coniungit et comparat. Hinc sequitur quod ipsa obiecta debent agere in facultatem cognoscitivam, ut ista determinetur ad

illas intentiones ponendas, quae eadem repraesentant. Haec actio autem in cognitione sensitiva constituitur per physicam actionem obiecti in organum animatum a propria facultate, per quam immutatur tum organum, tum ipsa facultas, quae proinde determinatur ad transeundum in actum cognitionis circa illud obiectum. Atque adeo quamvis sensus nequeat intimam huius obiecti naturam perspicere, ipsum tamen ita cognoscit, sicut est in se. Non videtur igitur admitti posse in rebus obiectum sensuum esse tantum *virtualiter* et non *formaliter*. Et hoc quidem videtur plane componi cum ipsis recentiorum rerum physicarum cultorum.

Haec cognitio pro sensibus externis in ipsis organis singulorum sensuum perfici dicenda est, ita tamen ut proprii eorum nervi cum centro systematis cerebro-spinalis, quod in cerebro residet, coniuncti esse debeant. In cerebro praeterea aliae adsunt facultates, quae sentiunt ipsas sensationes sensuum externorum, easque conservant, et quae pertingere possunt ad percipiendas etiam intentiones determinatas, annexas quibusdam obiectis sensibilibus. Inde enascuntur in animantibus brutis determinati quidam instinctus, qui, etsi aliquam videantur praeseferre similitudinem cum vita intellectiva, ab ea tamen prorsus discriminantur et ad ordinem vitae sensitivae tantum pertinere apparent.

Quamobrem cognitio sensitiva merito dicitur esse in infimo gradu cognitionis, quippe quae intrinsece dependet a materia, et semper circa singularia ac concreta versatur. Ea revera tota ordinatur in bonum materiale vitae animalium praesertim vegetativae. Et iidem instinctus et inclinationes, quae inde enascuntur, iterum ordinantur in hoc bonum materiale. Qua de re vita sensitiva etsi perfectior sit ac vita vegetativa, in brutis tamen animantibus non habet altiorem finem qui superexcedat ordinem rerum materialium. Dum contra in homine, in quo vita sensitiva cum altera perfectiori, *intellectiva* nempe, coniungitur, ordinatur etiam imo principaliter in bonum istius, ac proinde quodammodo pertingit ad ordinem superiorem.

Haec alia igitur modo recensenda est cognitio, quae *intellectiva* vocatur, et inter creaturas huius mundi adspectabilis nonnisi in homine reperitur.

CAPUT III.

DE VITA INTELLECTIVA.

247. Praesuppositus iis, quae de cognitione in genere in antecessum explanavimus, haud difficile erit quaestionem de vita intellectiva investigare ac solvere. Sed ut ordini simul et claritati faveamus etiam hic, uti saepe advertimus, distinguamus oportet inter factum ipsum existentiae huius vitae intellectivae, et modum quo istud factum evolvitur. Iamvero nomine vitae intellectivae hic primo intelligimus existentiam vitae cognoscitivae, quae sit in gradu superiori, quam cognitio sensitiva. Ad hoc autem determinandum necesse est proprium eius obiectum statuere, ipsum enim specificat potentiam operativam. Inde explicandus erit modus quo ipsum determinare valeat facultatem ad cognoscendum, atque adeo salebrosa quaestio de origine conceptuum tum simplicium tum compositorum solvenda erit. Et, cum omnem cognitionem semper sequatur appetitus quidam correspondens formae, a qua cognoscens actuatur, existentia ac natura appetitus intellectivi consequenter statuenda erit.

Hisce facultatibus earumque actibus rite exploratis, via parata erit ad dignoscendam naturam illius principii substantialis in homine, quod huiusmodi vi cognoscitiva et appetitiva gaudeat. Ac ita tandem investiganda occurrit ratio secundum quam huiusmodi principium vitae intellectivae in homine producatur et cum corpore coniungatur in unam substantiam et naturam, quae homo appellatur. Igitur quaestiones modo solvendae huc redeunt:

1) Explicanda est natura facultatis intellectivae eiusque obiecti;

2) quaenam sit origo conceptuum;

3) quomodo efformentur iudicia et conceptus compositi;

4) quinam sit appetitus intellectivus, qui consequitur;

5) quaenam sit natura et origo illius principii;

6) quomodo ipsum cum materia uniatur.

Hinc totum caput in sex dispescitur articulos.

ARTICULUS I.

DE FACULTATE INTELLECTIVA EIUSQUE OBIECTO.

248. **Ordo rerum.** — Vita intellectiva nobilior est ac longe eminentior prae ipsa vita sensitiva, et ea est qua homines, uti mox videbimus, potissimum praestant inter animantia, ut iam Cicero perbelle expresserat. « Homines etsi aliis multis, tamen hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habent a natura datam mentemque et acrem et vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, et ut ita dicam, sagacem, quae et causas rerum et consecutiones videat et similitudines transferat et disiuncta coniungat et cum praesentibus futura copulet, omnemque complectatur vitae consequentis statum » (1).

Vita intellectiva, ut innuimus (n. 28), ea dicitur, qua cognoscimus obiecta non modo materialia sed etiam immaterialia, abstracta, universalia, ac dein iudicamus per iudicium componens et dividens, ac tandem ratiocinamur discurrendo a noto ad ignotum. Porro quoniam vita spectari potest tum *in actu primo*, tum *in actu secundo*, et haec altera est nobis magis nota, prius de ista sermo nobis erit.

Principium autem proximum huius vitae *facultas intellectiva*, vel tantum *intellectus* aut *intelligentia* nuncupari solet. Natura igitur huius facultatis modo determinanda venit. Et quoniam facultates per actus et obiecta specificantur (Th. VII), proprium eius obiectum primo scrutandum est.

Thesis XLVIII.

Existit in homine facultas intellectiva, cuius obiectum proprium ac proportionatum est quidditas abstracta a rebus sensibilibus, adaequatum vero est omne ens.

249. **Status quaestionis.** — Obiectum facultatis cognoscitivae est illud, circa quod ipsa versatur, seu in quod eius cognitio *terminatur*, et quum ipsa in creaturis sit passiva

(1) *De Fin. bon. et mal.*, l. 2, c. 14.

Th. XXVII) determinari seu *moveri* debet a sua obiecto. Hoc proinde nuncupari potest tum *motivum*, tum *terminativum*, iuxta ea, quae innuimus in n. 208. *Motivum* prout *movet* ac determinat intellectum ad actum cognitionis: *Terminativum*, prout est illud in quod *terminat* actus cognitionis.

Iamvero obiectum motivum proprie est illud quod primo ac ratione sui determinat intellectum ad cognitionem; unde *proprium* etiam *appellatur*, et *specificativum* facultatis, ac proinde est *proportionatum* eius capacitati, vel etiam dicitur *adaequatum in ratione obiecti proportionati*: et hoc illud est, quod « primo et per se cognoscitur a virtute cognoscitiva » unde etiam *primum terminativum* appellatur.

Obiectum autem *simpliciter terminativum*, est illud, quod quacumque ratione attingitur a facultate cognoscitiva, seu *terminat* eius cognitionem, et vocari solet *adaequatum extensive* vel simpliciter *adaequatum*, vel *obiectum extensionis*. Iamvero obiectum terminativum dici etiam potest obiectum *materiale*, et e converso obiectum *motivum* nuncupatur obiectum *formale*, quatenus est *ratio* seu *forma* primo et per se determinans facultatem ad cognoscendum. Et quoniam ipsum proportionari debet naturae et capacitati facultatis cognoscitivae, merito ex ipso primo et per se deducitur propria ratio huius facultatis.

Obiectum vero terminativum si non est etiam motivum, nequit attingi nisi dependenter ab ipso, et quoniam latius patet, inservit etiam ad ostendendam totam extensionem capacitatis ipsius facultatis.

Qua de re ad vindicandam existentiam ac naturam intellectus, eiusque distinctionem a facultate sensitiva, necesse est determinare proprium eius obiectum sive motivum sive etiam terminativum, quod praestamus in hac thesi. Inde etiam elucet propria ratio cognitionis intellectivae, quae proprio nomine nuncupatur *intellectio*.

250. **Explicantur termini.** - Dicimus: *in homine*, quia probatum est, bruta et multo magis plantas carere cognitione propria huius facultatis. - Praeterea *ens* hic sumitur latissimo sensu, nempe uti *nomen*, prout idem est, ac *id cui competit esse quocumque modo*, ac proinde asseri-

mus, omne id, quod habet rationem entis, posse cognosci ab intellectu hominis, seu esse eius obiectum *terminativum*: vocatur *adaequatum*, quatenus adaequat totam capacitatem intellectus in intelligendo. Solet etiam vocari *commune*, quia in se inspectum extenditur ad omnes res.

Insuper cum dicimus, obiectum proportionatum esse *quidditatem abstractam a rebus sensibilibus*, advertendum est, *eam minime confuendam esse cum substantia abstracta ab accidentibus*. Hic enim loquimur de omni essentia, quaecumque sit, quae a rebus sensibilibus abstrahitur, praescindendo utrum sit substantialis vel accidentalis. Unde merito etiam dicitur ab aliis, hoc obiectum esse *intelligibile in sensibili*: quae verba tamen videntur nimis indeterminata. Imo, quum tantum accidens sit primo et per se sensibile, essentia accidentium ea est, quae primo ab intellectu cognoscitur, quamvis necesse non sit, quod prius cognoscatur sub ratione accidentis. — Item modo etiam praescindimus a quaestione agitata inter scholasticos, utrum essentia, quae primo cognoscitur, sit universalis vel singularis. Sed hoc unum modo contendimus; videlicet obiectum, quod proprie ac directe cognoscit intellectus noster, est aliqua quidditas abstracta a rebus sensibilibus. Quo pacto vero ipsa abstrahatur, inferius explicabitur.

251. **Prob. I p.** — Primo *a priori*. — Illud est obiectum proprium ac proportionatum alicui facultati, quod correspondet eius naturae ac modo essendi, cui praecise commensuratur omnis vis seu capacitas operandi. Atqui natura facultatis intellectivae haec est, ut sit quidditas existens in composito materiali, intrinsece tamen independens a materia, ac proinde spiritualis. Ergo eius obiectum proportionatum esse debet quidditas existens in materia, sed independens a conditionibus materialibus. Atqui haec est praecise quidditas abstracta a rebus sensibilibus. Ergo.

Ad rem S. Thomas: « Obiectum cognoscibile proportionatur virtuti cognoscitivae. Est autem triplex gradus cognoscitivae virtutis. Quaedam enim cognoscitiva virtus est actus organi corporalis, scilicet sensus: et ideo obiectum cuiuslibet sensitivae potentiae est forma, prout in materia corpora-

li existit. Et quia huiusmodi materia est individuationis principium, ideo omnis potentia sensitivae partis est cognoscitiva particularium tantum. Quaedam autem virtus cognoscitiva est, quae neque est actus organi corporalis, neque est aliquo modo corporali materiae coniuncta, sicut intellectus angelicus: et huius virtutis cognoscitivae obiectum est forma sine materia subsistens. Etsi enim materialia cognoscant, non tamen nisi in immaterialibus eam intuentur, vel in seipsis vel in Deo. Intellectus autem humanus medio modo se habet, non enim est actus alicuius organi, sed tamen est quaedam virtus animae, quae est forma corporis... Et ideo proprium eius est cognoscere formam in materia quidem corporali individualiter existentem, non tamen prout est in tali materia... » (1).

Idem eruitur ex ipsa unione animae cum corpore. Haec enim unio esse debet in bonum animae, praecise qua ipsa rationalis est, seu ut ea perficiatur in operatione intellectiva. Atqui hoc bonum in eo est, quod intellectus debet recipere obiectum suae cognitionis mediantibus sensibus, ipsum abstraendo a rebus perceptis per sensus. Ergo, si obiectum intellectus non esset istud, nullum bonum adveniret animae.

Hoc utrumque argumentum suum plenum habebit valorem, quum intrinsecam naturam intellectus et animae investigabimus. Quare modo necesse est thesim nostram vindicare argumentis a posteriori.

Secundo *a posteriori*. — Certum est - *a*) nos cognoscere quidditates rerum materialium dependenter ab iis quae per sensus percipiuntur, ac proinde qui caret aliquo sensu, nequit ullum habere conceptum circa obiectum proprium illius sensus: - *b*) et propterea defaticato, vel propter morbum turbato, cerebro, in quo residet phantasia, praebens intellectui obiectum cognitionis, turbatur vel impeditur cognitio intellectiva: - *c*) insuper quando volumus concipere rem aliquam non sensibilem, utimur conceptibus ac vocabulis propriis rerum sensibilium, ita ut semper obversetur menti nostrae phantasma alicuius rei sensibilis, vel saltem vocabulorum: - *d*) ac proinde figuratae locutiones quae ma-

(1) *S. Theol.*, p. I, q. 85, a. 1. Cfr. etiam q. 84, a. 7.

gis sensibiliter proponunt res, quas mente concipimus, magis aestimantur, ut aptiores ad aliquid intelligendum. Atqui haec omnia iterum demonstrant, obiectum proportionatum esse essentias abstractas a rebus sensibilibus. Ergo « proprium obiectum intellectus nostri proportionatum est natura rei sensibilis... Omnia autem, quae in praesenti statu intelligimus, cognoscuntur a nobis per comparationem ad res sensibiles naturales » (1).

Prob. II p. — Illud est obiectum adaequatum extensive alicuius facultatis, quod ab ea attingi, potest et plene adaequat totam eius capacitatem. Atqui experientia constat, quod nos possumus intelligere omne ens : sive possibile, sive reale, sive ens rationis, Deum, substantiam, accidens, spiritum, corpus, uti patet etiam ex controversiis, quae circa ipsa habentur. Ergo. — Item cum extra ens nihil aliud reperiatur, quod attingi possit a facultate cognoscitiva, sequitur, quod ipsum plene adaequat eius capacitatem. Ergo existit in nobis facultas, cuius obiectum adaequatum est omne ens. — Est proprium obiectum intellectus, ait S. Th., ens intelligibile, quod quidem comprehendit omnes differentias et species entis possibilis; quiquid enim est, intelligi potest » (2).

Hic iterum adverte, quod haec quoque pars probari posset *a priori*, ex immaterialitate nempe facultatis cognoscitivae. Quare, deinceps, quando nobis huiusmodi immaterialitas perspecta erit, potest etiam ex ea deduci intrinseca ratio, cur obiectum intellectus sit ens, seu quicquid habet rationem entis. Et tunc etiam intelligitur ratio, quam affert S. Th., quum ait « Intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationem entis, eo quod intellectus possibilis est, qui potest omnia fieri » (3).

252. **Obiicies.** I. Si obiectum adaequatum intellectus nostri esset ens, nos possemus cognoscere omnes omnino res. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens. — *R. D. M.:...* si esset ens per se subsistens... *c.:* si esset ens communissimum *subd.:...*

(1) S. *Theol.*, p. I, q. 84, a. 2. — Cfr. etiam q. 12, a. 4.
(2) *C. Gentes*, l. II, c. 98.
(3) P. I, q. 97, a. 7. — Cfr. etiam quae habet in I-II p., q. 10, a. 1, ad 3m.

possemus cognoscere omnes omnino res secundum rationem indeterminatissimam entis, *c.*; secundum rationem propriam diversarum rerum *n.* — *Contrad. m.*... Recolenda sunt ea, quae in metaph. generali disseruimus de ratione communissima entis, et de modo, quo inferiora entis in eo continentur.

II. Si omne ens esset obiectum intellectus, nulla daretur veritas, quae superaret captum intellectus nostri. Atqui multae dantur huiusmodi veritates. Ergo. — *R. D. M.*;... non daretur veritas, quae superaret captum intellectus quoad singulos terminos separatim spectatos, *c.*, quoad ipsum nexum qui inter eos intercedit in iudicio componente ac dividente *n.* — *Contrad. m.*... — Et sane ratio mysterii in eo est, quod intellectus noster nequit percipere nexum, qui adest in aliquo iudicio componente et dividente, seu non valet intelligere motivum, cur praedicatum conveniat alicui subiecto vel non. At etiam tunc intellectus saltem apprehendit ipsos terminos, secus enim nullo modo posset intelligere existentiam mysterii et eius sensum, ac proinde voluntas nunquam valeret imperare intellectui, ut assensum praeberet alicui mysterio. Quare ipsa existentia mysteriorum, quibus homo assentitur sub imperio voluntatis, nostrum assertum potius confirmat.

III. Nequit esse obiectum proportionatum intellectus nostri illud, quod cum magna difficultate et controversia a nobis intelligitur. Atqui huiusmodi sunt essentiae abstractae a rebus sensibilibus. Ergo. — *R. D. M.*; si omnis ipsius ratio cum magna difficultate apprehenderetur, *c.*; si eius intrinseca natura difficulter intelligitur, *n.* — *Contrad. m.*, omnis eius ratio difficulter intelligitur, *n.*; intrinseca earum natura, *c.* — Obiectum proportionatum intellectus nostri est rerum sensibilium essentia, prout sub aliqua ratione indeterminata a nobis intelligitur, saltem sub ratione alicuius entis et certe hoc obiectum faciliter ab omnibus percipitur. Ad hoc enim nullo modo requiritur quod cognoscatur intima eorundem natura, imo neque necesse est ipsam apprehendere sub ratione alicuius determinatae essentiae universalis abstractae a singularitate; hoc enim fit per aliquam inductionem, uti ostendimus in log. th. XXXIII. Sed satis omnino est, quod intellectus percipiat in obiecto, quod a sensibus ei traditur, aliquam perfectionem, praescindendo ab eius singularitate.

IV. Obiectum proportionatum debet statim apprehendi in simplici apprehensione. Atqui essentiae non intelliguntur nisi per ratiocinium. Ergo. — *R. D. M.*; debet apprehendi quoad integram ac plenam sui rationem, *n.* quoad existentiam et sub aliquo conceptu indeterminato, *c.* — *Contrad. m.*... Distinctio facile eruitur, ex iis, quae in difficultate anteced. innuimus.

V. Multae adsunt controversiae et errores quoad ipsam existentiam essentiarum substantialium *e. g.* quoad formam substantialem in corporibus, quoad animam humanam... etc. Atqui eae non adessent, si essentiae essent obiectum proportionatum. Ergo.

— *R. D. M.;...* i. e. quoad existentiam determinatae naturae, ut distinctae ab aliis perfectionibus accidentalibus et a comprincipio materiali, *c.*, quoad existentiam alicuius naturae indeterminatae substantialis, *n.* — *Contrad. m...* Solutio igitur semper ex eodem principio repetenda est. Omnes enim certe, si rite proprium intellectum applicant, facile deprehendunt in corporibus anorganicis aliquam substantiam extensione et activitate praeditam, et in homine aliquam substantiam, quae intellectu ac ratione pollet. Et hic est primus conceptus istarum essentiarum, quem nobis comparamus. Deinde vero arguendo ac ratiocinando, devenimus ad determinandam propriam atque intimam rationem earundem.

Sed praeterea advertendum est contra omnes has difficultates, quod vera ratio, cur circa rerum essentias multae adsint controversiae, non est ex eo repetenda, quod ipsae non sint obiectum proportionatum intellectus nostri. Sed potius ortum ducit ex eo, quod nos non possumus earum rationem assequi per unum conceptum, atque adeo indigemus compositione et divisione, qua multas perfectiones simul coniungimus, ut unam essentiam plus vel minus adaequate concipiamus. Sed cum omnes illi simplices conceptus sint obiectum proportionatum intellectus nostri, et primo in simplici apprehensione exoriantur, etiam conceptus magis completus istarum essentiarum erit obiectum proportionatum intellectus nostri, et apprehenditur post multa iudicia ac ratiocinationes, quae praecesserunt. Quapropter quum magna adsit difficultas in componendis illis conceptibus, et quandoque vitium aliquod irrepere possit, ideo habentur controversiae et errores. At hinc immerito deducitur, essentias rerum sensibilium non esse obiectum proportionatum intellectus nostri.

253. **Coroll.** — *Ergo materia cognitionis intellectivae praebetur a sensibus*, — seu, ut aiunt, omnis nostra cognitio incipit a sensibus. Omnis enim cognitio habetur per coniunctionem obiecti cogniti cum cognoscente (Th. XXIV). Haec autem coniunctio peragitur per actionem obiecti in facultatem cognoscitivam (Th. XXVII). Atqui quidditates materiales nequeunt agere directe in intellectum, qui est spiritualis, sed tantum in facultatem sensitivam, quae est organo affixa. Ergo intellectus nequit recipere materiam cognitionis immediate ab ipsis rebus, sed mediantibus sensibus, et praesertim phantasia, quae perceptiones sensiles conservat.

Hinc sequitur: — 1) quum sensus primo et per se percipiant accidentia corporea, etiam intellectus horum essentias primo cognoscit: — 2) et quum secundario percipiant substantiam sub ratione subiecti substantialis acci-

dentium, intellectus quoque huiusmodi essentiae conceptum statim apprehendit: — 3) sensus praeterea percipiunt diversa accidentia, quae semper simul reperiuntur in quibusdam subiectis, et tunc intellectus efformat conceptum magis determinatum istorum subiectorum, praecise inquantum illis accidentibus simul coniunctis praedita sunt. Quamobrem huiusmodi conceptus magna cum facilitate intellectus sibi comparat.

Quum ipsos vero intime rimari incipit, seu quum proprias istorum naturas scrutandas aggreditur, in multas ac non leves offendit difficultates.

Quare modo prius inquiramus oportet, quo ordine a nostro intellectu comparantur diversi conceptus simplices, qua de re controvertitur inter scholasticos, praesertim in determinando, quinam sit primus conceptus, quem intellectus abstrahit a rebus sensibilibus; deinceps vero scrutabimur, qua ratione habetur conceptus rei singularis, ac tandem directe aggrediemur quaestionem de origine omnium simplicium conceptuum.

Thesis II.

Intellectus primo concipit quidditates rerum materialium sub ratione entis communissimi.

254. **Status quaestionis.** — Multum decertant scholastici in determinando, quinam sit primus conceptus, quem efformat intellectus noster. Et praecipuae sententiae ad duas reducuntur: quidam asserunt cum S. Thoma esse universalissimam rationem entis, alii vero cum Scoto, esse rationem alicuius individui repraesentati in phantasmate. Modo nos conamur defendere sententiam S. Thomae, quam in thesi proposuimus.

Asserimus igitur primam quidditatem, quam intellectus abstrahit a rebus sensibilibus esse communissimam entis rationem (1). Nimirum quum obversatur intellectui nostro aliquod

(1) Accipe interim explicationem quam exhibet Joannes a S. Thoma (Physic. quaest. I, a. 3, Dico 2). Primo concipimus ens, ipse ait, « non quia attingatur actu suprema illa universalitas entis, secundum statum universalitatis, sed quia de ipso obiecto seu natura primum, quod attingitur, est ratio maxime indiscreta et confusa. Et quia tanto aliquid est confusius, quanto pauciores rationes discernuntur, ita quod earum propriae differentiae, seu praedicata

obiectum sensibile, seu aliquod phantasma, prima ratio seu perfectio, quam intellectus abstrahit et concipit, est ens materialiter inspectum. Non quatenus concipiatur ens, sub illa formali ratione notionis indeterminatissimae ac simplicissimae, quae investigatur in metaphys. generali, sed simpliciter concipitur aliquid, exhibens quidditatem indeterminatissimam, seu *aliquid cui competit esse*.

Addimus tamen, quod, quum iste conceptus sit necessario indeterminatissimus, nos nunquam in eo sistimus, sed statim impellimur ad alios efformandos magis determinatos, et haec est ratio, cur non advertamus, primum conceptum nostrum exhibere illam communissimam rationem entis.

At si accuratae analysi subiicimus integrum processum nostrae cognitionis intellectivae, facile deprehendimus primum illum conceptum entis communissimi.

255. **Prob.** — Intellectus noster, quum de potentia in actum procedat, primo ponit actum cognitionis imperfectum, qui est medius inter potentiam et actum, ac dein actum perfectum. Atqui actus imperfectus intellectus est ille, quo sciuntur res indistincte ac indeterminate sub communissima ratione entis (1). Ergo. — *Prob. m.* — Nam intellectus tendit ad apprehendendas intrinsecas rerum rationes, seu *noumena*, ut ait Kant. Et non cognoscit per intuitionem, sed per abstractionem, uti diximus, ita ut non possit omnes rationes statim ac simul abstrahere, ut ex expe-

non distinguantur; illud erit maxime confusum, in quo nec ipsi supremi gradus et communiora praedicata, verbi gratia substantia et accidens, discernuntur: et hoc vocamus ens concretum seu applicatum quidditati sensibili, id est, in natura aliqua sensibili inventum, non ut subest statui abstractionis et universalitatis secundum habitudinem et respectum ad inferiora, ad quae potentialiter se habet, sed ut actualiter intrat ipsam compositionem rei, et ut cognoscitur secundum se. Dicitur tamen incipere intellectus ab universaliori, quia incipit ab eo praedicato, quod maiori universalitati substerni aptum est ».

(1) Audias iterum Joannem a S. Th. qui loco citato hoc affert argumentum: « Illa est ratio confusior, per quam minus discernuntur et distinguuntur ea, quae ipsi toti conveniunt, sicut v. g. occurrente Petro, tunc maxime cognoscitur distincte, quando discernitur in eo non solum ratio generica vel specifica, sed etiam individualis, in qua a ceteris individuis distinguitur, et magis in se designatur: quando autem non apparet, in quo discernatur ab alio individuo, tunc dicitur confuse cognosci in ratione hominis, quae est ratio confundens illa individua. Quod si ulterius non appareat, in quo distinguatur ab alio animali, adhuc confusius cognoscetur; quod si denique nec discerni possit, in quo distinguatur substantia et accidens, erit confusissima omnium cognitio, quia nihil habet discretionis et distinctionis respectu omnium, quae sibi conveniunt. Illa autem ratio sic indeterminata et confusa non potest esse nisi ens; quia solum in illo confunditur substantia cum accidenti. Ergo eius conceptus est maxime imperfectus, et consequenter maxime proportionatus potentiae imperfectae ».

rientia evidenter constat, sed debeat unam post aliam abstrahere. Et ideo distinguit diversas rationes in aliqua re, in qua non sunt distinctae, quatenus eas abstrahit per diversos conceptus. Atqui prima ratio, quam intellectus abstrahit, ac proinde primus conceptus, quem efformat nequit exhibere nisi perfectionem indeterminatissimam entis, quippe quae est prima et imperfectissima ratio, quae abstrahi possit. Et ita habetur primus et imperfectissimus actus, quo intellectus suam incipit cognitionem. Ergo.

Praeterea hoc luculenter confirmatur ex propria cuiusque experientia. Quando enim primo aliquam rem cognoscimus, vel de ea loquimur, eam concipimus ut *aliquid*, et ideo eam primo nominamus *aliquid*, quod nomen etiam tam saepe in ore hominum versatur. Atqui talis conceptus praecise exhibet indeterminatam rationem entis. Ergo.

256. **Obiicies** I. Intellectus primo concipit illud quod sensus referunt. Atqui sensus non referunt quidditates nec rationem entis. Ergo. — *R. D. M.*; secundum capacitatem propriam intellectus, *c.*; eodem modo ac sensus cognoscunt, *n.* — *D. m.*; non referunt eas formaliter et actu abstractas a principiis individualibus, *c.*; nec eas referunt virtualiter una cum principiis individualibus *n.* — Recole discrimen inter sensus et intellectum: sensus enim obiectum non percipiunt, nisi tantum ut immutativum sui, quum autem ipsum nequeat esse nisi concretum et singulare, hoc ab eis semper et unice cognoscitur. Intellectus autem tendit ad apprehendendam ipsam propriam cuiusque rei rationem, sed quoniam, ut experientia testatur, ipse non valet uno mentis ictu totam ipsius rationem sed unam tantum et indeterminatam perspicere, necesse omnino habet, ipsam sub multiplici conceptu apprehendere, et ideo prius abstrahit diversas illas indeterminatas perfectiones, quae in obiecto insunt, ac deinde eas componit, ut adaequatum cuiusque rei conceptum sibi comparet.

II. Illud prius abstrahitur a phantasmate, quod actu in eo invenitur. Atqui talis est ratio individualis, non autem ratio entis. Ergo. — *R. D. M.*;... quod est actu et capax immutare intellectum, *c.*; secus *n.* — *Contrad. m.* quoad 1^am^ *p.*; et *D.* 2^am^ *p.*, ratio entis non est actu simul cum alis perfectionibus, *n.*; non est actu ab eis abstracta, *c.* Et ideo, uti videbimus in th. seq., requiritur abstractio. Ratio autem, cur perfectio individualis capax non sit immutare intellectum, ibidem quoque patebit.

III. Intellectus cognoscit perfectiori modo ac sensus. Atqui sensus cognoscit primo et per se singulare. Ergo — *R. D. M.*;... in eodem ordine, *n.*; in diverso ordine, *c.* — *D. m.*;... tantum ut immutativum sui, *c.*; etiam secundum intrinsecam sui rationem,

n. Sensus nunquam percipiunt ipsam naturam rei singularis, in quam praecise tendit intellectus, et idcirco eorum cognitio est in diverso ordine. — Si quis autem *instaret;* quod etiam intellectus posset percipere singulare ut immutativum sui. — *Respond. cum distinct.*, si illud singulare directe et nulla intercedente abstractione immutaret intellectum, *c.;* si autem abstractio intercedit, *n.* Et prius adverte, quod nos vere cognoscimus singulare, ut hoc singulare, sed per *cogitativam*, quae « apprehendit individuum, ut existens sub natura communi, quod contingit ei, inquantum unitur intellectivae in eodem subiecto; unde cognoscit hunc hominem, prout est hic homo, et hoc lignum prout est hoc lignum » (1). Et ratio est, quia cogitativa non abstrahit, sed veluti intuetur obiectum singulare, quod ipsam immutat; unde etiam eruitur, ipsam esse organo alligatam, secus enim obiectum non posset directe in eam influere. At etiam haec cognitio est valde limitata et imperfecta, et longe distat a scientia, quam per intellectum acquirimus. Deus vero, qui cognoscit per essentiam suam, et angeli, qui cognoscunt per species inditas, quae perfecte simul repraesentant perfectiones rerum omnium, statim apprehendunt singularia.

IV. Intellectus prius cognoscit, quae sunt notiora. Atqui singularia sunt notiora. Ergo. — *R. D. M.;* notiora quoad nos, *c.;* quoad se, *n.* — *Contrad. m...* « Nobis autem, ait S. Th. (2), e converso accidit, eo quod nos procedimus de potentia in actum, et principium cognitionis nostrae est a sensibilibus, quae sunt materialia et intelligibilia in potentia ».

V. Intellectus prius cognoscit quod facilius abstrahitur a phantasmate. Atqui facilius ab eo abstrahitur aliqua perfectio distincta ac singularis. Ergo. — *R. D. M.;...* spectata etiam imperfectione intellectus nostri, *c.;* independenter ab ea, *n.* — *Contrad. m.;* relate ad intellectum humanum, *n.;* relate ad intellectum divinum et angelicum, *c.* — Quare cum intellectus humanus sit imperfectus, et cognoscat dependenter ab influxu rerum, quae in ipsum agunt, prius abstrahit aliquid magis confusum, quod deinde semper melius distinguit. Atqui perfectio universalis et praesertim ratio entis est indistincta. « Quod autem universalia, ait S. Th. l. c., sint confusa, manifestum est, quia universalia continent in se suas species in potentia, et qui scit aliquid in universali, scit illud in potentia ».

VI. Intellectus cognoscit formas cum materia. Atqui materia est principium individuationis. Ergo. — *R. D. M.;...* formas cum materia quantitate signata, *n.;* cum materia generice inspecta, inquantum sustentat formas, *c.* — *Contrad. m.;...* Materia de se non cognoscitur nisi inquantum est principium extensionis et sustentat formas materiales. Atqui ista est materia generice

(1) S. Thomas, in l. II, *De Anima*, l. 13.
(2) In I, *Phys.*, l. 1.

inspecta, quae, ut talis, non est proximum principium individuationis. Ergo nequit intellectus per eam cognoscere perfectiones individuas.

VII. Intellectus noster cognoscit prius composita quam simplicia. Sed ratio entis est simplicissima. Ergo. — *R. D. M.:*... prius quam simplicia per modum subsistentis, *c.;* quam simplicia per abstractionem, *n.* — *Contrad. m.*... Nam simplex per abstractionem est magis indeterminatum, ideoque prius cognoscitur quam compositum.

VIII. Prius cognoscimus totum quam partes. Atqui rationes universales et ratio entis sunt partes individuorum. Ergo. — *R. D. M.;* Prius cognoscimus totum potentiale et indeterminatum, minimam habens comprehensionem, *c.;* prius totum actuale, *n.* — *Contrad. m.;* si consideratur ratio totius potentialis, *n.;* si spectatur ratio totius actualis, *c.* — Ad rem S. Th. (1) « Universale magis commune comparatur ad minus commune (et item ad singulare) ut totum et ut pars: ut totum quidem, secundum quod in magis universali non solum continetur in potentia minus universale, sed etiam alia; ut sub animali non solum homo sed etiam equus: ut pars autem, secundum quod minus commune (praecise ut totum actuale) continet in sui ratione non solum magis commune sed etiam alia; ut homo non solum animal sed etiam rationale ».

257. **Coroll.** I. *Ergo magis universale cognoscitur prius quam minus universale.* — Nam magis universale est etiam magis indeterminatum. Atqui, uti vidimus, intellectus procedendo de potentia in actum prius cognoscit magis indeterminatum. Ergo. Ad rem S. Th. (2): « Intellectus noster de potentia in actum procedit. Omne autem quod procedit de potentia in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam ad actum perfectum. Sed actus, quo cognoscitur magis universale, est imperfectus, quia « cognoscere aliquid, in quo plura continentur, sine hoc quod habeatur propria notitia uniuscuiusque eorum, quae continentur in illo, est cognoscere aliquid sub confusione quadam ». Ergo.

II. *Ergo res prorsus immateriales intellectus nequit concipere nisi per analogiam ad res materiales.* — Quod intellectus noster concipere valeat res immateriales, manifestum est, tum ex propria experientia, tum ex ipsa animae spiritualitate. Eas tamen non cognoscit directe, quum ipsae non cadant sub sensibus, qui proinde nequeunt directe praebere intellectui earum materiam. Nihilominus potest intellectus per viam remotionis et ope ratiocinii, et praesertim innixus principio causalitatis, quosdam conceptus saltem analogicos de rebus immaterialibus sibi efformare, quod ipsa docet experientia, et in artic. seq. demonstratur.

(1) S. *Th.*, I p., q. 85, a. 8, ad 2
(2) S. *Th.*, I p., q. 85, a. 3

258. **De cognitione singularium.** — Nunc ad aliam deveniamus quaestionem, quomodo nempe intellectus cognoscat singularia. Iamvero ut certiora a minus certis secernamus, haec extra quaestionem statuenda sunt.

1° *Certum est nos per sensus primo cognoscere singularia.* — Haec est communis doctrina, quam S. Th. ita declarat: « Cognitio intellectiva aliquo modo a sensitiva primordium sumit. Et quia sensus est singularium, intellectus autem universalium; necesse est quod cognitio singularium quoad nos prior sit quam universalium cognitio » (1). At sensus nunquam cognoscit naturam rei singularis, uti vidimus.

2° Pariter *certum est, intellectum quoque cognoscere aliquo modo singularia.* — Nimirum non modo cognoscit existere singularia, sed etiam hanc vel illam rem esse singularem, ideoque cognoscit diversas res ut singulares seu cum intentione singularitatis. Nam intellectus facit iudicia de rebus singularibus, opponit singularia universalibus. Atqui hoc necessario requirit cognitionem singularium. Erga ea cognoscit (2).

3° Item certum tamen est, *neque intellectum cognoscere id quod intrinsece constituit essentiam cuiusvis rei singularis.* — « Cuius ratio est, ut ait S. Th. (3), quia principium singularitatis in rebus materialibus est materia individualis. Intellectus autem noster intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab huiusmodi materia. Quod autem a materia individuali abstrahitur, est universale. Unde intellectus noster directe non est cognoscitivus nisi universalium ».

Imo addimus, praescindendo etiam a quaestione de individuatione, quam hic innuit S. Th., aliud quoque adesse argumentum, quod evidentius ostendit assertum praesens. Nimirum omnis nostra cognitio determinatur ab actione obiecti in facultatem, uti diximus; ideoque aliqua res cognoscitur esse *haec* vel *illa*, e. g. *homo* vel *equus*, *colorata* vel *calida*... etc., prout hanc vel illam actionem exercet in sensibus, et his mediantibus, in intellectu. Atqui res singulares corporeae non habent aliquam actionem ita propriam, ut

(1) *S. Th.*, I p., q. 85, a. 3; et *De Verit.*, q. X, a. 5.
(2) Cfr. Suarez, *De Anima*, l. III, c. 3, n. 2.
(3) *S. Th.*, I p., q. 86, a. 1.

valeant determinare cognitionem huius individui singularis, et quae distinguatur ab alia actione individui eiusdem speciei. Nulla enim datur determinata actio in aliquo individuo, quae dicat peculiarem rationem, qua essentialiter distinguatur ab actione alterius individui eiusdem speciei: quum diversae actiones individuales singularum rerum eiusdem speciei a nobis distinguantur non per propriam cuiusque rationem, quam numquam cognoscimus, sed per alias diversas perfectiones cuique advenientes, quas simul *non habet unus et alter*. Ergo.

Tandem communis experientia testatur, neminem unquam potuisse determinare ac definire propriam essentiam e. g. *Petri* vel *Pauli*, *huius* vel *illius equi*, *huius* vel *illius auri*, *argenti*... etc. Et ideo habetur notum effatum « de individuis non datur definitio et scientia », de quibus habetur tantum definitio descriptiva, exhibendo propria cuiusque accidentia, quae simul sumpta non habet unus et alter: ita ut si quandoque omnia accidentia similia habeant, non possimus ea distinguere, nisi tantum per *situm*, quem necessario diversum exhibent, ac proinde si situm mutant, nescimus, quodnam sit unum et quodnam alterum. Atqui haec omnia clare manifestant, nos omnino ignorare propriam essentiam singularem cuiusque individui. Ergo.

Nunc igitur inquirendum manet, *quid sit*, quod cognoscimus in unoquoque individuo, et *quomodo*. Inde postea patebit, quomodo unum distinguamus ab alio.

Thesis L.

Intellectus noster cognoscit singulare materiale conceptu proprio ac distincto, prout apprehendit phantasma, ut subiectum singulare alicuius naturae cognitae per abstractionem ab ipso.

259. **Status quaestionis.** — In hac thesi examini subiicimus sententiam eorum, qui non modo tuentur, nos reapse cognoscere singulare, sed *primo* ipsum cognoscere. Quidam enim thomistae in defendenda sententia S. Thomae, superius exposita, contra Scotum, eo processerunt, ut asserrent, nos neque concipere singulare materiale conceptu proprio ac distincto. Alii vero ad istos

refutandos, simul conati sunt ostendere, nos non modo apprehendere singulare conceptu proprio, sed *primo* etiam apprehendere.

Quae duae quaestiones tamen sunt apprime inter se distinguendae. Quocirca quoniam iam ostendimus nos primo apprehendere non singulare sed rationem entis communissimi, modo tantum demonstrare adnitimur modum, quo singulare cognoscimus, et ita forte adhuc melius confirmabitur thesis praecedens.

Quare in prima parte asserimus, intellectum cognoscere singulare materiale per conceptum proprium, non quatenus cognoscat intrinsecam naturam alicuius individui, sed quatenus apprehendit naturam aliquam communem, ut determinatam ad hoc vel illud individuum.

Nam quoniam phantasma, a quo intellectus abstrahit suos conceptus, est certe aliquid singulare, intellectus potest ipsum apprehendere sub ista ratione singularitatis. Et haec sententia defenditur contra Cajetanum, qui ait. « Concipitur singulare ab intellectu nostro, non proprio sed alieno conceptu, qui tamen est aliquo modo, scilicet confuse et arguitive, eius, non repraesentative, quemadmodum deitas concipitur in alieno conceptu, qui est tamen deitatis conceptus non repraesentative sed arguitive » (1). Et contra Capreolum, opinantem probabilius singulare proprie non attingi ab intellectu sed tantum a cogitativa (2). Dum sententiam nostram, cum S. Thoma fere omnes sequuntur antiquiores ac recentiores scholastici. Et merito contra Caietani sententiam, advertit Suarez (3) : « si intellectus noster careat specie rei singularis, non poterit formare proprium et distinctum eius conceptum ». In altera parte vero conamur ostendere, quomodo intellectus possit conceptu proprio ac distincto apprehendere singulare iuxta principia certa S. Thomae et Scholasticorum.

260. **Prob. I p.** — Tunc habetur conceptus proprius ac distinctus alicuius rei, quando ipsa cognoscitur per speciem propriam ac determinatam illius rei. Atqui per hanc speciem intellectus concipit singulare materiale. Ergo. — *Pr. m.* — Conceptus naturae singularis efformatur, concipiendo naturam specificam spectatam, ut pertinentem ad illud phantasma concretum et singulare, a quo abstrahitur. Atqui natura specifica certo cognoscitur per conceptum proprium ac distinctum: illud phantasma, spectatum ut aliquid concretum ac singulare, iterum cognoscitur per speciem propriam ac distinctam: quum nihil sit facilius, quam cognoscere aliquod individuum ut singulare. Ergo.

(1) In I p., S. *Theol.* q. 85, a. 1.
(2) I S.D. 35, q. 2, ad argum. contra 4m conclus.
(3) *De Anima*, l. IV, c. 3, n. 6

Praeterea certum est, intellectum cognoscere singularia materialia, et ea inter se distinguere, uti nuper diximus. Atqui non potest ea cognoscere per speciem alienam vel communem. Ergo. — *Pr. m.* — In natura singulari duo sunt spectanda: natura specifica, et eius singularitas. Atqui natura specifica certe cognoscitur per speciem propriam ac distinctam, ut patet ex thesi anteced., item etiam singularitas, quippe quae ab eodem phantasmate abstrahitur, per conversionem super naturam illam, spectatam ut in illo praecise habitam. Ergo.

Dices: I. Si singularitas cognosceretur per speciem propriam et distinctam, deberet etiam cognosci intrinseca ratio cuiusque rei singularis. Atqui ignoratur. Ergo. — *R. D. M.;* si cognosceretur per speciem directam repraesentantem ipsam perfectionem individualem additam perfectioni specificae, *c.;* si cognoscitur tantum quandam naturam specificam esse singularem in determinato quodam phantasmate, *n.* — *C. m.;* et *D. C.* eodem modo. Et revera in hoc forte deceptus videtur Caietanus cum Capreolo, quatenus uterque putaverit, intellectum cognoscere singulare per speciem distinctam, idem esse ac intrinsecam perfectionem individualem apprehendere; quae duo tamen sunt prorsus diversa, uti melius patebit in 2ª parte.

II Singularitas cognoscitur, inquantum phantasma apprehenditur ut aliquod individuum. Atqui hic conceptus est indeterminatus. Ergo. — *R. D. M.;*... apprehenditur ut *hoc individuum*, habens determinatam naturam ab eo abstractam, *c.;* ut *aliquod* individuum indeterminatum, nempe ut id cui competit *aliquod* esse singulare, *n.* — *Contrad. m.*... Quare aliud est, cognoscere phantasma ut individuum indeterminatum seu *vagum;* aliud vero cognoscere uti subiectum singulare hanc habens determinatam naturam specificam. Hoc enim in casu cognoscitur singularitas ut coniuncta huic naturae, ac proinde concipitur natura singularis conceptu proprio ac distincto.

III. Phantasma est aliquid materiale concretum. Atqui hoc nequit cognosci per speciem propriam, quae est semper aliquid abstractum. Ergo — *R. C. M.* — *D. m.;*... per speciem exhibentem intrinsecam perfectionem singularitatis, *c,;* neque per speciem exhibentem solam rationem singularitatis, *n.* — Nam revera haec quoque species est abstracta, nempe *tracta* ab illo phantasmate, non considerando intrinsecam eius perfectionem individuam. Ratio autem cur haec perfectio individua nequeat a nobis cognosci, non inde repeti debet, quia est materialis concrete, nam secus neque a Deo cognosci possit, qui eam certe perfectissime apprehendit; sed uti nuper diximus (n. 258, 3º) quia intellectus noster recipit cognitionem a rebus per earum

actiones, a quibus determinatur, et res singulares non exhibent aliquam actionem propriam, qua valeant determinare intellectum ad cognitionem propriae singularitatis.

261. **Prob. II p.** — Cum intellectus apprehendit aliquam naturam abstractam, redit super eam et eam inspicit reduplicative, ut existentem in illo individuo, cognito per phantasiam et cogitativam, a quo abstracta fuit. Atqui hoc pacto intellectus ita se convertit ad phantasma, ut ipsum apprehendat, qua individuum illius naturae abstractae, et ita efformat conceptum huius naturae singularis. Ergo (1).

Dices: I. Cognoscendo phantasma ut individuum alicuius naturae, non habetur conceptus proprius illius individui. Atqui intellectus habet hunc conceptum. Ergo. — *R. D. M.;* non habetur conceptus, quo intime cognoscitur propria perfectio individualis, *c.;* non cognoscitur haec natura ut individua, *n.* — *Contrad. m.*

II. Si intellectus cognosceret singularia per conversionem ad phantasmata, deberet cognoscere ipsum phantasma. Atqui non potest. Ergo. — *R. D. M.;*... deberet cognoscere phantasma ut aliquod individuum illius naturae, iam prius ab eodem abstractae, *c.;* deberet cognoscere ipsum intrinsecum constitutivum phantasmatis, *n.* — *Contrad. m.* — Id, quod intellectus non potest cognoscere, est intrinseca ratio constituens phantasma in sua singularitate, at plane potest illud cognoscere, ut aliquod singulare individuum illius naturae antea ab eodem abstractae. Unde non opponitur nostrae sententiae argumentum Suarezii: « Phantasma ipsum, ait [...] c., est quid singulare ac materiale; ergo si cognoscitur, ac in illo res singularis tamquam in obiecto repraesentatur, iam singulare ipsum materiale directe cognoscitur ». At non ita *directe*, ut non indigeat cognoscere prius naturam eius specificam, quae intrinsece cognoscitur, ac dein reflectendo super ipsam apprehenditur phantasma, ut individuum illius naturae.

(1) Accipe etiam explicationem S. Th.: « Mens per accidens singularibus se immiscet, inquantum continuatur viribus sensitivis, quae circa particularia versantur. Quae quidem continuatio est dupliciter. Uno modo inquantum motus sensitivae partis terminatur ad mentes, et sic mens singulare cognoscit per quandam reflexionem, prout scilicet mens, cognoscendo obiectum suum, quod est aliqua natura universalis, redit in cognitionem sui actus, et ulterius in speciem, quae est actus sui principium, et ulterius in phantasma, a quo species est abstracta; et sic aliquam cognitionem de singulari accipit. Alio modo secundum quod motus, qui est ab anima ad res, incipit a mente, et procedit in partem sensitivam, prout mens regit inferiores vires; et sic singularibus se immiscet, movente ratione particulari, quae est potentia quaedam individualis, quae alio nomine dicitur cogitativa ».

III. *Instas.* Si intellectus potest cognoscere phantasma singulare per reflexionem, multo magis potest cognoscere directe et immediate. Ergo. — *R. D. M.;*... potest cognoscere ut *aliquod individuum indeterminatum*, *c.;* ut individuum habens hanc specificam naturam, *n.* — Et revera nihil prohibet dicere, quod intellectus cognoscit phantasma, ut *aliquod individuum singulare indeterminatum* directe et immediate, etiam antequam cognoscat eius naturam specificam, nam tandem aliquando haec ratio est una e rationibus transcendentalibus, quae convertitur cum omni ente existente, quia quicquid existit, singulare est. Sed ad hoc ut cognoscat ipsum esse individuum alicuius determinatae naturae, requiritur quod prius cognoscatur per abstractionem eius natura specifica, ac deinde illud phantasma, seu res per ipsum repraesentata, ut individuum huius naturae.

IV. Intellectus distinguit hoc individuum ab illo. Atqui hoc supponit cognitionem ipsius naturae individualis. Ergo — *R. D. M.;* distinguit per accidentia propria, *c.;* per cognitionem perfectionis individualis, *n.* — *Contrad m.*

V. Rusticus cognoscit individua, quin cognoscat naturas universales. Ergo. — *R. D. M.;*... quin advertat se cognoscere naturas materialiter universales, et quin cognoscat universale formale, *c.;* quin reapse cognoscat illas naturas universales, *n.*

VI. In hac sententia intellectus haberet tantum species naturae specificae vel genericae. Atqui hoc est falsum. Ergo — *R. D. M.;* in actu primo ac directo, *c.;* in aliis actibus, qui statim sequuntur post primum, *n.* — *Contrad. m.*...

262. **Scholion. — Utrum intellectus cognoscat singularia directe.** — Nonnulli scotistae, quibus accedunt Suarez et alii, ad plenius reiiciendam sententiam Caietani, asserunt intellectum cognoscere singularia etiam *directe*. Iamvero si 1) per hoc intelligitur quod intellectus cognoscit directe rationem transcendentalem singularitatis, sicut cognoscit rationem entis et aliarum naturarum, nemo illud inficiari potest. — Si 2) intelligitur quod intellectus directe apprehendit ipsam naturam constituentem aliquod singulare, hoc videtur evidenter esse reiiciendum, uti superius diximus. — Si 3) tandem intelligitur, quod intellectus directe i. e. eodem modo cognoscit phantasma ac proinde obiectum sensibile ut *singulare*, sicut cognoscit ut *ens*, ut *substantiam*... etc., tunc respondemus hoc posse quidem affirmari, dummodo explicetur, utrum intellectus hunc conceptum, *primo* habeat, vel postquam habuerit saltem conceptum entis communissimi. Priori sensu non videtur admitti posse, ob rationem allatam in thesi superiori. Altero vero sensu redit in nostram sententiam. Nam reflexio, quam nos admittimus cum S. Thoma, exercetur super primum conceptum entis, qua posita dein directe cognoscit phantasma uti singulare. Et reflexio illa prior requiritur, praecise quia videtur quod intentio singularitatis non sit

prima quae abstrahatur, sed tantum secundaria, ex eo quod intellectus impellitur, ad cognoscendum subiectum a quo primam intentionem abstraxit. Ita patet responsio ad argumentum Suaresii in loco cit.

Dices: Omne quod cognoscitur per speciem propriam, directe cognoscitur. Atqui singulare cognoscitur per speciem propriam. Ergo. — *R. D. M.;* si cognoscitur per speciem directe et primo determinatam a re seu ab eius actione, *c.;* si per speciem propriam habitam per reflexionem super aliam directe habitam, *n.* — *Contrad. m.* — Quare quoniam certum est, speciem propriam rei singularis non haberi primo ab ipsa, patet non idem esse, *habere speciem propriam*, et *directe sine ulla reflexione cognoscere;* quae duo si rite distinguerentur, forte omnes nobiscum convenirent in sententia S. Thomae.

Ergo concludimus; si quae oppositio habetur, ea unice reducitur ad quaestionem iam solutam in thesi superiori.

Explorato proprio obiecto intellectus nostri, et statuto ordine, quo diversas res ipse apprehendit, haud erit difficile investigare ac determinare propriam eius naturam.

Thesis LI.

Intellectus est facultas spiritualis, quae nempe non pendet intrinsece a materia in essendo et operando,

263. **Status quaestionis.** — Omnis forma est simplex, at non omnis est spiritualis: spiritualitas enim addit supra simplicitatem *intrinsecam independentiam a materia in essendo et operando*. Sed quoniam illud, quod primo innotescit, est independentia a materia in operando, prius efficiendum est ut demonstretur, intellectus in cognoscendo non pendere intrinsece a materia.

Circa hanc quaestionem multi extiterunt errores, iam ab antiquioribus in medium prolati, duce Democrito, qui intellectum cum sensu confundentes, omnem cognitionem dependentem a materia statuebant. Sed veterum philosophorum iamdiu explosa et sepulta dogmata iterum renovarunt recentiores omnes, qui, materialismo vel sensismo addicti, cognitionem explicare conantur per solas materiae vires, praecipui sunt Hobbes, Tolland, Helvetius, Mirabaud, d'Holbach, La Mettrie, Cabanis, Broussais, Spencer, Bain, Büchner, Vogt, Moleschott, Virchow, Tyndal, Dühring,

Häckel, du Bois-Reymond, Löventhal. Hi omnes intellectionem in cerebro exerceri per nerveam cerebri vibrationem suadere conantur. Unde iuxta Moleschott cogitatio aliud non est, quam *motus* vel *transformatio materiae cerebralis*, et quum ipsa indigeat in exercitio cognitionis actione phosphori ideo hoc ipse statuit principium: « Sine phosphoro nulla est possibilis intellectio ». Ab horum placitis non multum discrepavit Schopenhauer, cum docuit, intellectum esse instar scabiei vel rubiginis cuiusdam, cerebro innascentis in indefinito illo progressu evolutionis, qua sese *Voluntas mundi* iugiter explicat iuxta suum commentum, iam alibi reiectum, de *voluntate*, quae rebus omnibus inest.

Contra hos omnes probatur nostra thesis.

264. **Prob.** — Illa facultas cognoscitiva est non modo simplex, sed etiam spiritualis, quae operationem exercet intrinsece independentem a materia. Atqui cognitio intellectiva, cum versetur circa res immateriales, abstractas, universales, est huiusmodi. Ergo. — *Prob. m.* — 1) Materia est principium coarctationis, limitationis et individuationis, uti saepe advertimus. Ergo facultatis operatio, quae intrinsece a materia dependet, ab ea etiam coarctatur ad obiectum limitatum et individuum, quum quicquid operetur dependenter ab alio, necessario subiiciatur conditionibus ipsius. Atqui operatio, quae versatur circa omne ens, certe non est coarctata ad aliquod obiectum limitatum et individuum. Ergo. — 2) Facultas cognoscitiva, quae operatur dependenter a materia, physica obiecti indiget impressione, quae in materia recipiatur (Th. XXV). Atqui facultas, quae cognoscit res immateriales et abstractas, certe operatur sine huiusmodi physica impressione, quia istae res nequeunt talem physicam impressionem gignere, quippe quae tantum per motum ac materiam produci valet. Ergo. — 3) Operatio specificatur per obiectum, ac proinde nequit esse in ordine inferiori ac ipsum obiectum circa quod versatur. Atqui res immateriales, abstractae et universales certe non pendent intrinsece a materia. Ergo.

Praeterea facultas cognoscitiva, quae potest reflectere supra actum suum ac seipsam cognoscere, multos conce-

plus simul componere ac ratiocinium etiam instituere, ad multas veritates delegendas, quas in simplici apprehensione attingere non valet, est spiritualis. Atqui facultas intellectiva talis est, ut experientia constat. Ergo. — *Pr. M.* — Facultas cognoscitiva, quae intrinsece dependet a materia, nequit reflectere supra suum actum ac seipsam cognoscere. Nam, uti scite arguit S. Th. (1), « cuiuslibet virtutis operantis per organum corporale oportet, ut organum sit medium inter ipsam potentiam et obiectum eius: visus enim nihil cognoscit nisi illud, cuius species fieri potest in pupilla. Unde quum non sit possibile, ut organum corporale sit medium inter virtutem aliquam et ipsam essentiam virtutis, non erit possibile, ut aliqua virtus operans, mediante organo corporali, cognoscat seipsam » (2).

Item facultas cognoscitiva, a materia intrinsece dependens, nequit diversos actus simul componere et novum efformare simplicem, qui multos in se complectitur. Nam omnes illi actus, utpote a materia dependentes et inter sese diversi, essent semper distincti, et si forte ad invicem componerentur, unum efformarent actum *compositum*, nunquam *simplicem*. Atqui quum intellectus iudicium componens instituit, vi copulae verbalis, duos, imo plures conceptus, ita ad invicem coniungit, ut novum ac simplicem actum ponat, in quo omnes illos simul apprehendit, quique proprie *actus iudicii componentis ac dividentis* nuncupatur. Ergo.

Tandem confirmatur cum eodem S. Th. ibid., ex eo quod facultas organica corrumpitur ab excellentia obiecti sensibilis. Intellectus autem non corrumpitur ab intelligibilis excellentia: quinimmo, qui intelligit maiora, potest melius postmodum minora intelligere. Ergo.

(1) In II Sent. D. 19, q. 1, a. 1.

(2) Pariter alibi ait « Nullius corporis actio reflectitur supra agentem. Ostensum est enim in Physicis (lib. 7, text. Comm. 1), quod nullum corpus a seipso movetur nisi secundum partem: ita scilicet quod una pars eius sit movens et alia mota. Intellectus autem supra seipsum agendo reflectitur; intelligit enim seipsum non solum secundum partem, sed secundum totum. Non est igitur corpus ». Adhuc: « Actus (*vel actio*) corporis ad actionem non terminatur, nec motus ad motum, ut in Physicis (lib. 5, texto Comm. 10) est probatum. Actio autem substantiae intelligentis ad actionem terminatur. Intellectus enim sicut intelligit rem, ita intelligit se intelligere, et sic in infinitum. Substantia igitur intelligens non est corpus ». *c. Gentes*, L. II, c. 49, vide c. 66; et *de Ver.*, q. I, a. 10.

265. **Obiicies:** I. Facultas intellectiva pendet in cognoscendo a sensibus. Atqui sensus pendent a materia. Ergo et ista: — *R. D. M.;...* pendet intrinsece, *n.;* extrinsece, seu ratione obiecti, *c.* — *C. m.* — Duplex dependentia a materia distinguenda est: altera intrinseca, quam antea explicavimus et denegamus adesse in intellectu: altera est extrinseca seu *obiectiva*, et in eo est, quod facultas nequit obiectum prosequi, nisi ei praesens sit dependenter ab aliqua facultate organica. Videlicet prius haec facultas recipit ab obiecto impressionem physicam, et ita cum eo coniungitur et cognoscit; deinde hoc obiectum, per sensus repraesentatum, intellectui fit praesens et ita ab eo apprehenditur. Alia obiecta vero non apprehenduntur, nisi per analogiam cum istis. Quare libenter concedimus intellectui nostro hanc dependentiam extrinsecam, seu *obiectivam*, a materia, at ipsa nullo modo refragatur spiritualitati, quae est ei propria.

II. Intellectus sequitur vicissitudines organorum sensibilium praesertim cerebri, et ita est infans in infantibus, senescit in senibus, et nequit operari, si cerebrum laeditur vel perturbatur. Atqui hoc ostendit intellectum esse dependentem a materia. Ergo. *R. D. M.;...* quatenus intrinsece dependet ab organis, *n.;* quatenus extrinsece seu obiective dependet a sensibus, *c.* — *Contrad. m.;...* dependentem saltem extrinsece,*c.;* etiam intrinsece, *subd.;* hoc ostendit necessario, *n.;* potest hoc ostendere, *it dist.;* si nullum argumentum adesset quod ei opponitur, *c.;* si validum argumentum ei contradicit, *n.* — Revera ex hisce phaenomenis potest sequi vel dependentia intrinseca vel extrinseca. Iamvero quum antea argumenta protulimus, quae clare evincebant, hanc dependentiam intrinsecam intellectus a materia esse reiiciendam, necessario consequitur, ex illo facto deduci non posse nisi solam dependentiam extrinsecam (1).

III. Omnes homines persuasum habent intellectionem fieri in capite, quod ex eo etiam confirmatur, quia caput defatigatur, quando quis studio intellectuali incumbit. Atqui hinc sequitur intrinseca dependentia intellectus a cerebro. Ergo. — *R. D. M.;...* et ratio est, quia intellectus recipit materiam intellectionis a phantasia, quae est in cerebro, *c.;* quia intrinsece dependet ab ipso cerebro,*n.* — *Contrad. m.;...* sequitur dependentia extrinseca a phantasia, *c.;* intrinseca a cerebro, *n.* — Quare haec difficultas non multum differt a priori. Ad rem S. Th. (2): « Ut phil. dicit, (in III *de Anima*, com. XXXIX) phantasmata se habent ad intellectum nostrum sicut sensibilia ad sensum, ut colores qui sunt extra animum ad visum; unde, sicut species quae est in sensu, abstrahitur a rebus ipsis et per eam cognitio sensus continuatur ad ipsas res sensibiles; ita intellectus noster abstrahit spe-

(1) Confer *S. Thom.*, II S., D. XX, q. 2, a. 2; et I p., q. 101, a. 2
(2) *De Verit.*, q. II, a. 6, cf. etiam *S. Theol.*, I p., q. 84, a. 7.

ciem a phantasmatibus, et per eam cognitio eius quodammodo ad phantasmata continuatur ».

IV. Qui pollent exquisitiori cerebro, perfectiori quoque intellectu gaudent, imo ex diversa conformatione capitis ac cerebri diversae dispositiones morales hominum facile eruuntur. Atqui haec omnia non possent explicari sine intrinseca dependentia a materia. Ergo. — *Responsio* huic argumento eadem est ac antecedens; quare inutile videtur plus aequo in eo immorari. Imo addimus eandem responsionem dandam esse multis aliis similibus argumentis ex *physiognomia* ac *phrenologia* deductis, auctore praesertim Gall (1). Nam praeterquam quod non omnia facta, quae afferuntur, sunt tam universalia et constantia, sicut esse deberent ad hoc, ut deduci forte potuisset materialistarum conclusio, manet contra ea validum illud argumentum, quod ea omnia ostendunt utique aliquam a materia dependentiam, at nunquam intrinsecam (2).

V. Potentia, quae movetur ab obiecto corporeo ad operandum, intrinsece pendet a materia. Atqui talis est intellectus. Ergo. — *R. D. M.;* quae movetur ab obiecto corporeo per physicam impressionem, *c.;* quae movetur per intentionalem actionem, *subd.;* si facultas se haberet tantummodo passive, *transeat.;* (sed hoc esse impossibile alibi explicabimus) si se habet etiam active, *n.* — *Contrad. m.;...* Actio enim physica est necessario singularis et concreta. Atqui obiectum intellectus est abstractum et universale. Ergo ipsum movet intellectum per actionem intentionalem, quam inferius explicabimus.

VI. Intellectus est facultas passiva, quae actuatur a formis corporeis. Atqui ista nequit esse spiritualis. Ergo. — *R. D. M.:* est facultas mere passiva, quae actuatur in ordine physico, *n.*, est facultas primo et per se activa, et secundum quid passiva, quae actuatur in ordine intentionali per formas ab ipso intelle-

(1) Qua ratione Gall suas peregit inductiones, ipse idem refert in op. *Les fonctions du cerveau...*; cuius epilogum vide apud cl. Farges: *Le cerveau, l'âme et les facultés*, pag. 183.

(2) « Sans doute, aux yeux du vulgaire, un front large, droit ou bombé passe encore pour un « front intelligent ». Mais ce n'est là qu'un préjugé populaire. Bien loin d'être un privilège exclusif des hommes intelligents, le front droit ou bombé se rencontre très souvent dans races inférieures aux sauvages, v. g. chez les nègres d'Afrique ou ceux de la Nubie, et même chez les idiots. Les autres localisations du Dr. Gall n'eurent même pas en leur faveur le préjugé populaire. On s'amusa beaucoup de découvrir l'organe de la *vénération* et celui du *meurtre* très développés chez le mouton, l'instinct de la *propriété* très saillant chez les voleurs et les bandits de profession; ce qui permit, sans doute, aux disciples de Proudhon, d'identifier la bosse du vol et celle de la propriété, justifiant ainsi l'aphorisme célèbre: « la propriété c'est le vol ». Et l'admiration ne fut pas moindre, lorsqu'on apprit que la bosse de *la musique*, chez l'âne, le loup, le mouton, était beaucoup plus développée que chez l'alouette et le rossignol, etc. ». (Farges, op. cit., pag. 186, 187).

ctu productas, *c.* — *Contrad. m.*... Confer quae diximus de specie in n. 161 sqq.

VII. Intellectus est facultas animae humanae. Atqui anima humana actuat corpus. Ergo etiam intellectus actuat corpus ac proinde intrinsece pendet a materia. — *R. C. M.*; et *D. m.*;... tamquam forma per se subsistens ac superexcedens capacitatem materiae, *c.*; tamquam forma inhaerens materiae, *n.* — et *N. Cons.*... Anima, quum sit forma substantialis ac subsistens, habet esse in se, et quum actuat materiam, ei ita communicatur, ut non fiat dependens ab ea in existendo, sed manet semper in se subsistens. Sed intellectus est forma accidentalis, quae, quum existere debeat in aliquo subiecto, ab eo necessario dependet. Ergo si actuaret materiam, necessario penderet ab ea et amitteret suam spiritualitatem. Quapropter ratio, cur anima potest actuare materiam et intellectus non, est praecise imperfectio intellectus, quia est forma accidentalis.

VIII. Intellectio est actus totius hominis. Atqui homo est compositus ex anima et corpore. Ergo intellectio est actio compositi, ac proinde ipse intellectus est compositus. — *R. D. M.*;... tamquam principii *quod* intelligit, *c.*; *tamquam* principii *quo*, *n.* — *C. m.* — et *D. C.*... Quare homo est *qui* intelligit, et intellectus est id, *quo* homo intelligit. Atqui plane contingere potest, ut totus homo, quamvis compositus ex anima et corpore, intelligat per facultatem, tamquam per medium *quo*, et ipsa tamen non componat cum materia. Ergo.

266. **Corollarium.** I. *Ergo intellectus differt a sensu.* Et sane praestat hic breviter simul recolere praecipua discrimina, iam recensita, inter sensum et intellectum:

1um *discrimen essentiale* ac ceterorum fundamentum in eo est, quod intellectus eiusque operatio non dependent intrinsece a materia, sensus vero et sensatio dependent. « Haec est, ait S. Th. (1), differentia, qua differt cognitio intellectiva a sensitiva, quod sentire est aliquid corporeum; non enim operatio sensus est sine organo corporali. Intelligere autem non est per organum corporeum ».

2um *discrimen*: *sensus non cognoscit nisi singularia concreta..., intellectus autem primo ac per se universalia*: quod utrumque experientia etiam confirmatur. « Cognoscit enim, ait S. Th. (2), omnis sensitiva potentia per species individuales, cum recipiat species rerum in organis corporalibus.

(1) L. III, *de Anima*, l. 4.

(2) *C. Gentes*, L. II, c. 66 per totum.

Intellectus autem est cognoscitivus universalium »; praecise quia non recipit species in organo corporali (1).

3um *discrimen*: « *cognitio sensus non se extendit nisi ad corporalia; quod ex hoc patet, quod qualitates sensibiles, quae sunt propria obiecta sensuum, non sunt nisi in corporalibus, sine eis autem sensus nihil cognoscit. Intellectus autem cognoscit incorporalia, sicut sapientiam, veritatem, et relationem rerum* ». Insuper sensus has qualitates attingit tantum ut aliquid sui immutativum, intellectus vero ad ipsam quoque essentiam rerum pertingit.

4um *discrimen*: « *nullus sensus seipsum cognoscit, nec suam operationem*... Intellectus autem cognoscit seipsum et cognoscit se intelligere »: quod, uti vidimus, iterum sequitur ex eis spiritualitate.

5um *discrimen*: « *sensus corrumpitur ab excellenti sensibili: intellectus autem non corrumpitur ab intelligibilis excellentia*: quinimmo qui intelligit maiora, potest melius postmodum minora intelligere ». Cum enim sensus operetur dependenter ab organo, excellens sensibile illud destruere potest, et sic virtutem ipsam sensitivam corrumpere, vel impedire, quominus suam exerat operationem. Virtus autem intellectiva, cum sit spiritualis, nullo modo corrumpi potest, imo per sui exercitium magis perficitur.

6um *discrimen* tandem: « *sensus in omnibus animalibus invenitur. Alia autem animalia ab homine intellectum non habent*: quod ex hoc apparet quia non operantur diversa et opposita, quasi intellectum habentia, sed sicut a natura mota ad determinatas operationes et uniformes in eadem specie, sicut omnis hirundo similiter nidificat ».

II. *Ergo errant qui discrimen inter homines et belluas repetunt tantum ex sensu moralitatis et religiositatis*: —

(1) Hoc discrimen clare exponit Comte Domet de Vorges, *Revue de Philos.* (Oct. 1903, p. 770, 771) ostendens quod sensus non percipiunt nisi singulare numquam vero universale. « L'imagination peut, en oubliant ou confondant certains traits, créer un portrait qui convienne à peu près à plusieurs. Ainsi sir F. Galton, en superposant des photographies, avait formé des images composites ayant un air de parenté avec tous les originaux.

« La mémoire peut de même offrir à l'animal une image confuse, telle que l'apparition d'un objet à peu près semblable produisse sur son appétit la même impression éprouvée auparavant. Mais dans tous ces cas, il s'agit, à bien y regarder, de formes individuelles ».

ex eo quod belluae ipso carent, dum homines ipsum experiuntur et excolunt. Revera concedendum est, ex eo aliud discrimen omnino clarum deduci posse inter homines et belluas, at haberi nequit uti primum, nec uti fundamentale. Iste sensus enim, ut alibi probabitur, supponit libertatem qua homines gaudent, belluae autem carent, sed haec eadem libertas supponit intelligentiam, uti videbimus in art. IV, ideoque est eius consectarium. Atqui qui putant, non posse assignari discrimen inter homines et belluas ratione intelligentiae, quam vellent aliquo modo belluis etiam tribuere, iam subducunt ipsum fundamentum ad ostendendum, cur eis desit libertas ac sensus moralitatis.

267. **Conclusio.** — Perspecta igitur ac rata manet praecipua ac propria operatio hominis, qua ipse a brutis animantibus specifice discriminatur, operatio nempe *cognitionis intellectivae*. Quoniam enim operationes specificantur per obiecta, circa quae versantur, prius statuere curavimus propriam rationem huius obiecti, et vidimus esse quidditatem abstractam a rebus sensibilibus, quae proportionatur propriae intellectus nostri capacitati, ita tamen ut intellectus valeat alias etiam quidditates cognoscere omnium omnino rerum, quae proinde constituunt obiectum adaequatum extensive huius facultatis.

At quoniam res, quae existunt, singulares sunt, e re visum est, inquirere ac statuere, quomodo intellectus singularia quoque cognoscat; et secernendo certa a minus certis, prius tuiti sumus, certo a nobis singularia primo cognosci per sensus, et ea pariter certo ab intellectu quoque cognosci; nihilominus certum item est, a nobis ignorari intrinsecam rationem constitutivam rei singularis. Dein conati sumus investigare, quomodo intellectus singularia cognoscat, et amplexi sumus sententiam S. Thomae, quae verior videtur et magis consentanea principiis certis iam statutis circa constitutionem corporum et modum, quo a rebus gignitur in nobis cognitio.

Ita nullius erat negotii ipsam naturam facultatis cognoscitivae determinare, et eius spiritualitatem vindicavimus, ac proinde essentiale ac fundamentale eius discrimen a facultate sensitiva statuimus.

At nunc animum pulsat desiderium inquirendi modum, quo intellectus suum persequatur obiectum; ut suo muneri satisfaciat, determinandi ultimas rerum causas. Haec quaestio nomen sibi fecit: *de origine idearum, seu conceptuum.*

ARTICULUS II.

DE ORIGINE CONCEPTUUM SIMPLICIUM.

268. **Ordo rerum.** — Quaestio modo solvenda ex iis est, quae valde agitatae sunt inter philosophos a primis usque temporibus, et nostra adhuc aetate acerrime disputantur. Eius quanta sit gravitas, quisque sibi faciliter suadebit, si hoc unum mente revolvit; nimirum ex diversa huius quaestionis fundamentali solutione, praesertim apud recentiores, fere totam pendere diversorum philosophiae systematum structuram. Haec enim quaestio intime cum altera de obiectivo valore conceptuum nostrorum connectitur, et est ultimum eiusdem complementum. Et inquirendum ac statuendum erat modum, quo cognoscens cum rebus coniungatur, easque intentionaliter repraesentet. Et ita explicatur: *quaenam sit origo conceptuum nostrorum.* Iamvero quoniam intellectus noster non modo simplices apprehendit perfectiones, sed eas simul componere valet, atque adeo suam cognitionem perficit, singillatim inquirendum erit: de origine tum simplicium conceptuum, tum conceptuum compositorum seu iudiciorum.

269. **Praenotiones historicae.** — Iamvero ad originem nostrae cognitionis explicandam nonnisi tres hypotheses adstrui queunt. Ipsa enim oriri potest, vel 1° a causa nobis omnino extrinseca; vel 2° a causa omnino intrinseca, seu a sola virtute nobis insita; vel 3° a causa partim nobis extrinseca partim intrinseca. Et omnes istae tres hypotheses a philosophis excogitatae sunt ac diversimode propositae, uti iam sua aetate refert S. Thomas.

Et quod 1am « quidam posuerunt ortum scientiae totaliter a causa exteriori esse » (1): sed *a*) nonnulli putarunt omnem nostram cognitionem a solis physicis immutationibus in organis oriri, adeoque solam cognitionem sensilem seu experimentalem rerum agnoscendam esse, ceteras vero cognitiones rerum immaterialium, vel ex analysi habitas, reiiciunt: ii sunt qui *sensistae*, *materialistae* ac *positivistae* nuncupantur. — *b*) Alii autem, « uti Platonici, posuerunt formas rerum sensibilium esse a materia separatas et sic esse intelligibiles actu, et per earum participationem a materia sensibili effici individua in natura, earum vero partecipatione humanas mentes scientiam habere, et

(1) Thomas, *De Verit.*, q. X, a. 6.

sic ponebant praedictas formas esse principium generationis et scientiae. — Sed haec positio a Philosopho sufficienter reprobata est... Et ideo alii non ponentes formas sensibilium separatas, sed intelligentias tantum, quas nos Angelos dicimus, posuerunt originem nostrae scientiae totaliter ab huiusmodi substantiis separatis esse ». — *c*) Quidam vero, ut huic defectui remedium afferrent, in alium inciderunt scopulum, asserentes, cognitionem nostram non hauriri a rebus sed a Deo accipi, vel per *Eius intuitivam visionem*, vel per *revelationem*, inde *Ontologi* appellati sunt, vel *Traditionalistae*. — *d*) Item alii dixerunt, uti Malebranche et Berkeley, omnes perceptiones esse a Deo nobis immissas: vel, ut Cartesius et Rosminius, esse ideas innatas saltem partialiter.

Quoad 2am « Alia opinio fuit, prosequitur ibid. S. Thom., ponentium nostrae scientiae originem totaliter a causa interiori esse; quae etiam in duas sectas dividitur. — *a*) Quidam enim posuerunt humanas animas in se ipsis continere omnium rerum notitiam; sed per coniunctionem ad corpus praedictam cognitionem obtenebrari; et ideo dicebant nos indigere studio et sensibus ut impedimenta scientiae tollerentur, dicentes, addiscere nihil aliud esse nisi reminisci ». — *b*) « Alii vero dixerunt, quod anima sibi ipsi est scientiae causa: non enim a sensibilibus scientiam accipit;... sed ipsa anima ad praesentiam sensibilium in se similitudinem sensibilium format ». — *c*) Quidam, auctore Kant, in idem incidentes, asseruerunt, conceptus nostros oriri ex formis subiectivis, quibus efformantur iudicia synthetica a priori, simul commiscentes conceptus simplices et compositos, qui tamen applicantur phaenomenis, quae sensus percellunt. — *d*) Alii autem eo usque procedunt, ut non modo conceptus sed ipsas quoque res a nobis produci existiment; et res eatenus esse, quatenus a nobis cognoscuntur: ii omnes *idealistae*, *subiectivistae*, vel *phaenomenalistae* nuncupari solent. — *e*) Quidam tandem, modernistae nempe, autumant, cognitionem rerum in nobis hauriri ex ipsa conscientia, seu ex eius exigentiis, ita ut illas res cognoscamus et admittere possimus uti reales, quas conscientia nostra exigit, ac theoriam immanentiae tuiti sunt.

Quoad 3am vero prosequitur S. Thomas: « prae omnibus praedictis positionibus rationabilior videtur sententia Philosophi, qui ponit scientiam mentis nostrae partim ab intrinseco esse, partim ab extrinseco, non solum a rebus a materia separatis, sed etiam ab ipsis sensibilibus. Cum enim mens nostra comparatur ad res sensibiles, quae sunt extra animam, invenitur se haberi ad eas in duplici habitudine. Uno modo ut actus ad potentiam, in quantum scilicet res, quae sunt extra animam, sunt intelligibiles in potentia. Ipsa vero mens est intelligibilis in actu; et secundum hoc ponitur in ea intellectus agens, qui faciat intelligibilia actu. Alio modo ut potentia ad actum, prout scilicet in mente nostra formae rerum determinatae sunt in potentia tan-

tum, quae in rebus extra animam sunt in actu; et secundum hoc ponitur in anima nostra intellectus possibilis, cuius est recipere formas a rebus sensibilibus abstractas, factas intelligibiles actu per lumen intellectus agentis ».

Vera sententia. — Hanc tertiam hypothesim ut unicam veram explicationem scholastici constanter tuiti sunt, et quamvis in nonnullis profundioribus explicationibus non omnes inter se conveniant, in praecipuis vero prorsus concordes sunt. Ipsius fundamentum illud est quod satis vindicavimus in thesibus XXVII-XXX. Sufficit igitur ipsum applicare ad facultatem intellectivam, ut plane intelligatur scholasticorum doctrina ad explicandam originem et propriam rationem cognitionis intellectivae. Ita vero facilis offertur refutatio oppositarum sententiarum, imo simul apparebit ratio deceptionis ac falsitatis earundem.

Thesis LII.

Intellectus noster intelligere nequit, nisi determinetur a rebus per speciem ab earum phantasmatibus abstractam.

270. **Status quaestionis.** — Vidimus iam, obiectum proprium intellectus nostri esse quidditatem abstractam a rebus sensibilibus, et insuper intellectum non posse intelligere, nisi intrinsece determinetur recipiendo materiam suae cognitionis a rebus extrinsecis, uti ostendimus in th. XXVII. Haec autem determinatio haberi nequit, nisi per actionem ipsius rei in facultatem, ex qua exurgit intrinseca determinatio, quae vocari solet *species impressa*, vi cuius intellectus capax fit transeundi de potentia ad actum cognitionis, quo apprehendit rem, secundum illam tantum perfectionem, secundum quam a re determinatus fuit, et quae constituit aliquam eius quidditatem. At quoniam haec perfectio seu quidditas in re, ac proinde in eius phantasmate, reperitur coniuncta cum aliis perfectionibus, et praesertim cum conditionibus materialibus, necesse est eam abstrahere ab istis. Ideo dicimus, debere intellectum determinari a rebus *per speciem ab earum phantasmatibus abstractam*, nimirum per actionem productam a quadam determinata perfectione abstracta ab earum conditionibus materialibus, quae cum ea reperiuntur in phantasmatibus.

Istae vero conditiones materiales nil aliud sunt nisi principia individuantia, ac notae illae individuales, contin-

gentes ac mutabiles, quibus individua inter se discriminantur.

Insuper recolendum est cum S. Th. « quod abstrahere contingit dupliciter uno modo per modum compositionis et divisionis, sicut cum intelligimus aliquid non esse in alio vel esse separatum ab eo. Alio modo per modum simplicitatis; sicut cum intelligimus unum, nihil considerando de alio » (1). Iamvero priori relicta, ad alteram quod spectat, patet ad eam efficiendam nullo modo expostulari, quod intellectus duos terminos cognoscat eosque simul comparet, terminum nempe qui abstrahitur, et illum a quo prior abstrahitur. Sed sufficit simplex apprehensio, qua unum apprehenditur, altero, qui eius rationem non ingreditur, seposito. Et hoc *manifeste apparet in sensibus*, ut ait ibid. S. Th. qui percipiunt unam perfectionem negligendo prorsus alias, quae non sunt de eius ratione. Ita oculus percipit colorem et non pomum, quia pomum non est de ratione coloris. Et ideo etiam quoad intellectum, « nihil prohibet colorem intelligi, nihil intelligendo de pomo. Similiter dico quod ea quae pertinent ad rationem speciei cuiuslibet rei materialis, puta lapidis, aut hominis, aut equi, possunt considerari sine principiis individualibus, quae non sunt de ratione speciei. Et hoc est abstrahere universale a particulari, vel speciem intelligibilem a phantasmatibus, *considerare* scilicet *naturam speciei absque consideratione individualium principiorum, quae per phantasmata repraesentantur* ».

Dicimus, hanc speciem potius abstrahi a phantasmatibus rerum, quam ab ipsis rebus, quia res nequeunt determinare intellectum, nisi mediante cognitione sensitiva, unde effatum illud: *nihil est in intellectu nisi prius fuerit in sensu*. Porro inter omnes sensus phantasia aptior est ad praebendam intellectui materiam cognitionis (n. 222).

271. **Prob. I p.** — quae iam probata fuit in thesi XXVII: iuvat tamen eam iterum confirmare, ut aditus praecludatur sententiae eorum, qui *ideas innatas* in nostro intellectu adstruendas esse contendunt.

(1) I p., q. 85, a. 1, ad 1. — Cfr. etiam quae exposuimus in log. crit. n. 69-73.

Et sane, illa facultas indiget aliquo exteriori obiecto, a quo intrinsece determinetur ad operandum quae in se non habet actu formam, secundum quam operatur. Atqui talis est intellectus in cognoscendo, quippe qui certe non habet actu in se formas omnium rerum, quas cognoscit et cognoscere potest. Et hoc ex eo etiam confirmatur, quod ii qui aliquo sensu carent, nullum conceptum habere valent circa obiectum proprium illius sensus. Ergo.

Ideo recte ait Arist.: « Intellectus quidem potentia est quodammodo ipsa intelligibilia, actu vero nihil est eorum, antequam intelligat. Debet autem ita se habere, ac si in tabula inesset, cui nihil esset actu inscriptum » (1). Ideo etiam a S. Th. intellectus comparatur quodammodo materiae primae: quia sicut ista recipere potest omnes formas physicas, ita ipse recipit omnes formas intentionales, ad quas est in potentia. Differentia tamen adest, quia materia recipit formas, quin active concurrat ad earum productionem: intellectus vero, cum sit forma spiritualis, active concurrit ad eas producendas (v. n. 163).

Prob. II p. — Obiectum proprium et adaequatum intellectus nostri est quidditas rei materialis. Atqui intellectus nequit ab hoc obiecto determinari, nisi per speciem a phantasmatibus abstractam. Ergo. — *Pr. m.* — Nam phantasma est aliquid concretum ac materiale seu conditionibus materialibus indutum, obiectum autem intellectus est quidditas epurata ab istis conditionibus. Atqui ad ipsum cognoscendum requiritur abstractio, qua apprehenditur sola illa quidditas sine istis conditionibus. Ergo.

Insuper id, quod determinat intellectum ad actum suum, debet esse in eodem ordine ac ipsa facultas, ut habeatur proportio inter actum et eius potentiam. Atqui hoc nequit esse ipsa res materialis, uti patet, neque ipsum phantasma. Nam, ut recte arguit Suarez (2), phantasma, quum sit quid materiale et in inferiori potentia existens, non potest esse

(1) Δυνάμει πώς ἐστί τὰ νοητά ὁ νοῦς, ἀλλ'ἐντελεχέια οὐδέν, πρίν ἂν νοῇ· δεῖ δ' οὕτως ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχέια γεγράμμενον (*De An.*, l. 3, c. 4, n. 11).

(2) *De Anima*, l. III, c. 1, n. 9.

sufficiens ad determinandam operationem spiritualem potentiae superioris... Praeterea intellectus est potentia alterius ordinis ab omni potentia sensitiva: ergo in proprio ordine habet omnia requisita ad actum cognitionis: haec autem sunt potentia et obiectum illi unitum: ergo in proprio ordine spirituali hoc habet: illa autem unio fit per species: ergo habet proprias species a sensibilibus distinctas ».

Scite pariter argumentatur ad rem S. Thomas (1): « Intellectus humanus medio modo se habet (inter sensum et intellectum divinum): non enim est actus alicuius organi, sed tamen est quaedam virtus animae; quae est forma corporis, ut ex supra dictis patet (qu. XXVI, art. 1). Et ideo proprium eius est cognoscere formam in materia quidem corporali individualiter existentem, non tamen prout est in tali materia. Cognoscere vero id quod est in materia individuali, non prout est in tali materia, est abstrahere formam a materia individuali, quam repraesentant phantasmata. Et ideo necesse est dicere, quod intellectus noster intelligit materialia abstrahendo a phantasmatibus: et per materialia sic considerata in immaterialium aliqualem cognitionem devenimus ».

272. **Obiicies**: I. Obiectum intellectus humani est quidditas rei materialis. Atqui ipsa potest cognosci, quin requiratur ulla abstractio a materialibus conditionibus. Ergo. — *R. D. M.:*... spectata secundum id quod intrinsece constituit rem, *c.;* spectata ut simplex immutativum intellectus, *n.* — *Contrad. m.:* ut cognoscatur tanquam simplex immutativum, *c.;* ut cognoscatur intrinseca ratio rei, *subd.;* non requiritur abstractio a materia communi, *c.;* neque a conditionibus materialibus individualibus, *n.* — Cum enim intellectus noster pertingere debeat ad intrinsecas rerum naturas apprehendendas, non sufficit percipere suum obiectum ut aliquod immutativum sui. Sed debet in eo introspicere perfectiones illas, quae has naturas constituunt, quaeque ex formis fluunt. Quum autem conditiones materiales individuantes potius ex materia fluant, et perfectiones exhibeant quae in rebus sunt mutabiles et contingentes, ac proinde non pertineant ad intrinsecam rei naturam, necesse est, ab istis abstrahere.

Abstrahendum tamen non est a materia communi, ut dilucide explicat S. Thomas (2). « In mente accipiente scientiam a

(1) *S. Th.*, I p., q. 85, a. 1.
(2) *De Verit.*, q. X, a. 4.

rebus formae existunt per quandam actionem rerum in animam; omnis actio est per formam; unde formae, quae sunt in mente nostra, primo et principaliter respiciunt res extra animam existentes, quantum ad formas earum. Quarum est duplex modus: quaedam enim sunt, quae nullam sibi materiam determinant, ut linea, superficies et huiusmodi; quaedam autem determinant sibi specialem materiam, sicut omnes formae naturales. Ex cognitione autem formarum, quae nullam sibi materiam determinant, non relinquitur aliqua cognitio de materia; sed ex cognitione formarum, quae determinant sibi materiam, cognoscitur etiam ipsa materia aliquo modo, scilicet secundum habitudinem, quam habet ad formam ».

II. Intellectus cognoscit res naturales. Atqui istae non sunt abstractae a conditionibus materialibus. Ergo. — *R. D. M.;...* cognoscendo earum intrinsecas perfectiones specificas essentiales, *c.;* cognoscendo intrinsecam perfectionem individualem, *n.* — *Contrad. m.;...* a conditionibus materialibus specificis, *c.;* etiam individuantibus, *subd.;* si spectantur prout sunt in se, *c.;* si prout apprehenduntur ab intellectu, *n.* — Ad rem S. Th. (1). « Intellectus cognoscit abstrahendo a materia particulari et conditionibus eius, sicut ab hac carne et his ossibus; non tamen oportet quod abstrahat a materia universali; unde potest considerare formam naturalem in carnibus et ossibus, sed non in his».

III. Phantasma, cum sit in ordine intentionali, est immateriale. Atqui hoc potest immediate determinare intellectum, quin alia species abstrahatur. Ergo. — *R. D. M.;...* est immateriale secundum quid, inhaerens facultati organicae, *c.;* immateriale simpliciter independens ab hac facultate, *n.* — *Contrad. m.* — Phantasma enim est in phantasia organo alligata ac proinde semper concretum et una cum conditionibus materialibus. Ergo nequit determinare intellectum, nisi praecedat abstractio alicuius determinatae quidditatis.

IV. Phantasia et intellectus radicantur in eadem anima, quae est verum principium cognitionis. Atqui tunc anima, determinata a cognitione phantasiae, iam est coniuncta cum obiecto, ac determinata ad ponendum actum cognitionis intellectivae. Ergo. — *R. D.* 1am *p. M.;...* uti potentiae distinctae ac diversi ordinis, *c.;* uti eadem potentia eiusdem ordinis, *n.* — *D.* 2am *p.;* est principium remotum cognitionis, *c.;* etiam proximum, *n.* — *Contrad. m.;...* si anima esset principium proximum operationis, et una eademque facultas essent intellectus et phantasia, *c.;* secus, *n.*

V. Qui intelligit rem alio modo ac in se est, falso intelligit. Atqui qui intelligit per abstractionem per modum simplicitatis, rem alio modo apprehendit. Ergo. — *R. D. M.;...* si ille alius modus affirmatur de re, *c.;* si non affirmatur, *n.* — *Contrad. m.;...* ita ut ille alius modus non affirmetur de re, *c.;* ita ut affirmetur,

(1) Ibidem ad 6m.

subd.; si esset abstractio per modum divisionis, *c.;* si est abstractio per modum simplicitatis, *n.* — Quia in ista intellectus non affirmat rem esse abstractam, uti advertimus, ac proinde nulla falsitas intercedere potest.

VI. Intellectus certe potest intelligere materiam. Ergo potest intelligere etiam principia individualia, quae sunt a materia, ideoque non requiritur abstractio. — *R. D. A.;...* directe et per se *n.;* indirecte, inquantum sustentat formas, *c.* — *D. C.;...* si eam directe cognosceret, *c.;* si indirecte, *n.* — Res a nobis cognoscuntur inquantum agunt. Atqui materia non agit, sed sustentat formas, quae agunt. Ergo ipsa cognoscitur ratione formae. Forma autem agit secundum rationem specificam quae est semper eadem et constans, ostendens determinatam et propriam cuiusque rei quidditatem. Ergo (1).

VII. Phantasmata, ut ait Aristotiles, se habent ad animam intellectivam sicut colores ad visum. Atqui visio non fit per abstractionem specierum a coloribus, sed per hoc quod colores imprimunt in visum. Ergo. — *R. D. M.;...* ita ut phantasmata habeant in intellectu et in phantasia eundem essendi modum, sicut colores in visu et in rebus, *n.;* ita ut habeant diversum essendi modum, *c.* — *C. m.* — Et explicationem accipe a S. Thoma (2): « colores habent eundem modum existendi, prout sunt in materia corporali individuali sicut in potentia visiva, et ideo possunt imprimere suam similitudinem in visum. Sed phantasmata, cum sint similitudines individuorum, et existant in organis corporeis, non habent eundem modum existendi, quem habet intellectus humanus, et ideo non possunt sua virtute imprimere in intellectum possibilem ». Ac proinde requiritur abstractio.

VIII. Abstractio iam supponit cognitionem duorum terminorum. Atqui in simplici apprehensione cognoscitur unus terminus. Ergo. — *R. D. M.* Abstractio per modum divisionis... *c.;* per modum simplicitatis, *n.;* vel si placet, *subd.;* ita ut uterque ab intellectu cognoscatur, *n.;* unus ab intellectu alter a sensu, *c.* — *C. m.*

Ex iis, quae explicavimus, necessitas fluit investigandi modum, quo intellectus valeat a phantasmatibus speciem abstrahere, qua determinetur ad actum cognitionis.

Profecto ex solutione huius quaestionis pendet fere ex integro tota quaestio de origine conceptuum, imo pro quibusdam philosophis etiam quaestio de obiectivo eorundem valore. Et iure dici potest, maximum fuisse Aristotelis meritum in eius solutione proponenda per *intellectum agentem*. Cuius doctrinam, clare ac profunde illustratam a S. Thoma,

(1) Cfr. S. *Th.*, I p. q. 85, a. 1 ad 2.
(2) Ibid. ad 3.

Scholastici omnes amplexati sunt, ac nos fideliter sequimur iuxta ipsissimam Aristotelis ac S. Th. mentem.

Thesis LIII.

Phantasma, quum sit solum in potentia intelligibile, nequit determinare intellectum, nisi agnoscatur in anima vis quaedam spiritualis, intellectus agens rite nuncupata, quae ipsum reddat intelligibile actu.

273. **Status quaestionis.** — « Inductus est Aristoteles, ut ait S. Th. (1), ad ponendum intellectum agentem, ad excludendam opinionem Platonis, qui posuit, quidditates rerum sensibilium esse a materia separatas et intelligibiles actu ». Alexander Aphrodisiensis putavit, hunc intellectum esse a substantia hominis diversum, qui forte esset ipsa intelligentia divina (2). Avicenna asseruit, esse intelligentiam quandam separatam, et « voluit, quod sicut formae sensibiles non acquiruntur in materia sensibili, nisi ex influentia intelligentiae agentis, ita et formae intelligibiles humanis mentibus non imprimuntur, nisi ex intelligentia agente, quae non est pars animae sed substantia separata ». (3).

Inde Averroes, quem alii secuti sunt, male interpretantes Aristotelem, vocantem *intellectum separatum*, putavit, intellectum possibilem et agentes esse duas substantias separatas. « Quod quidem omnino impossibile est, uti recte ait S. Th. (4).. Unde ipse vocat Averrhoes « non tam peripateticum, quam philosophiae peripateticae depravatorem » (5). Ideo eorum opinio communiter postea reiecta fuit.

274. — **Munera intellectus agentis.** - Ad naturam intellectus agentis dignoscendam praestat investigare eius operationes, seu *munera*, ut aiunt. Rem clare explicat Suarez (6). « Intellectus agens nullam aliam actionem habet, quam *speciei intelligibilis effectionem diversis nominibus significatam*. Ad probationem est notandum, intellectui agenti triplicem tribui operationem: *primam*, illuminare phantasmata: *secundam*, efficere res actu intelligibiles; *tertiam* abstrahere species a phantasmatibus: solet etiam *quarta* tribui, illustrare scilicet prima principia:... quarum meminit S. Th. *(c. C.*, L. II, c. 77)... Easdem operationes agentis

(1) *De Anima*, l. III, lect. 10.
(2) Brentano, *Psych. des Arist.*, p. 2.
(3) S. Thomas, *De Verit.*, q. X, a. VI.
(4) *De Anima*, l. III, lect. 7.
(5) Opusc. 15, *De Unitate intellectus contra Averrhoistas.*
(6) *De Anima*, L. IV, c. 2, n. 14.

intellectus omnes Thomistae agnoscunt, et fere Doctores ceteri, neque ego inficior. Esse autem tres distinctas non existimo, sed unam et eandem diversimode nominatam ». Praestat ergo singulas breviter declarare.

Quid illuminatio. — Et primo adverte cum eodem Suarezio ibid., quod *illuminatio phantasmatis non est actio circa ipsum, sed in ordine ad intellectum possibilem*. Videlicet phantasma non illuminatur in se, quasi in se recipiens aliquam formam, a qua afficiatur ut lucidius evadat, hoc enim minime admitti potest, quum nulla facultas possit ullo modo immutare actum in se alterius facultatis, praesertim si est diversi ordinis. Sed virtute intellectus agentis phantasma evadit *aptum* ad determinandum intellectum possibilem. Haec aptitudo merito vocatur *illuminatio*: « quia per illam apparet intellectui id, quod in phantasmate repraesentatur » et prius erat veluti obscuratum.

Quomodo fit res actu intelligibilis. — Res dupliciter esse potest intelligibilis: *potentia*, et *actu*. — *Potentia* quidem, quum secundum actualem dispositionem, quam habet, non potest actu immutare seu determinare intellectum ad actum, habet tamen capacitatem ad recipiendam hanc dispositionem. — *Actu* vero, quum actu habet huiusmodi requisitam dispositionem. Iamvero quum phantasma illuminatur, aptum evadit ad determinandum intellectum, ideoque habet actu dispositionem requisitam ad hoc. Ac proinde per illuminationem res fit actu intelligibilis.

Quid abstractio. — Et primo adverte cum eodem Suarezio ibid. (n. 18) « Speciem non dici abstrahibilem vel abstrahi a phantasmatibus, quasi ipsa species prius esset immixta phantasmatibus, unde postea separatur ab intellectu agente, ac transferatur in possibilem: hoc enim puerile esset cogitare (imo intrinsece repugnans)... Intellectum abstrahere speciem, nihil aliud est, quam virtute sua efficere speciem spiritualem repraesentantem eandem naturam, quam phantasma repraesentat, modo tamen quodam spirituali: illaque elevatio a materiali repraesentatione phantasmatis ad spiritualem repraesentationem speciei intelligibilis dicitur abstractio ». — Praeterea recolendum est, quod haec

abstractio intentionalis dupliciter contingere potest: *formaliter* et *efficienter*. — *Formaliter*, quando facultas, quae determinatur ad cognoscendum, seu quae est *formaliter cognoscitiva*, considerat unam perfectionem, altera relicta. *Efficienter*, quando virtus quaedam activa elicit, ut obiectum possit determinare facultatem secundum huiusmodi perfectionem et ita influere in facultatem cognoscitivam, ut ea determinetur ab hac tantum perfectione, abstracta a ceteris.

Porro evidens est, quod intellectus agens nonnisi efficienter abstrahit species a phantasmatibus. Haec autem abstractio iterum est consequens illuminationem, quae reddit phantasma aptum ad determinandum intellectum possibilem, secundum aliquam determinatam perfectionem.

Tandem *illustratio primorum principiorum* non est nisi naturalis consequentia eiusdem illuminationis et abstractionis: ut clare ait S. Th. (1). « Cognitio enim principiorum a sensibilibus accipitur... A sensibilibus autem non possunt intelligibilia accipi, nisi per abstractionem intellectus agentis ». Hoc etiam sensu S. Thom. loquitur de *confortatione*, quam intellectus agens praebet intellectui possibili (2).

Abstractio et illuminatio simul comparantur. — Haec omnia munera nullo modo exercentur per diversas operationes. Et revera ipse S. Thom., ut ostendat, cur requiratur abstractio, explicat etiam modum, quo ipsa peragitur: quatenus « virtute intellectus agentis, *ipse ait* (3), resultat quaedam similitudo in intellectu possibili ex conversione intellectus agentis supra phantasmata, quae quidem est repraesentativa eorum, quorum sunt phantasmata, solum quantum ad naturam speciei. Et per hunc modum dicitur abstrahi species intelligibilis a phantasmatibus; non quod aliqua eadem numero forma, quae prius fuit in phantasmatibus, postmodum fiat in intellectu possibili, ad modum quo corpus accipitur ab uno loco, et transfertur ad alterum ».

Et deinde adhuc clarius advertit: « quod phantasmata et illuminantur ab intellectu agente, et iterum ab eis per virtutem intellectus agentis species intelligibiles abstrahun-

(1) *De Anima*, a. 4, ad 6m.
(2) Cfr. *De Verit.*, q. IX, a. 1; et q. X, a. 13.
(3) *S. Th.*, I p., q. 85, a. 1, ad 3 et da 4.

tur. Illuminantur quidem, quia sicut pars sensitiva ex coniunctione ad intellectum efficitur virtuosior, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, ut ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur. Abstrahit autem intellectus agens species intelligibiles a phantasmatibus, inquantum per virtutem intellectus agentis accipere possumus in nostra consideratione naturas specierum sine individualibus conditionibus, secundum quarum similitudines intellectus possibilis informatur ».

Ergo per illud idem, quo intellectus agens illuminat phantasma, reddit ipsum actu intelligibile, et efficienter abstrahit species intelligibiles. Inferius conabimur aliquid enucleatius de hac abstractione explicare; modo hoc unum in tuto ponere contendimus, scilicet *agnoscenda est in anima intellectiva virtus quaedam spiritualis, quae efficiat ut phantasma sit actu intelligibile, seu possit actu determinare intellectum ad suum actum eliciendum.*

Adversarii. — Existentiam intellectus agentis denegant ii omnes, qui non admittunt, quae in thesi antecedenti propugnavimus, uti sunt materialistae, sensistae, idealistae assertores idearum innatarum, ontologi, et traditionalistae, de quibus inferius sermo erit. Alii autem extare videntur, qui ipsum denegant, potius tamquam facultatem realiter distinctam ab intellectu possibili, ac proinde proprie dici nequeunt in hac thesi adversarii nostri.

275. **Prob. I p.** — *Phantasma est tantum potentia intelligibile.* — Obiectum proprium intellectus nostri et actu intelligibile constituitur per quidditates rerum sensibilium, abstractas a conditionibus materialibus. Atqui phantasma refert eas simul cum conditionibus materialibus. Ergo non est actu intelligibile sed tantum potentia (1).

Praeterea, ut recte arguit P. Tongiorgi (2): « 1. Licet

(1) Ad rem S. Th. (*S. Th.*, I p., q. 79, a. 3): « Formae in materia existentes (seu naturae rerum sensibilium) non sunt intelligibiles actu... Nihil autem reducitur de potentia in actum nisi per aliquod ens actu, sicut sensus fit in actu per sensibile in actu. Oportet igitur ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quae faciat intelligibilia in actu per abstractionem specierum a conditionibus materialibus, et haec est necessitas ponendi intellectum agentem ». Cfr. *De Spir. cr.*, a. 9, *De Anima*, a. 4. Et Suarez, *de Anima*, L. IV, c. 2, n.3.

(2) *Psych.*, l. III, c. VI, n. 366.

sentiendi facultas atque imaginatio in eadem anima, in qua est intellectus, radicem habeant, nihilominus sensilis repraesentatio et phantasma non sunt in anima solum, sed in coniuncto. Hinc de materiali natura adhuc participant, ac proinde potentiam passivam intellectus, quae prorsus immaterialis est, immutare non possunt. — 2. Obiectum quoque in materiali organo repraesentatum, aptum adhuc non est ut inorganicae potentiae intime coniungatur; id quod ad intellectionem requiritur. — 3. Obiectum corporum, prout in sensu et phantasia continetur, non est proprium intellectus obiectum, sensus enim et phantasia non percipiunt corporum essentiam, quae est proprium intellectus obiectum. Omnis autem potentia, quae determinatione indiget, a proprio obiecto determinanda est. — Ergo per sensationes et phantasmata obiecta materialia aliquo modo sunt perceptivae intellectus virtuti admota, quia anima in qua est intellectus iam iis afficitur; sed non sunt adhuc illi ita coniuncta, ut necesse est, ad ipsum determinandum ».

Prob. II p. « *Requiritur intellectus agens.* — Obiectum actu intelligibile est illud, quod potest actu determinare intellectum ad cognoscendum. Atqui ad reddendum phantasma hoc modo intelligibile requiritur et sufficit intellectus agens. Ergo — *Pr. m.* — *Requiritur*: Nam phantasma est potentia tantum intelligibile. Atqui ipsum nequit determinare intellectum nisi evadat actu intelligibile, uti patet. Ergo requiritur vis quaedam spiritualis, quae hoc efficiat. — *Sufficit*: Nam intellectus agens, illuminando phantasma, reddit ipsum capax actu determinandi intellectum possibilem « inquantum, ut ait S. Th. (1), per virtutem intellectus agentis accipere possumus in nostra consideratione naturas specierum sine individualibus conditionibus ». Atqui hoc sufficit ad reddendum obiectum intelligibile actu. Ergo.

Quare, uti liquet, abstractio effectiva specierum est naturalis ac necessaria consequentia illuminationis, eodem modo ac sol illuminando corpora abstrahit colores, quos reddit actu visibiles. Hoc punctum potissimum est in hac quaestione rite solvenda, uti clarius deinceps patebit.

(1) *S. Th.*, I p., q. 85, a. 1 ad 4.

Confirmatur cum Suarez, qui simul ostendit, cur illa virtus spiritualis vocetur intellectus agens (1). « Est in parte intellectiva animae nostrae duplex productio, nempe speciei et actus, duplexque receptio correspondens. Utraque vero debet fieri a spirituali virtute, et in potentia spirituali, ut ex dictis patet. Est autem potentia eadem receptiva speciei productivaque actus intelligendi, quae intellectus possibilis vocatur, quia ex natura sua est potentia, ut speciebus rerum omnium informetur et per eas intelligat. At vero virtus productiva specierum, quia recipiendi munus non habet sed tantum agendi, ideo ab actione denominatur agens; diciturque intellectus, non quia intelligat, cum solum producat species, quae productio intellectio non est (obiectum sensibile species quoque producit, nec tamen sentit) : sed quia res intelligibiles reddit. Hinc porro duae colliguntur differentiae inter has potentias. Prima, quod altera sit cognoscitiva, altera minime. Secunda, quod actio intellectus possibilis vitalis sit atque immanens, cum sit actio cognoscendi, at intellectus agentis operatio ex se et ex propriis non item : productio quippe speciei ex suo genere posset a re non vivente fieri, ut proxime de obiecto sensibili diximus. Actio ergo intellectus possibilis vindicat ex propriis esse a principio intrinseco activo, non vero intellectus agentis actio, et hinc est quod actio intellectus possibilis de se sit immanens, actio vero agentis ex modo suo transiens esse queat. Constat ergo ratio et diversitas utriusque potentiae saltem quantum ad quid nominis ».

Quoad solutionem difficultatum prae oculis habendum est, nonnullas potius procedere ex eo, quod non possit rite explicari propria actio intellectus agentis; aliae autem eo spectant, ut denegent realem distinctionem ipsius ab intellectu possibili. Iuvat igitur statim aliquid exponere ad explicandam, *quoad eius fieri potest*, huiusmodi actionem intellectus agentis.

Thesis LIV.

Intellectus agens reddit phantasma actu intelligibile, quatenus ipsum ita illuminat, ut reddat aptum ad determinandum intellectum possibilem, quin ullo modo in se immutet.

276. **Status quaestionis.** — Circa huiusmodi actionem intellectus agentis multae exortae sunt sententiae inter scholasticos : — *a*) quidam volunt eam fieri per formam aliquam seu lumen inhaerens phantasmati, eamque vocant *illuminationem formalem;* — *b*) alii et praesertim Caietanus *obiecti-*

(1) *De Anima*, l. IV, c. 8, n. 1, 2

vam tantum illuminationem adstruunt. « Distinguitur autem, ut ait Ioannes a S. Thoma, formalis illuminatio ab obiectiva in hoc, quod formalis fit per inhaerentiam lucis in subiecto illuminato, obiectiva autem per apparentiam obiecti ex assistentia extrinseca luminis; sicut in opinione, quae dicit lucem non inhaerere in colorato sed in medio, ipse aër illuminatur formaliter i. e. inhaerenter, color autem illuminatur obiective » (1). — *c*) Ferrariensis *radicalem* dumtaxat agnoscit, quatenus phantasia *radicatur* in anima spirituali (2). — *d*) Quidam vero, uti Suarez (3), denegant omnem actionem in phantasmate, sed putant, intellectum agentem uti eodem tamquam exemplari ad imprimendum in intellectu possibili speciem. — *e*) Alii tandem « docent, uti refert P. Urraburu (4), phantasmata illuminari ab eo *effective* seu ratione effectus ex illis expressi, nimirum ratione speciei intelligibilis, in qua solum redditur intelligibile in actu, quod in phantasmate erat intelligibile in potentia... Quemadmodum enim coloratum obiectum lumine redditur habile ad producendam speciem sensibilem, ita phantasmata ex coniunctione cum intellectu agente ad intelligibilis speciei productionem concurrere queunt. Ita sentiunt quidam nobiles Thomistae et Nostrates communissime et Scotistae. Est tamen nonnihil hac in re discriminis inter Thomistas quartae huius sententiae patronos et nostros auctores ». Illi enim, iuxta principia, de concursu causae principalis cum instrumentali, quae innuimus in *Metaph. gener.*, n. 290, tuentur in ipso phantasmate recipi entitatem aliquam fluentem seu motionem, et ita « phantasma ex illa motione et elevatione intellectus agentis producit speciem repraesentantem modo immateriali, et sine conditionibus materiae quidditatem » (5)

(1) *Phil. natur.*, III p., q. X, a. 2 - *secunda difficultas*.

(2) In l. II *C. Gentes*, c. 77; ipse innititur in verbis S. Th. ex *S. Th.*, I p., q. 85, a. 1 ad 4 superius citatis.

(3) « Intellectus agens, ipse ait, nunquam efficit speciem, nisi a phantasiae cognitione determinetur. — Praedicta determinatio non fit per influxum aliquem ipsius phantasmatis, sed materiam et quasi exemplar intellectui agenti praebendo, ex vi unionis, quam habent in eadem anima ». *De Anima*, l. IV, c. 2, n. 11, 12.

(4) *Psych.*, l. 2, d. 2, c. 3, n. 147; confer apud eundem auctorem nomina eorum, qui diversas istas sententias tuentur.

(5) Ita Ioannes a S. Th., ibid.

rerum. Nostri auctores vero, quoniam reiiciunt hanc entitatem fluentem a causa principali in instrumento, eam pariter denegant in phantasmate. « Auctores igitur, ut ait Suarez, mire discrepant inter se » : et tanta est opinionum oppositio, ut merito dici possit, vix ullam haberi evidentiam.

Vera sententia. — Nihilominus verior nobis sententia, iuxta S. Thomae doctrinam, ea esse videtur, quam in thesi proposuimus. Iuxta eam igitur dicendum est, intellectum agentem reddere phantasma intelligibile actu, quatenus ipsum ita illuminat in ordine ad intellectum possibilem, ut valeat eum determinare ad suum actum, et hoc sensu efficienter abstrahit speciem intelligibilem, quae intrinsece determinat intellectum ad intelligendum. Haec autem illuminatio, quae vocatur etiam *elevatio*, quum fiat in ordine ad intellectum possibilem, nullam importat immutationem in ipso phantasmate, neque ullam entitatem fluentem, quam vidimus in *Metaph. gener.* non esse adstruendam in concursu causae superioris cum inferiori (1).

277. **Prob. I p.** — Tota ratio admittendi intellectum agentem in eo est, quod phantasmata de se non sunt apta ad determinandum intellectum possibilem ad cognitionem proprii obiecti, seu non sunt intelligibilia actu. Atqui posita sola illuminatione, iam intellectus agens reddit phantasma aptum ad actuandum intellectum, et hoc sensu efficienter abstrahit speciem intelligibilem. Ergo. — *Pr. m.* — Ut ait idem S. Th. eodem loco : Phantasmata illuminantur quidem, quia sicut pars sensitiva ex coniunctione ad intellectum efficitur virtuosior, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis reddantur habilia, ut ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur ». Atqui hoc plane sufficit ut phantasma reddatur actu intelligibile. Ergo phantasma, posita illuminatione intellectus agentis, fit habile ad intentiones intelligibiles in intellectu possibili determinandas.

(1) Quare patet sententiam nostram revera convenire cum sententia thomistarum, quam clare exponit Ioannes a S. Thoma. Discrimen autem, quod adest, repetendum est ex alia quaestione, de propria causalitate nempe causae instrumentalis, quam innuimus in Met. gen. n. 290, et fusius agitamus in theol. naturali.

Insuper nomen lucis, ut ait S. Thomas (1) « primo quidem est institutum ad significandum id quod facit manifestationem in sensu visus; postmodum autem extensum est ad significandum omne illud quod facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem ». Ergo cum dicitur intellectus agens illuminare phantasma, perinde est, ac facere in eo manifestationem secundum cognitionem intellectivam. Atqui hoc significat reddere ipsum intelligibile actu, ut valeat determinare intellectum ad actum cognitionis; inquantum « virtute intellectus agentis resultat quaedam similitudo in intellectu possibili ex conversione intellectus agentis supra phantasmata, quae quidem est repraesentativa eorum, quorum sunt phantasmata, solum quantum ad naturam speciei. Et per hunc modum dicitur abstrahi species intelligibilis a phantasmate » (2). Ergo.

Prob. II p. — Phantasma, ut tale, nihil aliud est nisi actus vitalis et immanens phantasiae. Atqui repugnat, quod actus vitalis et immanens alicuius facultatis immutari possit ab alia facultate extrinseca. Tota enim ratio alicuius actus vitalis stat in ipso *fieri a facultate, in qua manet;* sed repugnat quod actus, inquantum fit ab una facultate, immutetur ab alia, quia tunc est actus alterius. Ergo. — Praeterea illa immutatio eo tenderet, ut redderet phantasma quodammodo immateriale. Atqui repugnat phantasma, quod est actus facultatis organicae, evadere aliqua ratione immateriale. Ergo huiusmodi actio repugnat. Nec iuvat instare, quod per illam actionem phantasma fieret immateriale in ordine ad aliud, nempe ad intellectum possibilem. Nam nihil esse potest immateriale in ordine ad aliud, nisi tale sit in se, quia nemo dat quod non habet; sed phantasma nequit in se fieri immateriale. Ergo.

Adhuc ista illuminatio desumitur per analogiam seu per quandam similitudinem cum effectu, quem lumen materiale producit in corpore colorato, reddendo in eo colores actu visibiles, iuxta principia, quae admittebantur a scholasticis et praesertim a S. Th. Atqui S. Th. una cum Aristot. aiebat:

(1) *S. Th.*, I. p., q. 67, a. 1.
(2) *S. Th.*, I p., q. 85, a. 1 ad 3.

lumen non esse corpus, et illuminationem non esse motum localem, sed fieri in instanti; item *non esse substantiam* vel *intentionem*, sed esse **quandam activam qualitatem consequentem per se corpus lucens** 1). Et haec qualitas non agit per motum vel per transmutationem materiae, sicut calor, sed per solam sui praesentiam. « Illuminatio, ait ibid., non fit per aliquam transmutationem materiae ad susceptionem formae substantialis, ut fiat quasi inchoatio aliqua formae. Et ideo lumen non remanet nisi ad praesentiam agentis ». Ergo idem dicendum de illuminatione intellectus agentis (2).

Si autem inquirimus, quomodo huiusmodi lux et color agunt in sensus nostros, iterum ipsi negant cum S. Th. omnem physicam immutationem, et nonnisi spiritualem admittunt, « secundum quod, ut ait S. Th., forma immutantis recipitur in immutato secundum esse spirituale, ut forma coloris in pupilla, quae non fit per hoc colorata » (3).

Quare ita licet ratiocinari. Intellectus agens est lumen, quod reddit phantasmata intelligibilia actu, sicut lux naturalis corporea reddit colores visibiles actu. Atqui iuxta mentem S. Th. ac Scholasticorum, lux non reddit colores visibiles per aliquam physicam actionem, qua eos immutet et ponat in actu, sed quatenus per sui praesentiam aufert illam obscuritatem, quae in eis adest: et ita habetur sola immutatio spiritualis in oculo. Ergo etiam intellectus agens reddit phantasmata intelligibilia actu, non per aliquam actionem immutativam, sed quatenus per sui praesentiam aufert illam obscuritatem, quae in eis adest ratione principiorum individuantium. Atqui hoc idem est ac dicere quod intellectus agens ita illuminat phantasma, ut reddat aptum ad determinandum intellectum possibilem, quin ullo modo ipsum in se immutet. Ergo (4).

(1) I p., q. 67, a. II; cf. etiam totum art. I; item comm. in l. II *de Anima*, l. XV, ubi eandem doctrinam Aristot. exponit.

(2) Cfr. etiam l. II *de Anima*, l. XIV: praesertim quae habet versus finem.

(3) I p., q. 78, a. III.

(4) Ergo nunc habes quid respondendum sit cl. Bernies qui in *Revue de Philosophie*, 1. Mars 1904, p. 292, difficultatem movet praecise ex hoc capite, quod nempe intellectus agens comparetur luci. Primo ipse exponit quid veteres per lumen intelligebant: « Tous les grands scolastiques ont eu recours à l'ex-

Tandem, ut directe arguamus contra quosdam Thomistas, adstruentes entitatem fluentem, qua phantasma elevetur : dicimus 1° certum esse S. Thomam nunquam agnovisse hanc entitatem in phantasmate, uti liquet ex testimoniis allatis. — 2° Unica ratio, quam ipsi afferunt, ex eo desumitur, quod instrumentum nequit elevari ad producendum effectum superiorem, nisi recipiat aliquam motionem. Atqui, iam vidimus in *Metaph. gener.*, hanc rationem nullo modo suadere necessitatem illius entitatis. Ergo. — 3° Denique intelligi nequit, quomodo intellectus agens possit ponere in phantasmate hanc entitatem fluentem seu motionem, quin ipsum immutet. Atqui hoc repugnat. Ergo (1).

278. **Corollarium.** — *Ergo merito dici potest quod intellectus agens est causa principalis et phantasma est causa instrumentalis speciei impressae.* — Nam intellectus et

plication par la lumière. D'après eux, l'intellect actif serait une manière de flambeau, en vedette aux avenues de la pensée, pour éclairer les réalités extérieures en voie de pénétrer dans l'intelligence par l'imagination. Cet éclairage rendrait intellectuellement perceptibles les qualités essentielles que leur matérialité maintenait dans l'ombre. L'intellect agent accuserait dans l'image concrète les contours de l'essence, exactement comme la lumière solaire accuse dans les objets extérieurs les arêtes et les couleurs. Il faut renoncer à cette métaphore... ». Et tunc prosequitur ostendendo, quod iuxta theoriam recentiorem lux ea est, quae producit colores, quippe qui in rebus ut tales non existunt; ergo si intellectus est lux, ipse deberet producere quidditates, quas intelligimus, et ita incideremus in purum subiectivismum.

Sed nemo est, qui non videat magnam aequivocationem in hoc argumento. Quando enim S. Th. ac Scholastici docent intellectum esse lumen, nullo modo dicunt esse ipsum idem lumen physicum seu naturale, sed solum asserunt esse simile huic. Nunc autem ad dignoscendum, in quo sita sit talis similitudo, oportet videre quid ipsi scholastici de luce naturali opinabantur. Utrum autem haec opinio fuerit vera vel falsa, nihil facit ad rem. Ac proinde si forte illa opinio postea falsa inveniatur, et nova in medium proferatur, non est comparandus intellectus agens cum luce secundum hanc novam opinionem, uti facit Bernies. Sed potius dicendum est quod illa comparatio amplius afferri nequit, et retinenda est tantum doctrina de intellectu agente, explicata secundum illam comparationem. Ac proinde tota eius argumentatio contra illuminationem intellectus agentis nihil omnino proficit.

(1) Hic iterum patet: 1° discrimen inter nos et hos thomistas non adesse in hac quaestione, sed in alia generaliori, utrum nempe causalitas instrumentalis phantasmatis explicanda sit per actionem praeviam intellectus agentis in phantasma, an per influxum immediatum tum phantasmatis tum intellectus agentis in intellectum possibilem. Iamvero nos hanc alteram amplectimur explicationem, ob rationes, quas innuimus in Metaph. gen. n. 289-291; et fusius exponuntur in theol. nat. in th. XL, et in Schol. n. 278, 279. Unde dissensus repetendus

phantasma concurrunt ad illam producendam, eodem modo ac lux et color producunt eam in oculo. Atqui lux merito dicitur causa principalis, quia ipsa de se et primo est visibilis, et color causa instrumentalis, quia secundario et dependenter ab ipsa est visibilis. Ita pariter ait S. Th.: « se habent phantasmata ut agens instrumentale et secundarium: intellectus vero agens ut agens principale et primum: et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem utriusque, et non secundum conditionem alterius tantum. Et ideo intellectus possibilis recipit formas ut intelligibiles actu, ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum » (1). Ergo ratio causae principalis et instrumentalis reducitur ad hoc, quod intellectus sit illuminans, et phantasma illuminatum.

Et ita solvitur instantia Suarezii aientis (2), « quod instrumentum inferioris ordinis non potest naturaliter attingere effectum superioris ordinis ». Nam primo instrumentum una cum alia causa superiori potest certe attingere effectum superiorem. Et praeterea quoniam vidimus, phantasma illuminatum posse determinare intellectum ad actum suum, potest etiam producere illum effectum.

II. *Ergo tota actio intellectus agentis plane reduci potest ad illuminationem*, quacumque ratione ipsa vocetur, dummodo ea ita explicetur: 1° quod nullo modo immutet

est potius ex diversa ratione explicandi causalitatem instrumentalem, quam ex praesenti quaestione. Imo forte dici potest quod praesens quaestio magis confirmat nostram sententiam quae negat entitatem fluentem in instrumento: uti clarius explicabitur inferius in solutione ultimae obiectionis n. 280.

(1) *De Veritate*, q. X, a. 6, ad 7 cfr. etiam *De Anima*, q. un., a. V, ad 6 et 7, ubi actionem intellectus et phantasmatis non explicat nisi per illuminationem. Et iterum adverte, hic S. Th. ne a longe quidem innuere entitatem illam fluentem vel motionem, quae recipienda esset in phantasmate tamquam instrumento, ut evaderet actu intelligibile. Imo in resp. ad 8 explicat hanc rationem instrumenti praecise cum ratione luminis, uti nos fecimus. Ait enim: « quamvis intellectus possibilis sit simpliciter nobilior quam phantasma; tamen secundum quid ' nihil prohibet phantasma nobilius esse, inquantum scilicet phantasma est actu similitudo talis rei, quod intellectui possibili non convenit nisi in potentia: et sic quodammodo potest agere in intellectum possibilem virtute luminis intellectus agentis, (*ergo non ratione entitatis fluentis*) sicut et color potest agere in visum virtute luminis corporalis ».

(2) *De Anima*, l. IV, c. II, n. 7.

in se phantasma: — 2° quod ipsum reddat actu intelligibile: — 3° atque adeo valeat determinare intellectum possibilem secundum aliquam speciem abstractam a conditionibus materialibus. — Ex quo iterum patet, quod haec tria non dicunt nisi tres adspectus seu tria momenta unius eiusdemque actus intellectus agentis.

III. *Ergo dici etiam potest cum Suarez (ibid. n. 12), quod phantasma sit materiam praebens intellectui agenti*, praecise iuxta sensum, quem habent verba S. Thomae ab eodem allata, quae dicunt (1): « Quia phantasmata non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed oportet quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem; non potest dici quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est *materia causae* » i. e. sicut corpus est materia quae indiget illuminari, ut sit actu visibile, ita pariter et phantasma: et hic est verus sensus verborum S. Thomae.

At nullo modo dici potest quod phantasma sit quasi exemplar, uti patet: nam secus intellectus agens deberet ipsum prius cognoscere, ut dein eius similitudinem seu speciem immitteret in possibilem; quod certe destrueret naturam illius intellectus.

279. **Obiicies** *contra priorem thesim.* — I. Intellectus agens ponitur ad abstrahendas species. Atqui istae abstrahuntur ab intellectu possibili. Ergo. — *R. D. M.;*... ad abstrahendas efficienter, *c.;* formaliter per modum considerationis, *n.* — *Contrad. m.* — Confer n. 273.

II. Ideo requiritur ista abstractio, quia phantasma non potest producere speciem spiritualem. Atqui, posito intellectu possibili spirituali, ipse plane recipere potest in se speciem spiritualiter. Ergo. — *R. D. M.;* quia phantasma nullo modo potest eam pro-

(1) *S. Th.*, I p., q. 84, a. 6 in fine. Cfr. etiam quae habet in II S., D. XX, q. 2, a. 2, ad 2. « Phantasma requiritur ad duo: primo ad hoc, ut concurrat ad productionem speciei intelligibilis tum in genere *causa efficientis;* nam phantasma concurrit ut agens instrumentale et secundum, sicut intellectus agens concurrit ut agens principale et primum; tum in genere *causae materialis* et tamquam *materia causae*: nam obiectum intellectus quasi materialiter administratur et offertur a virtute imaginativa, et ab eadem ipsi intellectui repraesentantur ea, quae accepta sunt a sensibus, et praeparantur phantasmata, quae fiant actu intelligibilia per intellectum agentem ». Cfr. pariter: *De Verit.*, q. XV, a. 2, ad 7: Qdlb. XII, a. 11: *C. Gentes*, l. II, c. 73.

ducere, *n.;* quia est tantum in potentia et non in actu ad eam producendam, *c.* — *D. m.:*... si phantasma esset intelligibile in actu, *c.;* si est tantum intelligibile in potentia, *n.* — Ad rem S. Th. (1). « Supposito agente, bene contingit diversimode recipi eius similitudinem in diversis propter eorum dispositionem diversam. Sed si agens non praeexistit, nihil ad hoc faciet dispositio recipientis. Intelligibile autem in actu non est aliquid existens in rerum natura, quantum ad naturam rerum sensibilium, quae non subsistunt praeter materiam. Et ideo ad intelligendum non sufficeret immaterialitas intellectus possibilis, nisi adesset intellectus agens, qui faceret intelligibilia in actu per modum abstractionis ».

III. Obiectum intellectus non est abstractum a principiis individuantibus, sicut obiectum sensuum in rebus non est abstractum ab aliis perfectionibus. Atqui istud tamen dicitur actu sensibile. Ergo et illud esse debet actu intelligibile. — *R. D. M.:*... ita ut obiectum sensuum secundum suam rationem sensibilem sit actu determinatum ac distinctum in rebus ipsis, et obiectum intellectus sit actu indeterminatum et in potentia tantum distinctum, *c.;* ita ut utrumque sit eodem modo distinctum, *n.* — *C. m.* — Et revera obiecta sensuum dicunt in ipsis rebus rationes omnino distinctas ac inter se diversas, et hanc ob rationem merito dicuntur in ipsis rebus actu sensibilia. Obiectum autem intellectus, quidditas ipsa nempe intrinsece rem constituens, non exhibetur uti omnino diversa a conditionibus materialibus et individualibus, nec proinde est actu aliquid distinctum in ipsis rebus. Non igitur dici potest, esse in rebus actu intelligibile. Requiritur ergo aliqua virtus in anima, quae reddat ipsum actu distinctum, atque adeo intelligibile.

IV. (Cum V. Bernies) (2). Si dantur ista illuminatio et abstractio, conscientia deberet eas referre, cum conscientia referat omnes actus, quos anima spiritualis ponit. Atqui conscientia huiusmodi actus non refert. Ergo. — *R. D. M.* Si utraque fieret per actionem immutativam phantasmatis vel formaliter cognoscitivam, *c.;* si fit tantum per conversionem intellectus agentis supra phantasma, *n.* — *D. m.;* non refert ipsum explicite, *c.;* neque implicite, *n.* — Certum est, conscientiam referre omnes actus spirituales, quos anima ponit, quum ipsa eos semper ac necessario comitetur. Quare si quis diceret, intellectum agentem po-

(1) I. p., q. 79, a. 3 ad 3.

(2) En eius verba, *Revue de Phil.*, 1. Mars 1904, p. 286. — « Au vrai, la conscience ne nous a jamais dit mot de cette action directe sur l'image, prodrome de l'intellection des réalités extérieures; ce chimisme mystérieux, donné comme l'antécédent de la pensée, nous demeure obscur. Toutes fois et quantes j'ai voulu saisir en moi ce travail de dépouillement, je n'ai pu me défendre de cette impression, que j'étais transporté dans un monde, qui n'est pas le mien, dans une région de ténèbres où le flambeau de la conscience ne s'alluma jamais ».

nere actum, qui phantasma immutaret, et speciem aliquam tamquam completam entitatem produceret, quam in intellectum possibilem immitteret, certe conscientia deberet haec omnia referre. Si autem illuminatio est simplex conversio intellectus supra phantasma, ex qua producitur in intellectu possibili species, seu determinatio, qua intellectus possibilis transire valeat ad actum cognitionis, tunc sufficit quod conscientia referat actum cognoscitivum intellectus, et ita implicite refert illam illuminationem, tamquam praerequisitam ad ipsum ponendum.

V. (Cum eodem). Intellectus agens, cum sit facultas spiritualis, debet esse cognoscitiva aut volitiva. Atqui neutrum est. Ergo non datur. — *R. Conc. disiunct. M. et eligo* 1um *membr. cum dist.*, debet esse facultas *formaliter* cognoscitiva, *n.*, *efficienter* cognoscitiva, inquantum tendit ad adiuvandum intellectum possibilem, qui est formaliter cognoscitivus, *c.* — *Contrad. m.* eodem modo (1).

VI. (Cum eodem ibid. p. 290). Intellectus agens deberet sumere speciem vel ex se vel ex phantasmate. Atqui non ex se, secus haberetur subiectivimus, non ex phantasmate, quum non possit eam sumere, quin eam videat. Ergo. — *R., Conc. disiunct. M., et eligo* 2um *membr. cum dist.;* debet sumere speciem tamquam entitatem completam eamque immittere in intellectum possibilem, *n.;* debet se convertere ad phantasma insumque aptum reddere ad determinandum intellectum possibilem ad cognoscendum, *c.* — *Contrad. m. eodem modo.* — Et solutio in nostra sententia non est difficilis. Intellectus agens enim non debet aliquid producere in phantasmate, sed tantum ad ipsum converti, ut reddat actu intelligibile; hoc praestat omnino naturaliter, quin requiratur in eo cognitio, sicut voluntas naturaliter tendit in obiectum, quin ipsum cognoscat, et lux in sententia etiam scholasticorum naturaliter reddit obiectum visibile, quin iterum videat. Hanc autem virtutem habet praecise ex anima, qua spiritualis est.

VII. Explicatio actionis intellectus est tam difficilis, ut scholastici multas in medium proferre conati sint, quin ulla earum omnino vera dici possit. Atqui hoc est evidens indicium falsitatis ipsius. Ergo. — *R. D. M.;...* quia apparet evidens in ea repugnantia, *n.;* quia nequit determinatus et adaequatus conceptus circa eam efformari, *c.* — *Contrad. m.;...* quando apparet repugnantia, *c.;* quando nequit haberi adaequatus conceptus, *subd.;* si illa quaestio versatur circa rem sensibilem, *c.;* si versatur circa rem omnino spiritualem et abstractam, *n.* — Tunc enim potius quam eam tamquam falsam reiicere, melius esset *ad sobrietatem sapere*, et asserere, tamquam certum, principium generale, quod

(1) Hinc vides omnia ea, quae poëtice idem describit ibid. p. 289 circa intellectum agentem, non esse contra nostram sententiam, sed potius contra eos, qui actionem illam agnoscunt, quam in difficultate superiori reiecimus.

revera certum est, et conari afferre saltem tamquam probabiliorem illam explicationem, quae melior videtur. Quod praecise nos praestitimus, distinguendo thesim antecedentem, tamquam certam, ab altera tamquam minus certa. Nam necessitas admittendi virtutem intellectivam, quae reddat phantasmata intelligibilia actu, evidenter apparet; modus, quo ipse hoc efficiat, nequit evidenter determinari. Nihilominus dicimus, quod explicatio, quam dedimus secundum mentem S. Th., desumpta ex illuminatione, rite admitti potest, praesertim si connectitur cum explicatione causae instrumentalis, etiam iuxta mentem S. Th. et Ioannis a S. Thoma.

VIII. Instas (cum eodem): « Si phantasma esset causa instrumentalis, eius effectus proportionatus deberet inveniri in specie intelligibili. Atqui ista est omnino spiritualis epurata ab omni elemento phantasmatis. Ergo... » (1). — *R. D. M.*: deberet inveniri secundum rationem materialem, quam importat, *c.*; secundum modum, quo est in intellectu, *n.* — *Contrad. m...* Et revera species est spiritualis tantum entitative seu secundum modum, quem habet in intellectu; *repraesentative* autem ipsa exhibet praecise id quod est in phantasmate, sed sine conditionibus materialibus et individualibus, et hic est proprius effectus phantasmatis. Falsum igitur est, quod etiam haec explicatio incidit in subiectivismum.

IX. Lumen requiritur ad visum, ut reddat medium lucidum actu. Atqui intellectus agens nequit reducere phantasma lucidum actu. Ergo. — *R. C. M.* — *D. m.*; non eodem modo, *c.*; neque per aliquam analogiam, *n.* — Hanc analogiam, quam superius satis explicare conati sumus, placet iterum exponere cum S. Th. (2). « Circa effectum luminis est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod lumen requiritur ad visum, ut faciat colores actu visibiles. Et secundum hoc similiter requiritur et propter idem intellectus agens ad intelligendum, propter quod lumen ad videndum. Secundum alios vero lumen requiritur ad videndum non propter colores, ut fiant actu visibiles, sed ut medium fiat actu lucidum Et secundum hoc similitudo, qua Aristoteles assimilat intellectum agentem lumini, attenditur quantum ad hoc, quod sicut hoc est necessarium ad videndum, ita illud ad intelligendum sed non propter idem ».

280. **Contra alteram partem.** — I. Phantasma est materiale. Atqui ipsum nequit producere speciem spiritualem in intellectu possibili, nisi per actionem intellectus agentis quodammodo immutetur et elevetur. Ergo. — *R. D. M.*; in ordine physico, *n.*; in

(1) « Si l'image était cause instrumentale dans l'idéation, son effet *spécial* et *proportionné* devrait se retrouver dans la forme intelligibile. Or, cette dernière est toute spirituelle, émancipée de tout élément imaginatif. Donc l'image n'est pas l'instrument de l'idée. La théorie de Jean de Saint-Thomas tombe à son tour et se perd dans le subiectivisme relativiste ».

(2) *S. Th.*, I p., q. 79, a. 3, ad 2.

ordine intentionali, *c.* — *D. m.;*... nequit producere, si species esset terminus *qui* productionis, *c.;* si est terminus *quo* educendus una cum concursu intellectus possibilis, *subd.;* sine conversione intellectus a quo illuminatur, *c.;* sine vera actione immutativa phantasmatis, *n.* — Quare cum species producenda a phantasmate debeat educi ex potentia intellectus possibilis, sicut in omni accidentis productione contingit, uti explicavimus (Th. XXX) sufficit quod intellectus sit spiritualis, et phantasma quodammodo elevetur, quin in se immutetur, uti ostendimus.

II. Phantasma nequit producere species, nisi epuretur, seu spolietur a conditionibus materialibus. Atqui hoc necessario exigit actionem intellectus, quae phantasma immutet. Ergo. — *R. D. M.;* nisi in se spolietur, *n.;* nisi reddatur aptum ad producendam in intellectu speciem quidditatis abstractae a conditionibus materialibus, *c.* — *Contrad. m....* Et revera illa verba : *phantasma debet epurari, expoliari, denudari a conditionibus materialibus et appendicibus eius...*, videntur potius adhiberi ad fucum faciendum. Nam si rite explicantur, nil aliud significant nisi hoc, quod phantasma debet reddi aptum ad producendam speciem alicuius quidditatis sine conditionibus materialibus et individuantibus. Atqui iam satis diximus, ad hoc nullo modo requiri, quod ipsum phantasma in se immutetur. « Sed, ut ait P. Pesch (1), propter radicationem phantasiae et intellectus in eadem anima et propter intimam coniunctionem intellectus cum phantasmate, hoc redditur idoneum, ut ad producendum effectum spiritualem quasi instrumentaliter concurrere possit ».

III. Phantasma est singulare, concretum, mutabile, contingens. Atqui ipsum nequit producere in intellectu speciem universalem, abstractam, immutabilem, necessariam, nisi in se ab intellectu agente mutetur. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. repraesentat essentiam, quae ratione principiorum individuantium et existentiae realis est singularis, concreta..., *c.;* quae est secundum totam sui rationem talis, *n.* — *Contrad. m.;* si esset talis secundum totam sui rationem, *c.;* si tantum ratione principiorum individualium, *subd.;*... nulla accedente illuminatione phantasmatis, *c.;* posita illa, *n.* — Quare est semper eadem difficultas, semperque luditur in verbis, quae ideo a nobis,ut talis verborum abusus rite praepediatur, hic allata non sunt. Nam revera nil aliud sibi vult species *universalis*, *immutabilis*, *necessaria* nisi hoc, nempe quod repraesentat perfectiones rerum sine principiis individuantibus, uti patet ex iis, quae in logica cr. c. I, a. II, disseruimus. Atqui ipsa rite produci potest a phantasmate singulari, posita sola conversione intellectus agentis, uti explicavimus. Ergo.

IV. Iuxta hanc explicationem illuminatio phantasmatis non erit formalis sed obiectiva. — *R. D.* 1^{am} *p.;* non est formalis per aliquam formam productam ab intellectu agente in phantasmate,

(1) *Psych.,P. II,* D. III, s. V, n. 836 ad 7.

c.; neque per coniunctionem intellectus agentis cum phantasmate ut simul concurrant ad producendam speciem in intellectu possibili, *n.; D.* 2am *p.;* est obiectiva per solam extrinsecam assistentiam, *n.;* per talem assistentiam, qua intellectus agens coniungitur cum phantasmate ut simul concurrant ad illam speciem producendam, *c.* — Porro nos non facimus vim in verbis. Quare si cui placet illuminationem, prout ea a nobis explicatur, vocare obiectivam, nullum apparet inconveniens, dummodo tamen dicatur intellectus agens immediate uniri cum phantasmate, ita ut utrumque concurrat ad speciem producendam, ut vera eius causa, altera ut principalis, altera ut instrumentalis.

281. **Scholion. - De distinctione intellectus agentis a possibili.** Quoad hoc punctum nullo modo est consensus scholasticorum: multi enim asserunt unum realiter ab altero distingui, et multi contra nonnisi *rationis distinctionem* inter eos adstruunt (1). Quare ex hoc extrinseco argumento iam patet, hic non adesse magnam certitudinem et evidentiam. Quoad S. Th. vero hoc saltem evidens videtur, hanc quaestionem iuxta eum non esse magni faciendam, quod ex eo patet, quia hanc quaestionem nunquam ex professo pertractat, dum multas alias quaestiones de ipso agitat. Et quando in aliis quaestionibus, hanc etiam attingit, simpliciter asserit has *facultates diversificari;* vel esse *diversas potentias.* Ita inquirens, utrum memoria sit alia potentia ac intellectus, ait (2). « Diversificatur potentia intellectus agentis et intellectus possibilis: quia respectu eiusdem obiecti aliud principium oportet esse potentiam activam, quae facit obiectum esse in actu: et aliud potentiam passivam, quae movetur ab obiecto in actu existente. Et sic potentia activa comparatur ad suum obiectum ut ens in actu ad ens in potentia; potentia autem passiva comparatur ad suum obiectum e converso, ut ens in potentia ad ens in actu. Sic igitur nulla alia differentia potentiarum in intellectu esse potest, nisi possibilis et agentis ». Item quaerens ibid., a. 10, utrum intelligentia sit alia potentia ab intellectu, inquit: « Quandoque ponunt quatuor intellectus, scilicet intellectum agentem, possibilem, et in habitu, et adeptum; quorum quatuor intellectus agens et possibilis sunt diversae potentiae,

(1) Cfr. P. Urraburu *Psych.*, l. II, D. 2, c. 3, n. 143.
(2) *S. Theol.*, I p., q. 79, a. 7.

sicut et in omnibus est alia potentia activa et passiva; alia vero tria distinguuntur secundum tres status intellectus possibilis ». Et alibi pariter dixerat (1): « Impossibile est agentem et possibilem non esse diversas potentias ».

Hinc multi deducunt; ergo haec differentia est realis: quidam vero existimant, eam esse tantum rationis cum fundamento in re, quatenus eadem entitas secundum unum respectum est activa et secundum alterum est passiva. Quod non videtur repugnare, quum duo illi respectus sint in diverso ordine. Imo ait Suarez (2) « opposita tamen sententia (quae negat distinctionem realem) est valde probabilis, quam tenent alii non ignobiles scriptores. Eo fundamento, quod absque distinctione reali potest intelligi munus intellectus agentis; eadem enim potentia activa esse valet specierum, et ut sic intellectus agens appellari: et rursum operativa per illas, sicque dici intellectus possibilis, neque in actibus spiritualibus principium agendi et recipiendi oportere distingui, ut alibi traditur. Secundo, quia multarum rerum species potest intellectus possibilis sibi formare, ut ex supradictis patet: ergo si vim activam habet specierum quarumdam, omnium plane habere poterit. Confirmatur, quoniam intellectus agens post hanc vitam semper actione carebit, quod inconveniens censetur, si potentia est distincta realiter: erit ergo virtus eiusdem potentiae. Itaque universa, quae de utroque intellectu dicuntur, de duplici eiusdem potentiae vi facile dici possunt, quae certe opinio verior apparet, quamvis nihil certum se offerat ».

282. **Conclusio.** — Satis igitur explicata manet origo simplicium conceptuum. In hac tamen perdifficili quaestione absolvenda opportunum omnino erat certa ab incertis secernere. Quare praesuppositis iis, quae sive de cognitione in genere sive de obiecto intellectus alibi disseruimus, primo determinandus erat modus, quo intellectus huiusmodi obiectum a rebus sensibilibus haurire valeat. Et vidimus, intellectum esse facultatem passivam, quae proinde debet determinari ab ipsis rebus; sed in istis non invenitur actu ratio illa propria obiecti intellectus, quum res sint singulares et concretae. Ergo agnoscenda est virtus aliqua, quae

(1) In l. II S., D. 17, a. 2, a. 1.
(2) *De Anima*, l. 4, c. 8, n. 13.

efficiat ut res sensibilis evadat actu apta ad determinandum intellectum ad actum eliciendum. Haec autem virtus debet esse in ipsa anima, quia obiectum quod determinare debet intellectum, est etiam in anima, nempe in phantasia. Imo virtus illa debet esse in parte intellectiva seu in eodem ordine ac est intellectus, cum debeat concurrere ad determinandum intellectum ad operationem: merito igitur haec virtus appellatur *intellectus agens*. Haec omnia videntur omnino certa et fere communia apud omnes scholasticos.

At difficultas enascitur in determinanda propria ratione huius intellectus et modi, quo ipse concurrit ad reddendum phantasma, actu potens determinare intellectum ad operationem, et ideo hic magna adest controversia inter scholasticos. Hoc autem videtur recte explicari per illuminationem, intellectam ad mentem scholasticorum. Videlicet intellectus per sui praesentiam, vel, ut ait S. Th., per sui conversionem ad phantasmata, ea reddit virtuosiora et apta ad determinandum intellectum. Haec autem conversio nullo modo fit per aliquam actionem immutativam phantasmatis, neque per aliquam virtutem spiritualem, quae illi communicetur, quum ipsa nunquam, sive sit completa sive incompleta, recipi possit in subiecto materiali. Sed sicut pars sensitiva, ut ait S. Th., fit virtuosior ex coniunctione cum intellectiva, ita phantasma fit virtuosius ex coniunctione ac praesentia intellectus agentis.

Tandem ad naturam ipsius intellectus agentis definiendam, controvertitur inter scholasticos, utrum ipse realiter distinguatur ab intellectu possibili, an forte sufficiat distinctio rationis, ut plures scholastici tuentur. Et quoniam non videatur magni momenti eam dirimere, satis fuit utramque exponere sententiam cum suis praecipuis argumentis, ut quisque eligat eam, quae verior apparet. Sed addimus, quod perperam quis statueret alterutram ex istis sententiis controversis, tamquam fundamentum totius quaestionis de origine simplicium conceptuum.

283. **Falsa systemata.** — Opposita iuxta se posita magis elucescunt; quare postquam veram sententiam de origine conceptuum explanavimus, iuvat aliquid summis digitis attingere de aliis sententiis recensitis in 1ª et 2ª hypothesi in n. 269 relatis.

Et quoad 1ªm hypothesim, primo nobis occurrunt ii, qui *materialistae*, *sensistae* vel *positivistae* nuncupantur.

Praeter eos, quos numeravimus in n. 193, alii etiam recentiores eorum opiniones tueri conati sunt.

Sane 1°) sententia *materialistarum* tum veteres tum recentiores habuit patronos, qui praeter materiam eiusque vires nihil admittentes, et sensationem et cogitationem ad motum materiae reducunt. Ita iam veteres atomistae: Democritus, Leucippus (saec. V a Chr.) Epicurus (IV a. Chr.) Lucretius Carus (m. 52 a. Chr.) eorumque discipuli, qui imagines rerum materiales (εἴδωλα),

ol immimus (n. 154) a corporibus effluere (ἀπορροαὶ) organa penetrare, et usque ad animam atomis subtilissimis constantem pervenire docebant; animam imagines illas recipientem prorsus passive se habere, neque directe percipere nisi imagines illas materiales, non ipsa corpora. Similiter materialistae recentiores istis accesserunt: Helvetius, De la Mettrie, d'Holbach (*Système de la nature*), Diderot, d'Alembert, Cabanis, Lamark, Gall, necnon Feuerbach (m. 1872), C. Zolbe (m. 1873), Moleschott (m. 1893, Romae), Büchner (m. 1899), Vogt (m. 1895) etc. qui omnem cognitionem motum quendam vel secretionem cerebri esse arbitrantur. Eis assentiunt Avenarius (m. 1896) qui statuit «empiriocriticismum», nil admittens nisi puram experientiam internam; et Willes, Wahle, Mach et alii. Istis accenseri possunt Spencer et Häckel, quorum sententias alibi retulimus. Ipsi enim omnia reducentes ad puram materiae evolutionem, omnes vires ac proinde etiam intellectum a materia dependentes faciunt.

2º) Sententia *sensistarum*, ab eis defenditur, qui confundunt conceptus intellectuales cum sensatione, vel denegant essentialiter ab ista differre; et quod peius est, ipsam sensationem imo omnem cognitionem ad subiectivas reducunt affectiones, (v. n. 193).

3º) Habetur *positivistarum* sententia, qui, duce *Comte*, (m. 1857) veritates, quae sensus superant, non quidem negant, sed nobis impervias ac proinde negligendas esse docent. Comte censet, fontem unicum cognitionis esse experientiam sensuum ope experimenti et inductionis; rationem substantiae, causae, finis nos non percipere neque inquirendam esse, sed solum phaenomena eorumque leges; cetera omnia, praesertim scientiam metaphysicam, esse mera mentis figmenta inania. Ioannes Stuart Mill (1806-1873), Humii principia profitens, nos nil aliud percipere asserit, nisi conscientiae nostrae perceptiones, quas secundum quasdam associationis leges inter se componimus. In idem redit sententia multorum inter recentes, uti e. g. Littré, Taine, Ribot, Du Bois Reymond et alii.

Contra hos omnes generatim asserimus:

Thesis LV.

Empirismus prout proponitur a materialistis, sensistis et positivistis originem omnium conceptuum nostrorum non explicat, sed potius pessumdat.

284 Modo abstrahimus ab aliis erroribus, quibus diversae illae sententiae scatent, hoc unum attendentes, quod in ipsis non explicatur, sed potius destruitur origo conceptuum nostrorum, prout eos a pura sensili perceptione distinguimus. Et sane.

Prob. I p. — Conceptus nostri sunt universales, abstracti, et circa res immateriales saepe versantur, uti diximus. Atqui isti nequeunt ex sola cognitione sensitiva oriri, uti empiristae contendunt. Ergo. — *Pr. m.* — Cognitio sensitiva non versatur nisi circa obiectum materiale et concretum, mediante impressione in organum sensus habita. Atqui huiusmodi cognitio numquam praeseferre potest conceptus universales et immateriales, uti saepe diximus. Ergo.

Prob. II p. — Empirismus non agnoscit nisi solam cognitionem per sensus habitam, quae proinde intrinsece a materia pendet, et omnem respuit cognitionem rerum spiritualium et immaterialium. Atqui ita destruitur distinctio inter intellectum et sensum, quae prorsus agnoscenda est (n. 266), ac pessumdatur origo conceptuum nostrorum. Ergo. — *Prob. m.* — Conceptus nostri, quamvis materiam primo recipiant a sensibus, *a*) abstrahunt tamen a conditionibus materialibus; *b*) sunt in se immateriales et plures versantur circa obiecta nullo modo sensibilia; *c*) plures oriuntur per reflexionem super priores habitam, per actum iudicii componentem et dividentem ac per ratiocinium. Atqui origo horum conceptuum nullo modo explicari potest per facultatem sensilem, dependentem a materia. Ergo.

285. **Obiicies:** I. (cum Comte) Historia ostendit, tunc solum scientias ortas esse, quum homines, metaphysica posthabita, experientia usi sunt. Atqui experientia fit tantum per sensus. Ergo — *R. D. M.;*... scientias mere rationales uti e. g. mathematica..., *n.;* scientias naturales, *subd.;*... posthabita metaphysica cum omnibus suis principiis, *n.;* posthabitis quibusdam principiis subtilioribus minoris momenti, *c.* — *D. m.:* experientia materialis et concreta, *c.;* experientia quae ducit ad scientificas conclusiones, *n.* — Recole quae in log. crit. c. III, a. 4 et 5 exposuimus, ut pateat, quam falsum sit assertum Comte. Ostendat ipse, quaenam scientia existit et ullum facit progressum, quin utatur principiis communioribus metaphysicis. Dum contra nos potius ostendimus, quod ipsa eadem experientia nequit ullam scientificam statuere conclusionem, nisi ad conceptus universales et analyticos deveniat.

II. Instas (cum St. Mill, Spencer, Taine). Isti conceptus non sunt nisi sensationes propter similitudinem ad multas res similes applicatas. Ergo. — *R. D. A.;* i. e. hauriuntur ex istis sensationibus, *c.;* sunt ipsae eaedem sensationes, *n.* — Recole quae

exposuimus in log. crit. Th. VII-IX, et ea quae superius innuimus n. 279, III, et in nota ibi apposita, et patebit ingens discrimen inter conceptus vere universales et sensationes similes.

III. Sensus apprehendunt res modo abstracto et universali. Ergo — *R. D.* 1am *p.;* abstracto a principiis individuantibus et conditionibus materialibus, *n.;* ab aliis perfectionibus, quae non sunt eius obiectum, *c.* — *D.* 2am *p.;* modo vere universali et immateriali, *n.;* quatenus habet multas species quodammodo similes, quas in phantasia ac memoria retinet, *c.*

286. **De ideis innatis.** — Nunc ad eos deveniamus, qui ex opposito, ad explicandam originem conceptuum universalium et immaterialium iterum statuerunt, eos unice ab extrinseco nobis advenire, at nullo modo a rebus eos hauriri posse censuerunt, unde *ideas innatas* seu ab ipsa natura nobis inditas adstruxerunt. Et primus, qui eas in medium attulit, fuit Plato, uti vidimus. — Cartesius autem fere eandem sententiam quodammodo instaurare conatus est, asserens: « Ex ideis aliae innatae, aliae adventitiae, aliae a me ipso factae mihi videntur ». Sed paulo post anceps haerens addit: « Vel forte etiam omnes esse adventitias possumus putare, vel omnes factas; nondum enim veram illarum originem clare perspexi » (1). At nihilominus eius asseclae non pauci deinceps existentiam idearum innatarum tuiti sunt. Leibniz vero (m. 1716) eiusque discipulus Wolf (m. 1754) ingenitam statuebant ideam totius universi, vel ut Leibniz loquitur: « Deus animae in creatione dedit ideas confusas et involutas omnium obiectorum universi, quae evolvuntur et distinctae fiunt, prout obiecta mutationes producunt in eo corpore, quod animae est coniunctum » (2).

Rosminius tandem (m. 1855) opus integrum confecit, cui titulus « Nuovo Saggio sulle origini delle idee », ad quaestionem hanc integre ac directe solvendam... Eius doctrinae summa huc redit, unicam esse in humana mente ideam primitivam et ceterarum fundamentum, ideam nempe *entis communissimi*. Ea vero nequit abstrahi a rebus: debet igitur esse innata; ac deinde ex ea et cum ea omnes aliae efformantur. Ideoque hoc unum explicandum est: quomodo oriantur determinationes huius ideae innatae.

(1) *Obs. ad. rec. lib. de Fidei consensu*, l. II, p. 257.

(2) In med. III. - Imo alibi eas dicit non realiter distingui a facultate cogitandi. Inquit enim in Resp. ad art. 12 programmatis Belgici. « Cum ait (nempe adversarius) mentem non indigere ideis vel notionibus vel axiomatibus innatis et interim ei facultatem cogitandi concedit (puta naturalem sive innatam), re affirmat plane idem, quod ego, sed verbo negat. Non enim unquam scripsi vel iudicavi mentem indigere ideis innatis, quae sint aliquid diversum a facultate cogitandi; sed sola cogitandi facultate, quae in me est; ut has ideas sive notiones, quae sint ceterarum cogitationum formae, ab aliis adventitiis et factitiis distinguerem; illas innatas vocavi ».

Thesis LVI.

Nullae dantur ideae innatae in intellectu humano, nec per eas origo omnium conceptuum explicari potest.

287. **Prob. I p.** — Et primo afferri possunt eadem argumenta, quibus probata est th. XLVIII. — Deinde possumus haec alia addere ex S. Th. desumpta (1). — Primo quidem contra Platonem), quia si habet anima naturalem notitiam omnium, non videtur esse possibile, quod huius naturalis notitiae tantam oblivionem capiat, quod nesciat se huiusmodi scientiam habere. Nullus enim homo obliviscitur ea, quae naturaliter cognoscit, sicut quod omne totum sit maius sua parte, et alia huiusmodi. Praecipue autem hoc videtur esse inconveniens, si ponatur esse animae naturale corpori uniri, ut supra habitum est quaest. LXXXVI, art. 1). Inconveniens enim est, quod naturalis operatio alicuius rei totaliter impediatur per id, quod est sibi secundum naturam.

Secundo manifeste apparet huius positionis falsitas ex hoc quod, deficiente aliquo sensu, deficit scientia eorum quae apprehenduntur secundum illum sensum: sicut caecus natus nullam potest habere notitiam de coloribus; quod non esset, si intellectui animae essent naturaliter inditae omnium intelligibilium rationes. Et ideo dicendum est, quod anima non cognoscit corporalia per species naturaliter inditas ».

Prob. II p. — Conceptus nostri sunt essentialiter imagines rerum, et referuntur immediate ad res sensibiles ac materiales, mediate vero ad res immateriales. Atqui per ideas innatas origo horum conceptuum nullo pacto explicatur. Ipsae enim aut non repraesentant res, et tunc ineptae sunt ad conceptus in mente nostra gignendos; aut eas repraesentant, et tunc inutile esset, quod nos ad res converteremur, ad eas intelligendas: atqui hoc est prorsus necessarium, ut omnibus evidens est. Ergo. — Nec hilum proficit vanum illud effugium, quod requiritur impressio sensuum, vel ad excutiendam animam, vel ad determinandam rationem

(1) S. *Th.*, p. I, q. 84, a. III.

confusam illarum idearum. Huiusmodi enim impressio sensuum aut aliquid influit in intellectum, aut nihil. Si primum: tunc ea iam sufficit ad gignendos conceptus iuxta explicationem Arist. ac S. Th. superius expositam. Si alterum, tunc adhuc explicandum esset, qua ratione illa excitatio vel determinatio haberi queat. Ergo.

288. Nunc directe contra *Rosminium* dicimus: totum eius systema 1) falso innititur principio; 2) originem conceptuum non explicat; ac 3) non modo gratuitis sed et erroneis refertum est assertionibus (1). — Et sane 1) Rosminius statuit, notionem entis non posse a rebus abstrahi. Atqui in metaph. generali Th. VIII clare ostendimus posse ipsam a rebus abstrahi, et simul argumenta disiecimus, quibus ipse cum suo discipulo Pestalozza, suum assertum suadere conatur. Ergo. — 2) Idea illa entis, uti recte arguit P. Liberat. ibid., « ab auctore proponitur ut notio maxime indeterminata, et ita carens omni specificatione, ut eam assimilare non dubitet tabulae rasae. Quae sane indeterminatio necessaria omnino erat, ut notio posset haberi universalissima et simplicissima. At vero ex indeterminato per se nihil sequitur. Unde igitur exurgent conceptus specifici singularum essentiarum, quibus mens nostra locupletatur? Non certe ex sensatione, ut ipse falso putat. Siquidem determinationes sensiles nequeunt tribuere enti elementa quidditativa, quibus constant ideae rerum singularum; sed tantum exhibent phaenomena, ad ordinem concretum individuorum corporeorum pertinentia. Ergo mens nostra in toto ambitu cognitionis suae, non aliud praebebit, nisi phaenomena illa, quae ope ideae entis indula sint idealitate ». — 3) Immo, si animadvertatur, quod omnes sensationes, in sententia auctoris, non aliud sunt nisi affectiones ipsius sentientis; non modo idealismus phaenomenalis, sed plane subiectivimus inducitur.

Praeterea totum systema videtur sibi contradicere vel quaestionem prorsus insolutam relinquere. Ipse enim primo statuit in nobis adesse ideam entis innatam, quippe quae a rebus abstrahi nequit; deinde asserit, requiri diversas sen-

(1) Cf. P. Liber, *Ps.*, c. IV, a. II, n. 182.

sationes, quae illam ideam determinant. Iamvero aut illae sensationes sunt ideae, aut non: si primum, tunc sicut istae abstrahuntur a rebus, ita et notio entis abstrahi potest: et Rosminius, qui hoc negat, sibi contradicit: sin alterum, tunc explicandum esset, quomodo sensationes huiusmodi possint determinare ideam entis, quod videtur prorsus impossibile: proinde tota quaestio nondum soluta est.

Scholion.— *Systema Rosminii cum nostro comparatur.* — Si utrumque systema simul confertur, plane apparebit; si quid veri a Rosminio asseritur, hoc recte in nostro systemate explicari, non autem in suo. Re quidem vera Rosminius perspexit quod primo nos concipimus ens indeterminatum, et deinde apprehendimus alias perfectiones, uti determinationes entis; quod et nos superius asseruimus. Sed nos simul ostendimus, quomodo a rebus attingere valemus tum primum conceptum indeterminatum, tum alios qui ipsum magis magisque determinant, et demonstramus, quomodo eos simul componimus ad habendos diversos ac determinatos conceptus. Rosminius contra hoc prorsus negligit inquirendum, ita ut si velit explicare, quomodo sensationes determinent notionem entis, debeat aut in nostram incidere sententiam, aut problema insolutum relinquere.

289. **Obiicies** I. (cum Platone). Si homo rudis ordinate interrogatur, responsiones dabit circa veritates, quas ipse putabat ignorare. Atqui hoc explicari non posset, si non agnoscuntur ideae, quae per illas interrogationes excitantur. Ergo. — *R. D. M.* Si homo iste nullum omnino conceptum a rebus hausit.... *n.*; si quosdam quibus saltem principia concepit, *subd.*; si interrogationes ita fiunt, ut responsiones deduci possint ex illis principiis, *c.*; secus, *n.* — *Contrad. m....* Ad rem S. Th. (1). « Ad tertium dicendum quod ordinata interrogatio procedit ex principiis communibus per se notis ad propria. Per talem autem processum scientia causatur in anima addiscentis. Unde cum verum respondet de his, de quibus secundo interrogatur, hoc non est quia prius ea noverit, sed quia tunc ea de novo addiscit. Nihil enim refert, utrum ille, qui docet, proponendo vel interrogando, procedit de principiis communibus ad conclusiones. Utrobique enim animus audientis certificatur de posterioribus per priora ».

(1) S. *Th.*, I p., q. 84, a. 3 ad 3.

II. Nulla potentia existit et producitur sine suo actu. Atqui intellectus est potentia, cuius actus sunt ideae. Ergo. — *R. D. M.;* nulla potentia, quae sit principium entis...,*c.;* nulla potentia quae in se iam sit eius completum, *subd.*,... sine actu, ad quem transcendentaliter referatur, *c.;* sine actu, a quo necessario ac semper perficiatur, *n.* — *Contrad. m.* — Iamvero potentia intellectiva est in se accidens completum, quod ad operationem tamquam ad actum refertur. At hinc non sequitur, quod ipsa operatio semper debeat actuare potentiam cognoscitivam, ut satis patet ex iis, quae de actu et potentia disseruimus in Metaph. gen. n. 142..., et iterum innuimus in Cosm. n. 228.

III. Si ideae non sunt innatae, intellectus deberet eas per abstractionem e rebus attingere. Atqui talis abstractio haberi nequit, nisi saltem quaedam ideae in mente habeantur. Ergo. — *R. D. M.;* per abstractionem per modum simplicitatis, *c.;* per modum compositionis ac divisionis, *n.* — *Contrad. m.*... Et haec distinctio iam saepe explicata est.

IV. Ideae sunt immateriales, universales, aeternae. Atqui istae nequeunt haberi a rebus exterioribus. Ergo. — *R. D. M.;* immateriales *subiective*, *c.;* obiective, *subd.;* quatenus nullam repraesentant materiam, *n.;* quatenus non repraesentant principia individualia, et hanc ob rationem sunt universales et aeternae *negative*, *c.* — *Contrad. m...*

V. Dici potest quod anima cognoscit se essentialiter et ex sui cognitione deducit notitiam aliarum rerum. Atqui ita cognitio recte explicatur, quin recurratur ad abstractionem a rebus. Ergo. — *R. D. M.* Si anima in se contineret perfectiones aliarum rerum et esset primum cognitum, *c.;* si utrumque est falsum, *n.* — *Contrad. m.* — Quod anima non sit primum cognitum satis patet ex iis, quae superius diximus; quod autem non contineat perfectiones aliarum rerum ex eo eruitur, quod ipsa est determinata ad propriam speciem. Unde etiam « essentia angeli, ut ait S. Th. (1), non comprehendit in se omnia, cum sit essentia determinata ad genus et ad speciem. Et ideo solus Deus cognoscit omnia per suam essentiam ». Praeterea in hac sententia hoc haberetur incommodum, quod inutilis redderetur unio animae cum corpore. Si enim anima ex se sola posset omnes ideas sibi comparare, nulla esset ratio cur corpori copuletur. Imo haec unio in eius detrimentum potius quam in emolumentum cederet (2), ut ipse Plato tuetur.

(1) S. Th., I p., q. LV, a. 1.

(2) Ad rem S. Th. ibid. a. 2 « Substantiae spirituales inferiores, scil. animae, habent esse affine corpori, in quantum sunt corporum formae; et ideo ex ipso modo essendi competit eis, ut a corporibus et per corpora suam perfectionem intelligibilem consequantur; alioquin frustra corporibus unirentur. Substantiae vero superiores, idest Angeli, sunt a corporibus totaliter absolutae, immaterialiter et in esse intelligibili subsistentes; et ideo suam perfectionem intelligibi

290. **De aliis systematibus.** De systemate *ontologorum* et *traditionalistarum* opportunius videtur loquendum in theodicea naturali.

Quoad systemata eorum qui tuiti sunt 2^am^ hypothesim nihil aliud addendum videtur, praeter ea quae in logica fuse exposuimus, ac saepe in thesibus superioribus explanavimus; omnia enim eorum systemata ad idealismum reducuntur.

Porro duplex distinguendus est idealismus: *obiectivus*, qui omnes perceptiones tamquam a Deo nobis immissas habet, ut Malebranche et Berkeley; *subiectivus*, qui activitate nobis insita omnes nos perceptiones efformare docet. Quum idealismus obiectivus vel in ontologismum vel in sententiam eorum, qui ideas innatas statuunt, incidat et iisdem fere rationibus refutetur, nihil aliud de ipso nobis hoc loco addendum videtur; quoad idealismum subiectivum duplex iterum distinguendus est:

1° *Idealismus absolutus* sive *acosmisticus*, qui negat mundum visibilem a nobis realiter distinctum vel existere vel saltem eo modo esse, quo nobis apparet; nos illum per animae nostrae activitatem producere, idque vel per actum intellectus, ut Neoplatonici, Fichte, Hegel, moderni phaenomenalistae e. g. Avenarius, Laas, Liebmann, Schuppe, etc. (1), existimant; vel per actum voluntatis, ut Schopenhauer censet (« Die Welt als Wille und Vorstellung »). Istis accensentur Pantheistae, non realiter distinguentes inter ens absolutum eiusque evolutionem mundanam, ut Eleatenses.

2° *Idealismus relativus* sive *physiologicus*, qui admittit quidem, res mundanas existere et in corpus nostrum influere, negat autem, nos sive per sensationem sive per cognitionem res ipsas percipere, sed solas affectiones subiectivas, ex quibus per mentis nostrae activitatem conceptus efformemus, quibus a parte rei respondet aliqua causa efficiens, sed nos nescire, quid ipsa in se sit. Quam sententiam, per systema Kantianum maxime propagatam, multi amplectuntur et philosophi ut Herbart, Lotze, etc., et phy-

lem consequuntur per intelligibilem effluxum; quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt, simul cum intellectuali natura.

(1) Müller, *System der Philos.*, p. 20.

siologi, praesertim qui influxum inter corpus et animam, sive inter sensationem et cogitationem, vel existentiam animae spiritualis a corpore distinctae negantes, parallelismum psichophysicum statuunt, ut Fechner, Wundt, Paulsen, Ebbinghaus, Isoll et alii multi (1).

Iamvero idealismus absolutus incidit in pantheismum, ac proinde una cum ipso reprobatur in theodicea; idealismus physiologicus, vel incidit in Kantianum, quem passim refutavimus, vel in sensismum, nec ipse igitur peculiarem meretur considerationem. Sufficit enim recolere quae tradidimus in log. th. II et IV. — Tandem systema theoriae immanentiae abunde refutatum fuit in logica critica, th. XLVII.

291. **Conclusio** — Quemadmodum tenebrae multum conferunt ad splendorem lucis melius aestimandum, ita falsa aliorum systemata valde conferunt ad veritatem nostri systematis illustrandam et confirmandam. Si quae vera enim in eis reperiuntur haec omnia doctrina scholastica tuetur et harmonice simul componit.

Et sane ut hoc iterum confirmetur, iuvat omnia systemata velut sub oculo ponere, eaque cum nostro conferre.

Iuxta scholasticorum doctrinam enim, *a*) *cum Sensistis* asserimus, quod cognitio nostra incipit a sensibus. « Videmus enim, ut ait S. Th. (2) quod impedito actu memorativae virtutis, ut in lethargicis, impeditur homo ab intelligendo in actu etiam ea, quorum scientiam percepit ». At contra eos advertimus cum eodem S. Th. (3). « Verum est quod scientiam a sensibilibus mens nostra accipit; nihilominus tamen ipsa anima in se similitudines rerum format, inquantum per lumen intellectus agentis efficiuntur formae a sensibilibus abstractae, intelligibiles actu ».

b) Consequenter *fautoribus idearum innatarum* opponimus, eas non posse admitti, quippe quas per sensus a rebus accipimus. At simul agnoscimus in nostro intellectu lumen quoddam intelligibile quod suppleat carentiae illarum. « Intellectus enim agens est quasi quaedam virtus participata ex aliqua substantia superiori nempe Deo » (4).

c)*Idealistis* dicimus, intellectum nostrum non fabricare sibi obiectum, quum ipsum a rebus per sensus recipiat, at nihilominus saltem concurrit ad ipsum reddendum intelligibile in actu, quia « naturae rerum materialium, quas nos intelligimus,

(1) Cf. Gutberlet, *Der Kampf um die Seele*, p. 172.
(2) I p., q. 84, a. 7.
(3) *De Ver.*, q. X.
(4) *De Anima*, a. 5.

non existunt extra animam immateriales et intelligibiles in actu, sed sunt tantummodo intelligibiles in potentia extra animam existentes » (1).

d) Negamus item *Ontologis*, nos res cognoscere in intuitione primae increatae veritatis, uti videbimus in Theodicea, at simul concedimus, eas nos aliquo modo cognoscere dependenter ab ipsa. Nam, ut ait S. Th., « dicendum est, quod aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter. Uno modo sicut in obiecto cognito, sicut aliquis videt in speculo ea quorum imagines in speculo resultant; et hoc modo anima in statu praesentis vitae non potest videre omnia in rationibus aeternis... Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo sicut in cognitionis principio, sicut si dicamus quod in sole videntur ea per solem. Et sic necesse est dicere,quod anima humana omnia cognoscat in rationibus aeternis, per quarum participationem omnia cognoscimus. Ipsum enim lumen intellectuale, quod est in nobis, nihil est aliud quam quaedam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes aeternae » (2).

e) Denegamus *Traditionalistis*, nos nihil posse cognoscere nisi per aliorum ac praesertim Dei auctoritatem, quia, uti pariter monstrabimus in theodicea praeexistunt in nobis quaedam scientiarum semina, scilicet primae conceptiones intellectus, quae statim lumine intellectus agentis cognoscuntur per species a sensibilibus abstractas.. Ex istis autem principiis universalibus omnia principia sequuntur » (3). At simul cum eis agnoscimus magnam utilitatem auctoritatis ac praesertim divinae revelationis; ac proinde « salubriter divina providit clementia ut ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet; ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes esse, et absque dubitatione et errore » (4).

f) Contra *Immanentiae recentes fautores* asserimus, reiiciendum esse idealismum theoreticum, quum omnis potentia cognoscitiva directe ac infallibiliter suum proprium obiectum attingat: « quia ad proprium obiectum unaquaeque potentia per se ordinatur, secundum quod ipsa: quae autem sunt huiusmodi, semper eodem modo se habent. Unde manente potentia, non deficit eius iudicium circa proprium obiectum » (5). At ultro cum eis fatemur, quod nonnullas veritates ex auctoritate praesertim cognoscimus, uti vidimus in log. crit. Th. XLVII; et quod pariter melius cognoscimus nosmetipsos ac alias res. Quia « scientia de anima est certissima, eo quod unusquisque experitur se animam habere, et actus animae sibi esse » (6). Et asserimus etiam

(1) *S. Theol.* I p., q. 54, a. 4.
(2) *S. Theol.*, I p., q. 84, a. 5.
(3) *De Ver.*, q. XI, a. 1.
(4) *C. Gentes*, L. 1, c. 4.
(5) *S. Theol.*, I p., q. 85, a. 6.
(6) *De Ver.*, q. 10, a. 8 ad 8.

ex conscientia nostra multa principia tum theoretica tum practica profluere, quae in nobis certitudinem gignunt. « Sicut animae humanae est quidam habitus naturalis, quo principia speculativarum scientiarum cognoscit, quem vocamus intellectum principiorum; ita in ipsa est quidam habitus naturalis primorum principiorum operabilium, quae sunt naturalia principia iuris naturalis. Qui quidem habitus ad synderesim pertinet » (1).

Ergo tandem concludamus oportet, in systemate nostro de origine conceptuum reperitur et affabre simul componitur, quicquid veri in aliis adinveniatur, epuratum ab eorum falsitatibus, quibus ad invicem opponuntur. Inquantum nos quaestionem solvimus sub omnibus suis respectibus, quos ipsa refert, adversarii contra, unum tantum vel alterum respiciunt, alios despiciendo, ac proinde aliquid veri ac falsi simul commiscent, quin tamen quaestionem adaequate, uti par est, absolvant. Unde tandem elicitur, quod in nostro systemate adest non falsus eclectismus a Cousinio praesertim defensus, sed ille verus ac valde utilis, quem iam SS. Patres professi sunt, iuxta principium fundamentale a nobis statutum in introd. ad univ. philosophiam n. 33, 34. Et hoc videtur evidens indicium veritatis nostri systematis etiam extrinsece spectati.

ARTICULUS III.

DE ORIGINE CONCEPTUUM COMPOSITORUM.

292. **Ordo rerum.** Simplices conceptus, quos primo intellectus haurit a rebus, quum sint abstracti et universales, uti vidimus, imperfectissimam nobis exhibent cognitionem, ita ut intellectus semper ac necessario inclinetur ad componendos, mediante iudicio, plures conceptus, in unum perfectiorem, qui res magis determinate repraesentat; et ita enascuntur conceptus compositi. Haec quaestio in praesenti magni momenti esse videtur, eo vel magis quia recentiores in hac unice fere insistunt, priori de simplicibus conceptibus neglecta, et ideo in falsas abeunt sententias: scholastici vero priorem fere unice explanare conabantur, non multum ad hanc alteram attendentes, quippe quae ex solutione prioris faciliter deduci poterat. Nobis autem non modo utile sed necessarium videtur, praesertim post tot

(1) *De Ver.*, q. XVI, a. 1.

obortos errores, huius quaestionis solutioni directe incumbere, postquam priorem, uti par erat, absolvimus.

Iam age, conferendo hanc quaestionem cum principiis in logica critica statutis, dicimus, istam eo spectare, ut compleat ea, quae ibidem explanata sunt de fontibus veritatis, rationem ostendendo, secundum quam intellectus duos conceptus simul componere valet, qui res perfectiori modo repraesentant. Et quoniam vidimus priorem viam, ad iudicia componentia efformanda, esse experientiam, ab ea initium ducamus oportet. Quare dicimus:

Thesis LVII.

Primum iudicium efformatur per experientiam, in qua primo componitur quidditas, cognita in simplici apprehensione, cum subiecto, a quo abstracta fuerat, item cognito indeterminato modo.

293. **Status quaestionis** — Quid nomine experientiae veniat, quomodo ipsa acquiratur et infallibilem gignat cognitionem, iam satis exposuimus in log. crit. cap. III a. II, quae omnia proinde in memoriam revocanda sunt. Nunc inquirendum occurrit: *quaenam est natura huius cognitionis?* et *quomodo per hanc viam habentur primi conceptus compositi?* Huic quaestioni respondet thesis proposita.

Interim recole, experientiam, de qua nunc loquimur, pertinere ad cognitionem intellectivam, et exurgere ex sola et immediata abstractione conceptuum a phantasmate, et ideo distingui a cognitione sensili, quae est pure experimentalis, uti diximus (n. 177 corollar.) et etiam a cognitione cogitativae, quamvis ab ea etiam adiuvetur, uti videbimus. Quare dicimus, primum iudicium ab intellectu efformari, quatenus primo apprehenditur aliqua quidditas abstracta a phantasmate, ac dein per immediatam reflexionem super hunc primum conceptum, iterum intellectus redit ad ipsum phantasma iuxta ea, quae diximus in n. 259 et 262), quod apprehendit simpliciter uti subiectum illius quidditatis ab eo abstractae, et ita efformat novum conceptum, quem cum priori coniungit per iudicium componens, et utrumque concipit ut unum existens (1), et ita efformat primum conceptum compositum. Nam, ut ait S. Th. (2), intellectus noster « de

(1) Recole, definitionem iudicii ab Arist. prolatam: « iudicium est compositio quaedam conceptuum tamquam unum existentium » σύνθεσίς τις ἤδη νοημάτων ὥσπερ ἓν ὄντων; quam retulimus in Dialectica n. 87.

(2) S. *Theol.*, I p., q. XIV, a. 14.

uno in aliud discurrit propter hoc, quod species intelligibilis sic repraesentat unum quod non repraesentat aliud. Unde intelligendo quid est homo, non ex hoc in ipso alia, quae ei insunt, intelligimus, sed divisim secundum quandam successionem ». Et propterea, quae seorsum intelligimus, oportet *in unum* redigere per compositionem vel divisionem, enuntiationem efformando.

294. **Prob. I p.** — Primi conceptus, qui in simplici apprehensione comparantur, sunt quidditates abstractae a rebus sensibilibus, seu ab aliquo subiecto sensibili per phantasma repraesentato. Atqui post primum conceptum ita habitum, statim intellectus impellitur ad novum efformandum; in quo concipitur res illa sensibilis *praecise uti subiectum* illius *quidditatis*. Atqui rursus, hoc alio conceptu habito, statim et ineluctabiliter impellitur ad efformandum iudicium, componens illam quidditatem cum suo subiecto. Ergo hoc est primum iudicium, quod intellectus promit.

Prob. II p. — Illud subiectum debet certe prius concipi per simplicem abstractionem, imo antecedenter ad omne iudicium componens, cum nullum iudicium efformari queat, nisi prius duo habeantur conceptus, quorum alter exhibetur tamquam praedicatum, alter tamquam subiectum. Atqui huiusmodi conceptus est necessario simplicissimus ac proinde indeterminatissimus. Ergo.

Praeterea ad efformandum hoc primum iudicium, sufficit cognoscere phantasma, uti subiectum illius quidditatis, quae ab eo abstracta fuit. Atqui ad efformandum hunc conceptum, plane sufficit apprehendere phantasma modo indeterminato, seu ut aliquid in quo reperitur quidditas abstracta prius cognita. Ergo.

Si *quaeris*: qua ratione concipitur phantasma, quum apprehenditur uti subiectum quidditatis ab eo abstractae? — *Resp.* — sub ratione alicuius individui vagi quod solet exprimi per pronomen *hoc;* conformiter ad ea, quae exposuimus in th. II.

Quare dicimus: primus omnino conceptus est ratio entis abstracta a rebus sensibilibus, inspecta praecise ut repraesentans aliquam rem, et exprimitur per pronomen *aliquid*, vel per nomen *ens;* deinde statim elloresceit alter conceptus, quo apprehenditur illa res, praecise ut *id cui quid-*

ditas abstracta inhaeret, et exhibetur per pronomen *hoc*. Hinc statim intellectus erumpit in hoc iudicium: *hoc est aliquid* vel *ens*. Et in eo percipit, revera illam rationem entis esse aliquid determinatum, etiamsi adhuc ignoret propriam rationem illius determinationis. Atque ita adhuc impellitur ad nova iudicia efformanda, uti mox videbimus.

295. **Coroll** I. — *Ergo prima iudicia, quae intellectus efformat, sunt synthetica, experimentalia ac singularia modo indeterminato.* — Prima enim iudicia efformantur per compositionem illorum conceptuum, qui secundum rationes indeterminatas immediate abstrahuntur a rebus sensibilibus. Atqui huiusmodi iudicia sunt experimentalia. Ergo. — Ea vero sunt etiam synthetica; iudicia enim synthetica sunt ea, in quibus subiectum et praedicatum simul componuntur, hanc solam ob rationem, quia reperiuntur experimentaliter simul coniuncta. Quare omnia iudicia experimentalia sunt synthetica. — Tandem in illis habetur subiectum aliquod singulare et indeterminatum, quod exprimitur per pronomen *hoc;* ergo iudicium quoque est singulare.

II. — *Ergo clarius apparet, cur subiectum dicatur esse loco rei et praedicatum loco intellectus*, uti iam ostendimus in log. crit. 104, 111, 152; hic enim patet etiam intrinseca ratio psychologica explicationis, quam ibidem dedimus. Unde immerito eam reiiciunt quidam contra communiorem doctrinam scholasticorum et S. Thomae, qui aperte ait, quod intellectus noster « in omni propositione aliquam formam significatam per praedicatum vel applicat alicui rei significatae per subiectum, vel removet ab ea » (1).

III. — *Ergo patet, quomodo haec iudicia sint obiectiva.* — Intellectus enim in istis proferendis percipit, primum conceptum (quem ponit loco praedicati), quamvis abstractum, esse obiectivum, quia ab obiecto reali abstrahitur; alterum item esse obiectivum, quum referat ipsam rem *ut illam qualitatem habentem*. Ac proinde conceptus ille compositus, qui ex hoc iudicio efflorescit, est etiam obiectivus. Unde colligitur quod obiectivus valor conceptuum compositorum totus pendet ab obiectivo valore simplicium.

IV. — *Ergo si in simplici apprehensione intellectus non cognoscit suos conceptus esse obiectivos, seu repraesentare res a se distinctas, nec in iudicio componente hoc cognoscere valet.* — In isto enim intellectus utique perfectiori modo apprehendit, suos conceptus repraesentare res. At hoc idem apprehendere non posset, nisi in ipsa simplici apprehensione iam perspiceret eos repraesentare res. Quopropter falli videntur ii, qui existimant

(1) *S. Theol.*, I p., q. XVI, a. 2.

in simplici apprehensione intellectum habere cognitionem, sed ignorare utrum ipsa respondeat rebus; et ideo in ipsa nullam haberi veritatem logicam formaliter. Sed contra dicendum, quod intellectus nullum conceptum habere valet, nisi simul apprehendat ipsum repraesentare res, hoc autem perfectiori modo apprehenditur in iudicio componente, et imperfecte in simplici apprehensione.

At nunc alium gressum faciamus oportet, quum ea, quae modo exposuimus, *non sunt nisi initium* illius perfectioris cognitionis, quam intellectus per iudicium componens sibi comparat. Et certe quando quis illud profert iudicium: *hoc est aliquid*, non multum proficit in cognoscendo. Nihilo tamen secius illud iudicium est veluti fundamentum aliorum, quae nempe eo spectant ut illud, quod est veluti in embrione, magis magisque perficiatur, quum determinatur semper melius illud « *aliquid* » vel ratio illa indeterminata entis, quod subiecto « *hoc* » inest.

Thesis LVIII.

Posito primo iudicio indeterminato, intellectus ex experientia alia colligere potest, quibus semper melius determinatur ratio subiecti ac praedicati, et ita alii conceptus compositi efflorescunt.

296. **Praenota** — Primo adverte cum S. Th. (1) quod « intellectus noster simul intelligit subiectum et praedicatum, prout sunt partes unius propositionis, et duo comparata secundum quod conveniunt in una comparatione. Ex quo patet quod multa secundum quod sunt distincta, non possunt simul intelligi: sed secundum quod sunt coniuncta in uno intelligibili, sic simul intelliguntur ». Quare quum intellectus formaverit primum iudicium, intellexit praedicatum et subiectum ut faciens unum, sed adhuc indiget alia promere iudicia, ut illi nova addat praedicata, ad perficiendam suam cognitionem. Nam, ut ait idem S. D. (2) « sicut in intellectu ratiocinante comparatur conclusio ad principia, ita in intellectu componente et dividente comparatur praedicatum ad subiectum. Si enim intellectus noster statim in ipso principio videret conclusionis veritatem, nunquam intelligeret discurrendo vel ratiocinando. Similiter si intellectus statim in apprehensione quidditatis subiecti haberet notitiam de omnibus, quae possunt attribui subiecto vel removeri ab eo, nunquam intelligeret componendo et dividendo, sed solum intelligendo quod quid est ».

1. S. *Th.* I p. q. 58. a. 2.
2. Ibid., a. 4.

Prob. I p. - Et sane, posito primo iudicio: *hoc est aliquid*, intellectus acquiescere nequit, imo necessario adducitur ad inquirendas alias perfectiones, quae in illo phantasmate reperiuntur, a quo primo abstraxerit rationem indeterminatam entis. Et tunc primae perfectiones, quae occurrunt, sunt diversi modi, quibus illud *aliquid* vel illa *ratio entis* existit seu habet esse; et ita intellectus concipit *habere esse in se*, cum certe illud phantasma sese offerat intellectui tamquam in se existens: item potest inspicere rationem entis habentis esse in alio, quum in phantasmate multae habeantur perfectiones, aliqua ratione inter se distinctae; item inspicit illud *aliquid* tamquam diffusum in longum, latum ac profundum, quia phantasma tale exhibetur, vel ut perceptum per sensus externos, per oculos, aures... et huiusmodi. Atqui per haec iudicia intellectus semper melius perficit illam indeterminatam rationem subiecti et praedicati in priori habitam; et ita dicit: *hoc est aliquid habens esse in se; hoc est aliquid habens esse in alio, hoc est aliquid diffusum in longum...; ... aliquid perceptum ab oculis;... ab auribus,... a gustu,...* et ita porro. Ergo.

Prob. II p. - In istis iudiciis modo recensitis intellectus plures perfectiones simul apprehendit, ut coniunctas in una eademque re, atque adeo diversos conceptus compositos efformat, qui illas perfectiones simul repraesentant, et ipsis diversa imponit nomina. Ita, e. gr., quando intellectus dicit: *hoc est aliquid habens esse in se*, apprehendit illud subiectum ut rem, duas illas perfectiones in se amplectentem, cui nomen *substantiae* imponit, et ita habetur conceptus substantiae, quae est *aliquid habens esse in se*; pariter quando dicit: *hoc est aliquid diffusum in longum, latum et profundum*, illi subiecto imponit nomen *quantitatis*, et ita eius conceptum determinat... et ita porro; uti patet discurrenti praesertim per suprema rerum genera. Atqui isti sunt primi conceptus universaliores, quos de rebus efformamus. Ergo.

297. **Dices:** I. Conceptus universaliores, praesertim suprema rerum genera, sunt simplicissimi. Atqui hi videntur esse conceptus compositi. Ergo. — *R. D. M.;*... sunt simplicissimi, quate-

nus non constant duobus conceptibus distinctis, qui referant duas distinctas ac determinatas perfectiones, *c.;* quatenus neque possunt resolvi in duos conceptus, quorum unus est indeterminatus et alter determinatus, *n.* — *Contrad. m...* — Confer ea, quae in *Metaph. gen.* n. 39, et in q. de analogia entis disseruimus, quae omnia plenam recipiunt confirmationem et lucem ex hac thesi.

II. Isti conceptus compositi habentur per experientiam. Atqui conceptus universales nequeunt comparari per simplicem experientiam. Ergo. — *R. D. M.;...* una cum determinata abstractione intellectus, *c.;* sine ipsa, *n.* — *Contrad. m.;* sine abstractione intellectus, *c.;* una cum illa, *subd.;* nequeunt comparari conceptus *formaliter* universales, *c.;* nec *materialiter* universales, *n.* — Item recolenda sunt, quae de conceptibus universalibus, in log. crit. in Th. XII et XIII explanavimus; et ita facile patebit, omnino sufficere abstractionem per modum simplicitatis ad habendos conceptus universales, qui constituunt universalia directa seu materialia, inquantum repraesentant aliquam naturam sensibilem sine principiis individualibus. Imo omnia simul conferendo, clare apparet intima ratio psychologica eorum omnium, quae in logica ibid. enodavimus.

III. Isti conceptus habentur per iudicia analytica. Atqui hic sermo est de sola experientia. Ergo. — *R. D. M.;...* i. e. oriuntur ex iudiciis analyticis, *n.;* constituunt iudicia analytica, *c.* — *Contrad. m.* — Quare isti conceptus ii sunt, ex quibus efflorescunt iudicia illa universalia, quae diximus in log. crit. Th. XXXII) haberi per inductionem imperfectam, etiam in una vel paucis rebus habitam. Atque adeo etiam hic apparet intrinseca ratio propositionis, quam ibi tuiti sumus. Nam, ut idem melius declaremus, quando intellectus efformat conceptum substantiae, nempe ut *aliquid quod habet esse in se*, simul videt quod concipere substantiam idem est ac concipere id quod habet esse in se, quum illi duo conceptus idem omnino exhibeant, et unus formaliter in altero reperiatur. Iamvero haec omnia intellectus apprehendit per immediatam abstractionem a phantasmate, non autem per analysim. Imo ex istis conceptibus exoriuntur iudicia analytica; ac proinde hoc iudicium : *substantia est id quod habet esse in se*, est analyticum, imo strictiori sensu, quum praedicatum formaliter in subiecto reperiatur; at conceptus, quibus constat, non habiti sunt per analysim, sed per immediatam abstractionem a phantasmate, in qua intellectus etiam apprehendebat illos conceptus simul inveniri, vel eandem repraesentare rem.

IV. Isti conceptus dicunt perfectiones necessario inter se coniunctas. Atqui in phantasmate omnes perfectiones sunt contingentes. Ergo illi nequeunt abstrahi. — *R. D. M.;...* inquantum spectantur abstractae a principiis individuantibus et *ab esse reali*, *c.;* simul cum istis, *n.* — *Contrad. m.;* quoad esse reale,

quod possunt habere vel non, *c.;* quoad relationem, quam ad invicem important, *n.* — Et hic idem dicendum, quod de simplicibus conceptibus innuimus (n. 280, III). Ad praeterea ratio, cur illi conceptus perfectiones necessario inter se coniunctas exhibeant, in eo est, quod ipsi plenam *identitatem* non modo materialem sed praesertim formalem includant, quum eandem omnino rem exprimant. Confer log. crit. n. 158 (1).

298. **Coroll** I. — *Ergo iudicia habita per istos conceptus fundamentum constituunt definitionum essentialium rerum.* — In istis enim exprimuntur perfectiones illae simpliciores ac communiores, quae inveniuntur in conceptu aliquo composito. Atqui, uti modo vidimus, conceptus illi compositi enascuntur et a nobis efformantur praecise per abstractionem superius explicatam. Ergo. — Hinc colligitur: — *a*) cur *definitiones non probantur, sed declarantur;* quia oportet ostendere, quasnam perfectiones simplices quis coadunat in aliquo conceptu composito. — Hinc *b*), si quis definit aliquem conceptum determinatum cum proprio nomine iam apud homines usitato, debet ostendere quod homines per illum conceptum intelligunt unionem illarum perfectionum, quas ipse in definitione ponit; ac proinde tunc definitiones nullo modo ex arbitrio confici queunt. — *c*) Hinc etiam elucet intima ratio legum definitionis, quae in dialectica (v. n. 77, 78) tradi solent.

II. *Ergo iudicia synthetica praecedunt analytica eisque materiam praebent.* — Nequit enim analysis iudiciorum institui, uti mox videbimus, nisi praecedat existentia conceptuum compositorum, qui eis materiam praebeant. Atqui isti efflorescunt ex synthesi modo descripta. Ergo.

III. *Ergo nunc evidentius patet, quomodo ex inductione incompleta etiam minima haberi possint iudicia certa, uni-*

(1) Ergo patet quomodo intellectus potest simul plura intelligere primo et ex consequenti, ut ait S. Th., in Quodlib. VII, a. 2. Siquidem postquam intellectus per unum vel plura iudicia simul composuerit plures simplices conceptus, novum efformat perfectiorem, qui omnes perfectiones ab eis repraesentatas simul repraesentat, et ita etiam novum adinvenit vocabulum quod illum novum conceptum exprimat, omnes illas perfectiones simul exhibentem. Atqui per illum novum conceptum intellectus revera plura intelligit *primo et consequenti: primo* quidem quia ipse omnes simul repraesentat, *ex consequenti*, quia ipse efformatur consequenter ad iudicia componentia. Confer cetera quae S. Thom. ibid. clare exponit.

versalia ac necessaria; ea quae praesertim in 1ª et 2ª classe recensuimus in log. crit. Th. XXXII. — Iudicia enim superius memorata sunt procul dubio certa, necessaria, semper eadem ac proinde universalia. Atqui ista habentur per simplicem abstractionem ex una tantum experientia habitam, quae est initium inductionis; si autem haec experientia aliquoties repetitur, statim elucet, illa iudicia locum habere in pluribus rebus, et sic apparet existere etiam in rebus istam naturam universaliter, seu in pluribus rebus multiplicatam, in quibus eae perfectiones, quibus conceptus compositus constat, simul coniunctae reperiuntur.

Advertendum tamen est, quod illa experientia nullo modo sufficit ad determinandum, utrum conceptus ille compositus perfectiones praeseferat, quae naturam constituant *entitative unam* seu simplicem, vel *compositione* unam, vel *per accidens* unam. Ita, e. g., quando intellectus abstrahit a phantasmate hos conceptus: *aliquid, habens esse in se, diffusum* in longum, latum ac profundum; et hoc exprimit iudicium: *hoc est aliquod habens esse in se, diffusum...* et illi subiecto nomen imponit *corpus*: prorsus ignorat utrum *illae perfectiones* seu *corpus* dicat in rebus entitatem simplicem vel compositam, vel tantum per accidens unam. Et hoc in causa est, cur quaestiones de obiectivo valore conceptuum seu de existentia entitatis, quae eis respondeat, facillimae sint; dum contra quaestiones de unitate vel de multiplicitate ipsius entitatis, ac proinde de *distinctionibus realibus*, difficiliores sint, et haud raro controversae inter doctos philosophos, praesertim inter scholasticos (1).

299. **Vitium doctrinae Kantii.** — *Ergo clarius nunc apparet vitium methodi Kantii, qui prius originem conceptuum compositorum et iudiciorum quam conceptuum simplicium, solvendam aggreditur;* — et ideo ipse reponit totum negotium criticae rationis purae in investiganda natura *iudiciorum syntheticorum a priori*, quae putat esse veluti fontem omnium scientiarum nostrarum. Hoc eius vitium iam deteximus in log. crit. in Th. XXIII initio, praestat ipsum nunc iterum configere. Kant animum primo vertit ad inquirendum, quomodo in nobis inveniun-

(1) Criteria ad has controversias dirimendas exposita fuerunt in *Metaph. gen.* nn. 103-110, et semper prae oculis habenda sunt.

tur quaedam iudicia necessaria et universalia, quin experientia universalis praecesserit, seu quin habita sit inductio completa. Et quando ponit quaestionem: «utrum in nobis habeatur cognitio independens sive ab experientia, sive etiam ab omni impressione habita per sensus» (1): manifesto loquitur de cognitione, quae per iudicia componentia comparatur, uti patet ex exemplis ac declaratione, quae deinceps addit. Et in paragrapho II ait, experientiam nil aliud nos docere nisi, quid *aliquid hoc vel illo modo se habeat*, si autem aliqua propositio (ein Satz) vel iudicium a mente concipitur, quod aliquam necessitatem praeseferat, ipsum erit *iudicium a priori* (2). Item statuit, quod ex experientia nequit haberi nisi universalitas iudiciorum relativa et arbitraria; et concludit: Necessitas et vera universalitas iudiciorum sunt signa certa cognitionis *a priori*. Et in paragrapho III asserit: «Philosophia indiget scientia, quae possibilitatem, principia ac totum campum cognitionis *a priori* definiat» (3).

Iamvero contra eum advertimus hoc problema, ut ab eo proponitur, non posse ullo modo legitime solvi, quum tenebris obvolutum relinquatur aliud problema, cuius solutio absolute necessaria est, ad intelligentiam ac solutionem illius: sicut frustra omnino quis conaretur extruere tecta vel parietes alicuius domus, spreto eius fundamento. Ac proinde nil mirum, si Kant in conclusionem devenit, quae longe a veritate aberrat.

Falsa eius methodus reiicitur. — Et sane cognitio nostra intellectiva incipit a simplicibus conceptibus, perficitur ac completur per iudicia, ut quisque evidenter in se experitur, et patet ex ipsis terminis. Cognitio enim nostra est veluti totum integrale, quod pedetentim perficitur ex additione partium, et istae nil aliud sunt nisi simplices conceptus, qui, mediantibus iudiciis, simul coniunguntur, ac nostram augent cognitionem. Quare quum Kant quaerit: *habeturne in nobis cognitio independens ab experientia? — Resp.*: — hic duplex secernenda est quaestio: 1ª est: *habenturne simplices conceptus independentes ab experientia vel etiam a simplici sensili impressione?* et huic respondemus: *negative*. Primi enim ac simplices conceptus habentur per abstractionem a rebus sensibilibus. — 2ª est: *habenturne conceptus compositi et iudicia independenter ab experientia?* et respondemus: primi conceptus compositi ac prima iudicia sunt certe ab experientia, uti exposuimus. Possunt tamen haberi alii conceptus compositi et iudicia sine experientia, at ista, uti mox

(1) *Critik der r. Vern. Einleitung.*, p. 33.

(2) «Erfahrung lehrt uns zwar dass etwas so oder so beschaffen sei, aber nicht dass es nicht anders sein könne. Findet sich also erstlich ein Satz, der zugleich mit seiner Notwendigkeit gedacht wird, so ist er ein Urtheil *a priori*» (ibid. p. 34) nempe habitum sine experientia.

(3) «Die Philosophie bedarf einer Wissenschaft, welche die Möglichkeit, die Principien und den Umfang aller Erkenntnisse *a priori* bestimmt» p. 37.

investigabimus, nonnisi dependenter ab illis prioribus comparari queunt: tales sunt conceptus *Dei, libertatis, immortalitatis*, quos praesertim Kant ibid. commemorat, et quos per haec alia iudicia adipiscimur. Sed quoniam et ista fiunt dependenter a prioribus, recte dici potest, quod saltem remote et indirecte ab experientia pendent.

Et ita fundamentum prorsus subdūcitur totius operis Criticae rationis purae: quam dicit esse scientiam illam, qua indiget philosophia, ad possibilitatem, principia et campum cognitionis *a priori* definiendum.

Nos potius dicimus, quod philosophia indiget scientia, quae scrutetur prius originem simplicium ac dein compositorum conceptuum, iuxta ea quae antea statuimus.

Ut nunc gradum faciamus oportet ad alium exquirendum fontem conceptuum compositorum, qui *analysis* vocatur.

Thesis LIX.

Alia via ad cognitionem perficiendam est analysis, in qua simul conferendo priora iudicia per experientiam habita, ope principii identitatis ac discrepantiae, alios conceptus compositos, et, ope principii causalitatis, conceptus omnino novos nobis comparamus.

300. **Status quaestionis.** Analysis, de qua nunc loquimur, in eo est quod intellectus *duos conceptus simul comparando, advertit unum necessario cum altero convenire vel non*, in quantum percipit unum conceptum repraesentare aliquam perfectionem, quae vel in rebus existentibus extra mentem, necessario coniuncta sit cum perfectionibus alterius conceptus, ac proinde illi duo conceptus *identitatem non modo materialem sed et formalem praeferunt;* vel haec sunt necessario seiunctae, et tunc illi conceptus exhibent *formalem discrepantiam*. Iudicia, quae enascuntur, affirmativa vel negativa, appellantur *analytica*.

Hinc facile colligis: 1° analysis institui nequit nisi intellectus duos gerat conceptus, quos inter comparationem statuit. Et si cui forte videtur, posse ex uno conceptu, ope analysis, alium in eo contentum eruere, et iudicium analyticum efformare: hoc eatenus accidit, quia ipse iam in intellectu seu in memoria intellectiva alium servabat. Et

tunc actu illum concipit et cum alio comparat. Quando autem adhibetur principium causalitatis, tunc utique dici potest, quod ex analysi unius conceptus deducitur alius, sed praerequiruntur semper quaedam iudicia. — 2° Ergo analysis vel eo spectat, ut unum conceptum ex alio eruamus, vel, quando utrumque conceptum iam in mente habemus, eo tendit, ut ipsos simul componamus et *novum conceptum compositum* nos adipiscamur, qui ex experientia hauriri nequit. — 3° Hinc patet quod analysis est vera via ad habendos conceptus *a priori* seu independenter ab experientia, et consequenter etiam iudicia *a priori*. Sed quoniam analysis praesupponit experientiam, et fit dependenter ab ista, illa nunquam simpliciter *a priori* in nobis adsunt. — 4° Quocirca iste conceptus compositus eatenus est obiectivus, quatenus obiectivi erant alii conceptus, qui ipsum conflant, et antea habiti consequenter ad sensuum cognitionem.

Tandem principia identitatis, discrepantiae et causalitatis iam in logica explicata sunt, postea autem videbimus, quomodo et ipsa oriantur: modo asserimus, quod, istis praesuppositis, facile est analysim instituere.

301. **Prob. I p.** — Postquam intellectus per experientiam, uti antea explicavimus, quaedam iudicia efformaverit, quibus conceptus quosdam compositos statuit, potest simul illos conferre, et videre, quod in uno conceptu composito est aliqua perfectio, quae in alio etiam reperitur. Atqui tunc intellectus ope principii identitatis potest illa duo subiecta simul coniungere, et novum efformare conceptum compositum. Ergo. — Quoad *Maiorem* sufficit afferre quaedam exempla. Intellectus enim prius e. g. haec iudicia confecerat: *substantia est id quod habet esse in se*: et *corpus est id quod habet esse in se diffusum in longum, latum et profundum*. Nunc autem ipsa simul comparando, videt perfectiones substantiae omnes inveniri in corpore, et quasdam perfectiones corporis esse in substantia. Hinc, ut asserimus *in minori*, intellectus, vi principii identitatis, dicit: *omne corpus est substantia, aliqua substantia est corpus*.

Item eruitur, quod in substantia est aliqua perfectio corporis, et alia non, ergo aliqua substantia debet esse cor-

pus, et alia non. Et ita intellectus magis complet ac perficit conceptum corporis, in quo melius distinguit rationem substantiae, quae est communior, et rationem propriam corporis, quae aliquid addit supra priorem.

Idem evidentius apparet in mathesi, in qua unitates exprimunt conceptus simplices, et numeri conceptus compositos. Intellectus enim habet conceptum numeri 4 qui aequat 1+1+1+1, et conceptum numeri 2, qui aequat 1+1, et simul illos comparando, videt numerum 4 continere bis 2 et efformat iudicium 4=bis 2 seu 2+2. Quare hic evidentissime patet contra Kant, quomodo omnia iudicia mathematica rite omnino per analysim comparari possint; suppositis simplicibus conceptibus unitatum.

Prob. II p. — Sensus haud raro experiuntur aliquam rem tamquam de novo existentem seu productam, vel tamquam ex uno in alium statum mutatam, seu, ut dici solet, experiuntur aliquod *novum phaenomenon*, et tunc intellectus istud profert iudicium: *hoc est novum phaenomenon*. Atqui ipsum analysi subiiciendo, ope principii causalitatis, intellectus deprehendit existentiam alicuius rei, quae ipsum produxit, quam *causam illius* nominat, et ita novum acquirit conceptum. Ergo — *Pr. m.* — Aliquid de novo existens, vel aliquid productum, necessario exigit aliquam rem, a qua producatur, uti patet, tum ex ipso verbo: *productum ab aliquo*, tum ex experientia omnibus communi, quia omnes quando audiunt *aliquid esse productum*, illico quaerunt: *a quo?* Ergo ex novo phaenomeno recte arguitur existentia causae, imo etiam quaedam eius natura, inquantum ipsa habere debet aliquo modo illam perfectionem, quam novo phaenomeno communicat.

302. **Dices**: I. Analysis, ut advertit Kant, fit per comparationem inter duos conceptus, non autem inter conceptum et rem. Atqui ex tali comparatione haberi nequit novus conceptus obiectivus. Ergo. — *R. D. M.;*... inter conceptus spectatos praecise ut repraesentantes res, *c.;* independenter ab hoc, *n.* — *Contrad. m.*... Distinctio patet, si recolitur explicatio superius allata: ex qua iterum patet ratio, cur Kant a veritate aberraverit.

II. Per analysim vel simul componuntur duo conceptus, qui iam habentur, vel aliquis conceptus reperitur esse in alio. Atqui in utroque casu nullus novus habetur conceptus. Ergo. — *R. C.*

M.; et *D. m.*: nullus habetur novus conceptus diversus omnino *a* prioribus, *c.*; nullus conceptus, qui perficit cognitionem per priores habitam, *n.* Nam quando intellectus simul componit duos conceptus, quos iam habet, quia videt illos eandem repraesentare rem, et unum efformat, suam cognitionem certe perficit; quippe quae melius et magis determinate rebus respondet, magisque utilis ipsi homini evadit. Ita qui cumulum habet lapidum eosque rite componit ut domum extruat, quamvis nullum novum acquirat lapidem, novam tamen assequitur perfectionem ac maiorem ex eis utilitatem. Quando autem alium conceptum ex priori deducit, novum certe habet formaliter, quem prius tantum virtualiter possidebat, ac proinde iterum suam perficit cognitionem.

III. Quando unus conceptus in altero reperitur, aut intellectus hoc iam cognoscit, aut non. Atqui in primo casu inutile est illum per analysim deducere, in altero nunquam potest deducere. — *R. C. disiunct.*, et *eligo* 1^m *membrum cum distinct.*: et hoc cognoscit aut *formaliter* aut *virtualiter*, *c.*; tantum *formaliter*, *n.* — *Contrad. eodem modo* 1^m *membr. min.* — Et ita ruit ipsum fundamentum argumentationis Kantii. Nam si conceptus quidam tantum virtualiter alterum continet, tunc conceptus compositus non est omnino idem ac simplex, et ideirco iudicia analytica, uti sunt praecise ea, quae Kant *synthetica a priori* nuncupat, revera cognitionem perficiunt et augent.

IV. In conceptu rerum sensibilium nullo modo invenitur conceptus rerum insensibilium. Ergo nequit erui per analysim. — *R. D. A.*;... non invenitur formaliter seu explicite, *c.*; neque virtualiter seu implicite, *subd.*; si res sensibilis nullum nexum cum insensibili dicit, *c.*; si intimum cum ea servat nexum praesertim causalitatis, *n.* — Iamvero quando intellectus conceptum habet alicuius rei sensibilis, quam percipit tamquam de novo factam, necessario percipit, ipsam nexum habere cum alia re, a qua facta est, uti ostendimus. Hinc statim eruit conceptum illius rei, saltem ut est aliquid illam producens; deinde assurgit ad illius naturam investigandam, quippe quae saltem continere debet perfectionem, quam rei productae communicat. Inde invicit modum, quo eam habet, nempe a se, vel iterum ab alio, cum extensione vel sine ipsa, et ita semper per viam analysis manuducitur ad conceptum rei spiritualis sibi comparandum, uti clarum habebitur exemplum in theologia naturali.

V. Conceptus ex experientia habiti non repraesentant nisi phaenomena. Atqui ista nullum exhibent nexum cum rebus spiritualibus. Ergo. — *R. D. M.*;... phaenomena exclusive, *n.*; ut existentia in noumenis atque ab eisdem quoque producta, *c.* — *Contrad. m.*; sola phaenomena ut talia, *transeat*; ut existentia in noumenis vel ab eis producta, *n.* — Phantasma enim, ex quo intellectus conceptus haurit experimentales, non repraesentat *impressionem* seu *apparitionem* vel *phaenomenon ut sic in*

se, sed *impressionem alicuius rei*, vel melius *rem facientem impressionem* inde intellectus abstrahit conceptum *impressionis rei*, vel *rei facientis impressionem*. Ac proinde necessario cum cognitione phaenomeni et noumenon percipit.

303. **Coroll** I. — *Ergo nunc evidentius apparet, non esse admittenda iudicia synthetica a priori, sed ea esse vere analytica.* — Kant vero non valuit hoc deprehendere, quia ipse conceptus compositos et iudicia inspexerit, eorumque originem investigandam curaverit, antequam originem ac rationem conceptuum simplicium rimandam adniteretur. Ita e. g. quando ipse hoc fecit iudicium: 3+4=7; potuisset faciliter invenire praedicatum necessario subiecto inesse, si utrumque conceptum compositum in simplices, quibus constat, resolvisset. At ipse simpliciter inspexit hos conceptus: 3, 4, 7, tamquam simplices et dixit in 3 et 4 non invenire 7. Ergo iterum iterumque apparet rationem falsitatis systematis Kantii ex eo esse repetendam, quod ipse neglexerit ante omnia investigare originem ac naturam simplicium conceptuum.

II. — *Ergo conceptus et iudicia, quibus in omnibus scientiis realibus utimur, quam maxime oriuntur ex analysi.* — Et revera omnes conceptus et iudicia, quibus in scientiis utimur, sunt certe universalia, uti in log. advertimus. Atqui huiusmodi conceptus et iudicia non modo per experientiam et inductionem, sed quam maxime per analysim comparantur, imo eo plus in scientiis progredimur, quo plus ac melius istis utimur iudiciis. Ergo.

III. — *Ergo positivismus non modo in se falsus est, sed plenam infert necem omnibus scientiis realibus.* — Positivismus enim contendit, nihil esse admittendum, nisi quod per sensus experimur. Hinc philosophiam definit *scientiam rerum tantum sensibilium*. Atqui possumus per analysim cognitionem nobis comparare etiam rerum immaterialium. Ergo. — Quare contra eos ita possumus redarguere. Certum est, dari scientias reales, quae a viris doctissimis et ab ipsis positivistis excoluntur. Atqui illae necessario analysim adhibere debent, qua iudicia et conceptus universales acquirant. Ergo analysis admittenda est tamquam vera via ac necessaria ad conceptus acquirendos. Atqui huiusmodi conceptus sunt abstracti et saepe res insensibiles repraesentant. Ergo falsum est, quod nihil sit admittendum, nisi quod per sensus experimur.

304. **Scholion** I. *De modo, quo primo intellectus efformat principia identitatis et causalitatis.* — Primo per experientiam seu per abstractionem a rebus sensibilibus habet conceptus, quibus ipsa constant, et deinde percipit illos esse necessario inter se coniunctos. Et sane quoad principium identitatis res patet. Ipsum enim ita enunciatur: *quae con-*

veniunt uni tertio conveniunt inter se; scilicet, quando habeo duos conceptus, qui repraesentant aliquam rem repraesentatam per tertium conceptum, tunc ipsi cum eo identificantur seu conveniunt, ac proinde etiam inter se conveniunt.

Pariter iudicium causalitatis ita enunciari solet: *quicquid fit, vel de novo est, causam sui habet.* Porro intellectus primo abstrahit a rebus conceptum alicuius rei, quae *de novo est*, et videt ipsam non dicere in se et necessario esse, secus necessario et semper existeret, ergo exposcit aliam rem, a qua habeat esse. Et quoniam *omne quod de novo est* semper ac necessario aliam rem, quam *causam* appellamus, expostulat, iure principium illud causalitatis statuitur uti necessarium et universale.

305. **Scholion** II. *Quomodo perficiatur cognitio alicuius determinatae quidditatis specificae.* — Primo dicimus eam *non abstrahi statim a phantasmate.* — Requiruntur enim multi conceptus, multaque iudicia ac ratiocinia, ut appareat, quaenam perfectiones communes sint necessario simul coniunctae, quaenam non; quaenam sint substantiales et quaenam accidentales, imo saepe multae solvendae sunt controversiae multaeque difficultates dissiciendae. Ita e. g. ut possim abstrahere a phantasmate Petri vel alterius individui essentiam speciei hominis, ut eam superius descripsimus, necesse est ostendere illas perfectiones esse necessario simul coniunctas, esse substantiales vel saltem necessario exigi a substantia, inde qua ratione ipsae simul coniunctae sint..., et ita porro... — Hinc secundo dicendum est, nos non habere plenum et adaequatum conceptum speciei e. g. *humanae*, nisi postquam absolvimus omnes quaestiones, quae in psychologia pertractantur, cuius ultimus finis in eo est, ut plenam essentiae hominis cognitionem nobis comparemus. — Unde etiam patet, *cur difficile sit species valde affines inter se rite distinguere.* Differentiae enim specificae patent praesertim per activitatem diversam, quam praeseferunt. Atqui activitas istarum specierum non semper apparet valde diversa, nisi sola excipiatur generatio. Ergo si nulla alia in ea habetur diversitas, nullum aliud videtur adesse criterium ad istas inter se distinguendas.

306. **Scholion.** III. — *Quomodo anima cognoscat seipsam. — Resp. — Non cognoscit seipsam immediate sed mediate per suos actus.* — Hoc punctum clare omnino explicat S. Th., distinguens inter cognitionem habitualem et actualem propriae cuiusque animae. Et primo cum ipso dicimus : « Nullus potest cogitare, se non esse, cum assensu; in hoc enim, quod cogitat, percipit se esse » (1). Ergo quisque certo omnino cognoscit se esse. At quoniam naturas et essentias rerum non cognoscimus nisi per operationes, naturam etiam nostri ipsius et animae nostrae per eius operationes cognoscere debemus.

Porro, ut idem S. D. ait (2) cognoscere aliquid potest dupliciter contingere : *habitu* et *actu*. Quantum igitur ad actualem cognitionem, qua aliquis considerat se in actu animam habere; sic dico, quod anima cognoscitur per actus suos. In hoc enim aliquis percipit se animam habere, et vivere et esse, quod percipit se sentire et intelligere, et alia huiusmodi vitae opera exercere »...

Et quoniam ea nequit haec opera exercere seu producere, nisi iis perfectionibus constet, quae valeant ea producere, inde eruimus has perfectiones, quae intrinsece animae naturam constituunt.

« Sed quantum ad cognitionem habitualem, sic dico quod anima per essentiam suam se videt, idest ex hoc ipso quod essentia sua est sibi praesens, est potens exire in actum cognitionis sui ipsius; sicut aliquis ex hoc quod habet alicuius scientiae habitum, ex ipsa praesentia habitus est potens percipere illa, quae subsunt illi habitui. Ad hoc autem quod percipiat anima se esse, et quid in se ipsa agatur attendat, non requiritur aliquis habitus; sed ad hoc sufficit sola essentia animae, quae menti est praesens : ex ea enim actus prodiuntur, in quibus actualiter ipsa percipitur ».

Nunc aliquid innuendum de intrinseca natura horum actuum, quibus huiusmodi conceptus nobis comparamus; ita perfectius patebit natura et essentia tum facultatum operativarum, tum ipsius substantiae animae.

(1) *De Verit.*, q. X, a. 12, ad 7.
(2) *De Verit.*, q. X, a. 8.

Thesis LX.

Intellectio est operatio vitalis immanens in genere qualitatis, quae realiter distinguitur ab intellectu, a quo procedit, et cuius terminus est species expressa seu verbum.

307. **Status quaestionis.** — Quum intellectus actuatur seu determinatur a specie impressa, abstracta a phantasmate per illuminationem intellectus agentis, statim sequitur *intellectio*, nempe *actus formaliter cognoscitivus productus ab intellectu possibili* (v. n. 161). Et quoniam omnis actus cognoscitivus sit vitalis (n. 148, II), manens proinde in eodem principio, a quo procedit, nunc quaeritur, quaenam sit eius natura, et quomodo actuet illud principium, a quo elicitur. Et dicimus ipsum non esse in genere *actionis*, nam ut vidimus in Cosmologia, praedicamentum actionis oritur ex *actione transeunte*, et quam semper comitatur motus physicus, procedens a patiente in passum.

Ac proinde ea esse debet in genere *quantitatis*, sicut omnis operatio immanens (n. 16). Haec autem, quamvis actuet seu informet intellectum ipsum, a quo elicitur, et sic habetur, quod *intellectus in actu* evadat *ipsum intellectum in actu*, nihilominus ab eo realiter distinguitur, sicut omnis operatio etiam immanens realiter distinguitur a potentia; a qua procedit (Th. II).

Iamvero munus proprium huius qualitatis, seu terminus, in quem tendit intellectio, est *reproductio intentionalis obiecti cogniti* (n. 144, 145); hic terminus vocatur *species expressa* seu *verbum*. Praestat igitur rationem huius verbi perscrutari, ut clarius pateat eius relatio cum ipsa intellectione (n. 165).

308. **Quid species exspressa seu verbum.** — *Species expressa* perinde est ac *similitudo intentionalis, quae exprimit rem cognitam*, ideoque est ipsa species intentionalis (de qua saepe locuti sumus, n. 156, th. XXIX, et XXX), spectata in ultimo suo complemento. *Verbum* autem, ut advertit S. Th., desumitur a verbo ore prolato, quod exterius exprimit seu significat illam intentionem mentis. « Quia verbum exterius, ipse ait (1), cum sit sensibile, est magis notum nobis quam interius, secundum nominis impositionem per prius vocale verbum dicitur verbum, quam verbum interius, quamvis verbum interius sit prius, utpote exterioris causa efficiens et finalis ».

Imo paulo post triplex verbum distinguit: « Scilicet — id quod per intellectum concipitur, ad quod significandum verbum exterius profertur; et hoc est verbum cordis (i. e. mentis) sine voce prolatum (seu ipsum verbum mentale seu similitudo rei in-

(1) *De Veritate*, q. IV (de Verbo) a. 1; cfr. etiam *S. Th.*, p. I, q. 34, a. 1.

lentionalis expressa per intellectionem) : — item exemplar exterioris verbi, et hoc dicitur verbum interius, quod habet imaginem vocis (nempe est ipsum phantasma verbi vocalis, quo diximus (n. 251, I p.) indigere saepe intellectum ad intelligendas praesertim res immateriales) : — et verbum exterius expressum quod dicitur verbum vocis » seu vocabulum quod est significativum ad placitum, et ideo idem verbum mentale potest exprimi per diversa verba vocis. Et idcirco ipse prosequitur « verbum vocis, quia corporaliter expletur, de Deo dici non potest nisi metaphorice... Sed verbum cordis, quod nihil est aliud, quam id quod actu consideratur per intellectum, proprie de Deo dicitur ». Unde Augustinus ait (1). « Quisquis potest intelligere verbum non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione involvantur, iam potest videre aliquam verbi illius similitudinem, de quo dictum est : *in principio erat Verbum* ».

Quid conceptio intellectus : — idem est ac verbum, uti accepimus in testimonio allato in n. 165 in fine. « Quae quidem intellectio, ut S. Th. ibid. ait, differt a *re intellecta*, quia... conceptio intellectus ordinatur ad rem intellectam sicut ad finem: propter hoc enim intellectus conceptionem rei in se format, ut rem intellectam cognoscat. Differt autem a specie intelligibili (i. e. impressa) nam species intelligibilis, qua fit intellectus in actu, *consideratur* ut principium actionis intellectus... Differt autem ab actione intellectus : quia praedicta conceptio *consideratur ut terminus actionis, et quasi quoddam per ipsam constitutum.* Intellectus enim sua actione format rei definitionem, vel etiam propositionem affirmativam seu negativam. Haec autem conceptio in nobis proprie verbum dicitur... Huiusmodi ergo conceptio sive verbum, qua intellectus noster intelligit rem aliam a se, ab alio exoritur et aliud repraesentat. Oritur quidem ab intellectu per suum actum, est vero similitudo rei intellectae. Cum vero intellectus seipsum intelligit, verbum praedictum, sive conceptio, eiusdem est propago, et similitudo scilicet intellectus seipsum intelligentis. Et hoc ideo contingit, quia effectus similatur causae secundum suam formam; forma autem intellectus est res intellecta. Et ideo verbum quod oritur ab intellectu, est similitudo rei intellectae, sive sit idem quod intellectus, sive aliud. Huiusmodi autem verbum nostri intellectus, est quidem extrinsecum ab esse ipsius intellectus (non enim est de essentia, sed est quasi passio ipsius), non tamen est extrinsecum ab ipsius intelligere intellectus, cum ipsum intelligere compleri non possit sine verbo praedicto » (2).

(1) *De Trinitate*, l. XV, c. X, a. med.

(2) Ex hac doctrina ipse eruit pulcherrimam explicationem processionis Verbi in divinis, quam placet referre in utilitatem eorum qui theologiae studio operam daturi sunt. « Si ergo, ipse prosequitur, aliquis intellectus sit cuius

Unde *species expressa* seu *verbum* ita cum Toleto (1) describi potest: « *est similitudo rei intellectæ, ab intellectu per intellectionem immediate expressa, qua res cognoscitur et manifestatur* ».

Quare hoc verbum est id, in quo res exprimitur, vel melius est *ipsa res intellecta*, spectata formaliter qua intellecta. Placet iterum audire S. Th. (2). « Sicut in principio actionis intellectus et species non sunt duo, sed unum est ipse intellectus et species illustrata (nempe *est intellectus determinatus a specie*); ita unum in fine relinquitur, similitudo scilicet perfecta, genita et expressa ab intellectu: et hoc totum expressum est verbum, et est totum rei dictae expressivum, et totum in quo res exprimitur, et hoc intellectum principale (seu *id quod de re intelligitur*), quia res non intelligitur nisi in eo. Est enim tamquam speculum, in quo res cernitur, sed non excedens id, quid in eo cernitur ».

Et paulo post ait: « verbum nostrum semper est in continuo fieri, quia perfectum esse suum est in fieri (i. e. in actu intellectionis dum ipse fit)... Non enim transit formatio verbi, ipso formato, sed *cum actu intelligitur continue formatur verbum*, quia semper est ut in fieri, et ut in egrediendo ab alio, scilicet a dicente ».

Praeterea hoc verbum minime gignitur per actum reflexum sed per actum directum, quia intellectus, statim ac determinatur a specie impressa, ponit actum intellectionis, et ideo « *prius natura* est informari (a specie impressa) quam intelligere, sed *non tempore* », quia statim ac habetur species, intellectus cognoscit, et efformat verbum, *in quo quidditas rei recipitur, imo ipse intellectus est quiditatis similitudo*.

Quapropter intellectio, considerata praecise inquantum producit verbum, nuncupatur *dictio*. « Nam, ut ait S. Th. (3), intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quaedam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectae... Sed *dicere* importat princi-

intelligere sit suum esse, oportebit quod illud verbum non sit extrinsecum ab esse ipsius intellectus, sicut nec ab intelligere. Oportet ergo quod eius verbum non sit extra essentiam eius, sed ei coessentiale. Sic ergo in Deo potest inveniri origo alicuius ex aliquo, scilicet verbi, et proferentis verbum, unitate essentiae servata. Ubicumque enim est origo alicuius ab aliquo, ibi oportet ponere realem relationem vel tantum ex parte eius quod oritur, quando non accipit eandem naturam, quam habet suum principium, sicut patet in exortu creaturae a Deo; vel ex parte utriusque, quando scilicet oriens attingit ad naturam sui principii, sicut patet in hominum generatione, ubi relatio realis est et in patre et in filio. Verbum autem in divinis est coessentiale suo principio, ut ostensum est ». Quaest. disp. *De Pot.*, q. VIII, a. 1.

(1) In *S. Theol.*, q. XXVII, art. 1, q. 1; cfr. si placet integram eiusdem explicationem.

(2) Opuscul. XI, *De Natura verbi intellectus*.

(3) *C. Gentes*, l. IV, c. 11.

paliter habitudinem ad verbum conceptum. Nihil enim est aliud *dicere*, quam proferre verbum ».

309. **Prioritas verbi et intellectionis.** — Cum verbum sit terminus intellectionis, dicendum erit, intellectionem esse priorem natura quam verbum: si nempe intellectio inspicitur formaliter ut *dictio*. Sed verbum est etiam id, in quo res cognoscitur, seu est veluti obiectum intellectionis, et tunc debet esse prius natura, quam ipsa inspecta formaliter uti cognitio. Quare ut haec duplex et opposita prioritas rite intelligatur, adverte; quod *a*) prius est intellectus informatus *specie impressa* ab obiecto producta, et ita habetur *intelligere in radice* seu in actu primo; dein — *b*) sequitur intellectio, ut dictio seu cum productione verbi, quod est terminus cognitionis: — inde *c*) habetur intellectio prout est formaliter cognitio. Quare quamvis *dictio*, *verbum* et *intellectio* sint simul tempore, prius tamen natura est dictio dein verbum, postea intellectio prout est formaliter cognitio: « Est de ratione interioris verbi, ait S. Th. (1), quod est intentio intellecta, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere, quum sit *quasi terminus intellectualis operationis;* intellectus enim intelligendo concipit et format intentionem sive rationem intellectam, quae est interius verbum »: quo posito intellectus formaliter cognoscit. Quare intellectio, prout est formaliter dictio, dicit ordinem ad verbum, quod producit; prout est formaliter intellectio est cognitio rei in verbo repraesentatae. Si vero nulla adest dictio, tunc habetur solum intellectio, ut formaliter cognitio rei prout est in se. Istis praestitutis, ad probationem deveniamus.

310. **Prob. I p.** — Intellectio est vera cognitio, omnibus omnino fatentibus. Atqui omnis cognitio est operatio manens, in ipso cognoscente, a quo producitur (Th. XXVI, n. 147). Ergo est operatio vitalis immanens.

Prob. II p. — Omnis operatio vitalis, quum sit immanens, est in genere qualitatis. Atqui intellectio est operatio vitalis. Ergo est in genere qualitatis.

Praeterea intellectio est operatio spiritualis, procedens a facultate spirituali (Th. XLI). Atqui operatio spiritualis est necessario in genere qualitatis. Ergo. — *Pr. m.* — Operatio spiritualis, quum fiat sine concursu materiae, fit etiam sine motu physico, uti patet. Atqui operatio sine tali motu nequit esse in genere actionis et passionis, uti liquet ex cosmologia (Th. XXXVI). Ergo.

(1) *S. Th.*, p. I, q. 34, a. 1, ad 3.

Prob. III p. — Intellectio est qualitas, quae producitur ab intellectu, tamquam a causa efficiente. Atqui omnis effectus realiter distinguitur a sui causa efficiente. Ergo.

Praeterea intellectio est aliquid in nobis transiens, quod ex eo patet, quod nos modo intelligimus modo non; et ad ponendam intellectionem debemus procedere de potentia ad actum. Intellectus autem est vis spiritualis fluens ex anima, et in ea permanens, sicut omnis facultas operativa. Atqui vis aliqua permanens realiter ac necessario distinguitur a qualitate transeunte, quae modo est, modo vero non (Th. II). Ergo intellectio distinguitur ab intellectu.

Prob. IV p. — Species expressa seu verbum est id quod exprimitur per ipsam operationem intellectivam, et repraesentat ipsum obiectum *actu intellectum*. Atqui hoc obiectum est praecise terminus intellectionis. Ergo verbum est terminus intellectionis.

Quare merito ait S. Th. (1). « Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae, ex eius notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox significat, et dicitur verbum cordis significatum verbo vocis ».

Insuper ut habeatur intellectio, sicut in initio requiritur obiectum *actu intelligibile*, et ad hoc adstruitur intellectus agens, (n. 273): ita in eius termino debet haberi obiectum *actu intellectum*, quo nempe intellectus est actu simile illi, a quo determinatus fuit ad actum intellectionis. Atqui sicut phantasma non erat actu de se intelligibile, ita neque esse potest id, in quod terminat intellectio, qua intellectus est actu similis suo obiecto intelligibili. « Hoc autem non esset, ait S. Th. (2), si per speciem rei tenderet intellectus in ipsam rem ut in se, sicut visus videt colorem extra se existentem. Sed quia intellectus accipiens speciem a re per sensus, non ducitur per ipsam in rem, ut est in sui natura, sed ut in se est, ipse facit in se obiectum, quod est in eo intellectum », i. e. terminatur in ipsum, ut est actu intellectum. Ergo requiritur terminus, qui nequit esse

(1) S. *Th.*, I p., q. XXVII, a. 1.
(2) Opusc. XI, *De natura verbi intell.*

res sensibilis seu phantasma, sed id quod vocatur verbum mentale.

Confirmatur ex comparatione cum parte sensitiva. « In parte sensitiva invenitur duplex operatio. Una secundum solam immutationem; et sic perficitur operatio sensus per hoc quod immutatur a sensibili. Alia operatio est informatio secundum quod vis imaginativa format sibi aliquod idolum rei absentis, vel etiam nunquam visae. Et utraque haec operatio coniungitur in intellectu. Nam primo quidem consideratur passio intellectus possibilis, secundum quod informatur specie intelligibili. Qua quidem informatus format secundo vel definitionem, vel divisionem, vel compositionem (i. e. conceptionem seu verbum mentis) quae per vocem significatur » (1). Nimirum sicut in sensibus habetur tum perceptio rei per sensum externum, tum eius reproductio intentionalis per phantasiam, quae ita percipit etiam res absentes; ita in intellectu per unam eandemque operationem tum intelligitur obiectum, tum ipsum intentionaliter reproducitur per eandem intellectionem, quod est eius terminus. Atqui verbum est praecise huiusmodi obiectum intentionaliter reproductum per intellectionem. Ergo. — Unde sequitur quod ipsum est tum terminativum tum repraesentativum rei (n. 165).

311. **Dices:** I. Si admittitur verbum, intellectio est cognitio rei tantum mediata. Atqui hoc admitti nequit. Ergo. *R. D. M.;... si* verbum repraesentaret aliquid distinctum ab ipsa re, *c.;* si est ipsa res intentionaliter repraesentata, seu actu intellecta, *n.* *Contrad. m.* Cum enim dicitur quod verbum est id, in quo res cognoscitur, putandum non est quod sit veluti pictura vel photographia, quae cognoscitur in se et simul facit innotescere rem per ipsam repraesentatam. Sed est ipsa res *intentionalis* seu actu cognita; quare intellectus dicendo verbum non cognoscit nisi rem actu intelligibilem factam. Et ideo verbum non est signum *instrumentale* sed *formale;* unde melius diceretur esse *id quo*, quam *id in quo* res cognoscitur (2).

II. Dictio producit verbum per ipsam operationem intellectivam. Atqui operatio intellectiva, quum sit cognitio, debet prae-

(1) *S. Theol.*, p. I, q. 85, a. 2, ad 3. Adverte tamen quod comparatio non est omnino completa in omnibus, iuxta ea quae advertimus in n. 221.

(2) Cfr. S. Th., I p., q. 8, a. 9, q. 14, a. 5; et *Cosmum Alemannum*, Summa phil. q. 60, a. 1, ad 5.

supponere obiectum suum et non producere. Ergo verbum nequit produci per intellectionem. — *R. D. M.;...* per operationem spectatam tantum ut transitum de potentia in actum, *c.;* spectatam formaliter qua est cognitio, *n.* — *Contrad. m.;...* spectata formaliter qua est cognitio, *c.;* qua est simplex operatio, *subd.;* praesupponit obiectum qua actu intelligibile ac determinans intellectum ad operandum seu cognoscendum, *c.*, qua actu intellectum ac positum in suo esse intentionali, *n.* — Quare prius *a*) requiritur obiectum actu intelligibile; dein *b*) determinatio intellectus seu species impressa: hinc *c*) sequitur operatio intellectiva, qua intellectus transit de potentia ad actum intellectionis et formaliter est dictio; inde *d*) sequitur verbum; ac tandem *e* habetur intellectio, quae est formaliter cognitio.

III. Intellectio est operatio vitalis. Atqui ipsa nihil producit. Ergo. — *R. C. M.;* — et *D. m.*: nihil producit extra, *c.;* neque manens in ipsa facultate, *n.* — Et primo dicimus cum S. Th. (1), ibi haberi « operationem in ipso operante manentem, per quam non fit aliud *praeter ipsum operationem, sicut videre* et *audire*. Huiusmodi enim sunt perfectiones eorum, quorum sunt operationes et possunt esse ultimae, quia non ordinantur ad aliquod factum (*i. e. operatum*, ut alii dicunt), quod sit finis; operatio vero vel actio, ex qua sequitur aliquid actum (*i. e. operatum*) praeter ipsam, est perfectio *operati*, non operantis, et comparatur ad ipsum sicut ad finem ». Unde apparet quod S. Th. excludit ab operatione immanente, et ab operatione cognoscitiva, aliquid quod sit *operatum*, vel *factum* vel *actum;* quod ab ea omnino distinguatur, sed saltem agnoscenda est ipsa operatio, quae certe est aliquid in ipsa facultate manens. Nunc autem si huiusmodi operatio est intentionalis repraesentatio rei, et quae dein manet, etiam quum operatio completa est, merito hic admittitur aliquid operatum, aliqua ratione distinctum ab ipsa operatione, et vocatur verbum mentis. — Quod ut intelligas, adverte, cognitionem speclari posse tum *in fieri*, tum in facto esse. Prior, quae etiam *actualis* dici solet, stat proprie in ipso actu, quem cognoscens ponit, quando intelligit; altera, quae dein *habitu* manet, constituitur per eundem actum, spectatum ut *qualitatem* informantem intellectum et repraesentantem rem, uti clarius mox patebit.

312. **Scholion. — De Distinctione verbi ab intellectione.** — Haec quaestio valde agitata invenitur apud recentiores scholasticos et quidam putant ipsum realiter distingui ab intellectione (2), imo non desunt, qui eo usque procedant, ut censeant, hanc distinctionem adeo esse necessariam, ut secus nequeat explicari ac rite intelligi mysterium Trinitatis. Alii vero tuentur, ipsum tantum *ratione*, vel ut eius *modum* (3), distingui ab intellectione.

(1) *C. Gentes*, l. I, c. 100.

(2) Cfr. inter alios praesertim Ioannes a S. Th., l. c., q. XI, a. I.

(3) Cfr. Suarez, *De Anima*, l. III, c. V.

Quoad S. Thomam plures censent ipsum agnoscere distinctionem realem, nonnulli vero existimant totam eius doctrinam de verbo plene intelligi posse, quin adstruatur distinctio illa realis. Nobis vero hoc saltem certum videtur, pro S. Thoma, sicut pro omnibus antiquioribus scholasticis e. g. S. Anselmo, B. Alberto M., S. Bonaventura, Scoto et etiam pro Patribus e. g. S. Augustino, et S. Ioanne Damasceno, hanc quaestionem et praesertim distinctionem realem non esse tanti faciendam. Quippe qui eam vel omittunt, vel ita loquuntur, ut nonnisi distinctionem rationis admittere ostendant. Ac proinde falsum omnino est, non posse rite explicari et intelligi mysterium Trinitatis, nisi distinctio illa realis adstruatur. Quae cum ita sint nos quoque asserimus cum P. Pesch (1) : « non censemus in hac re obscura quidpiam, quod omnino certum sit, statui posse. Rationes, quae ad probandam distinctionem realem proferuntur vim ineluctabilem habere nobis non videntur ». Et ideo hoc tuemur.

313. **Assertum. — Probabilius videtur, verbum distingui ab intellectione tantum ratione cum fundamento in re.** Et primo *non videtur distingui realiter*, quia nulla apparet ratio cogens, quae hanc distinctionem suadeat. Et sane istud verbum ad hoc statuitur, ut intellectus intentionaliter repraesentet rem, quam intelligit, eamque dein *habitu* conservet. Atqui talis repraesentatio habetur per ipsam operationem intellectivam, quae uti forma actuat intellectum, ac dein *habitu* manet. Ergo.

Praeterea, ut recte arguit Toletus (2), « duae formae numero (sed eiusdem speciei) non possunt esse in eodem subiecto immediate ». Atqui intellectio et verbum sunt eiusdem speciei, nempe *qualitatis intentionalis spiritualis*, quae distinguuntur ut operatio et eius terminus, sicut in re, quae calefit, distinguuntur calefactio et calor in ea productus. Ergo nequeunt esse duae formae distinctae.

Insuper dictio et intellectio, quamvis formaliter distinguantur, re tamen idem sunt. Ergo verbum realiter distingui deberet tum a dictione, tum ab intellectione. Atqui hoc repugnare videtur. Nam prius prioritate naturae habetur dictio, dein verbum, ac tandem intellectio. Sed intelligi nequit

(1) Loc. cit. n. 774.

(2) *S. Theol.*, p. I, q. XXVII, a. I, Prima conclusio, 5°. Cfr. etiam si lubet, alia eius argumenta, et praesertim 1um, in quo ostendit hanc esse sententiam Aristotelis.

quomodo *idem* actus possit esse natura prior et posterior aliqua entitate a se producta ac realiter distincta. Ergo aut dicendum, verbum non distingui realiter ab actu intelligendi, aut quod etiam *dictio* realiter distinguatur ab intellectione, quod diserte ab omnibus denegatur.

Tandem verbum istud certe esse debet aliquid vitale in intellectu existens. Atqui non datur nisi duplex esse vitale, ut diximus in n. 17, nempe esse, quo est substantia et facultas vivens, et esse ipsius operationis. Ergo esse verbi nullum aliud est quam esse operationis intellectivae, a qua proinde nequit realiter distingui (1).

Dices: I. Verbum est id in quo res cognoscitur, seu habet vicem obiecti, in quod terminat intellectio. Atqui ipsum realiter distinguitur ab intellectione. Ergo. — *R. D. M.:*... tamquam signum *instrumentale, n.;* tamquam signum *formale, c. — Contrad. m.* — Et revera si quis nimis urget hanc difficultatem, necessario in aliam incidit, superius solutam (n. 312, I), reddens nempe cognitionem intellectivam revera mediatam. Et ideo ibi innuebamus, melius dici verbum *id quo*, quam *id in quo res* intelligitur, ut clarius pateat, ipsum esse tantum signum formale. Istud enim nil aliud est, quam forma intentionalis repraesentativa rei intellectae, quae actuando intellectum reddit ipsum non modo similem ei, sed actu etiam intelligentem eam. Et ita intellectus iam determinatus a specie impressa, est simul dicens et intelligens, qua-

(1) Audias ad rem P. Schiffini, *Disp. Metaph.*, n. 300: « Non videtur ipsa species expressa esse res distincta ab actu intelligendi, sed una eademque res diversimode considerata. Ratio potissima, qua moveor ad hoc asserendum, haec est. Species expressa est aliquid per se vitaliter procedens ab intellectu. Vita autem non dicitur nisi dupliciter, videlicet de ipso esse substantiae viventis et de operatione inde progrediente. Cum itaque manifestum sit, speciem expressam non pertinere ad ipsum esse animae intellectivae, consequens est, ut sit propria operatio huc pertinens, scilicet ipsum intelligere ».

Hinc S. Tomas hoc modo probat, quod aliud sit esse intellectus nostri, et aliud esse speciei seu intentionis intellectae. « Cum enim, ait, intellectus noster seipsum intelligit, aliud esse est intellectus et aliud ipsum eius intelligere: substantia enim intellectus erat in potentia intelligens antequam intelligeret actu. Sequitur ergo, quod aliud sit esse intentionis intellectae, et aliud intellectus ipsius, *cum intellectionis intellectae esse sit ipsum intelligi* ». L. 4 *Contra Gentes.*, c. 11). Faciunt etiam in hanc rem testimonia, quibus S. Doctor negat actionem intelligendi terminari ad aliquid factum. « Actio, ait, quandoque terminatur ad aliquod factum, sicut aedificatio ad domum, et sanatio ad sanitatem: quandoque autem non, *sicut intelligere et sentire*. Et si quidem terminatur ad aliquod factum, impetus agentis per actionem tendit in illud factum: *si autem non terminatur ad aliquod factum, impetus agentis tendit in ipsam actionem* ». (*C. Gentes*. L. 3, c. 2).

tenus ita dicit verbum, ut simul per ipsum actuatus intelligat rem, per ipsum repraesentatam. Praestat audire etiam explicationem Suarezii (1). « Terminatio cognitionis ad obiectum non est materialiter intelligenda eo modo, quo intelligitur terminatio lineae ad punctum: sed est sumenda intentionali seu spirituali modo: *cognitionem* ergo *terminari ad rem*, nihil est aliud, quam *rem cognosci*, quod fieri potest etiamsi non existat, nedum absit. Sic enim amor terminatur ad rem amatam, prout in se esse potest, quamvis actu non existat; scientia etiam rosae ad ipsam rosam terminari dicitur obiective, quamvis ipsa rosa non existat: quando etiam cognoscitur ens rationis, non terminatur cognitio ad aliquam imaginem eius. *Actus* igitur cognitionis ab intellectu cum specie productus est notitia rei: et hoc est terminari ad illam et non ad aliud ».

II. Intellectio est qualitas transiens. Atqui verbum est permanens. Ergo. — *R. D. M.:...* spectata in *fieri*, *c.;* in facto esse et in habitu, *n.* — *Contrad. m.;* spectatum in habitu, *c.;* in suo fieri, *n.* — Videlicet, ut innuimus (n. 313, III), si intellectio spectatur dum fit, quae etiam *actualis* dicitur, tunc constituit ipsum actum scientiae, qui tamdiu est, quamdiu actu intelligimus. Si vero spectatur, postquam facta est, tunc est forma in ordine intentionali, quacum intellectus intendit et repraesentat obiectum. Et *habitualis* quoque appellatur, qualenus intellectus postquam priorem actum posuerit, *habitu* servat qualitatem illam, seu *verbum* mentis; quin tamen actu intendat ac repraesentet obiectum, ut accidit praecise in phantasia; et ita constituitur in nobis *habitus scientiae*, quem omnes in se experiuntur. Ut ait etiam S. Th. (2). « Species intelligibiles remanent post actualem considerationem, et harum ordinatio est *habitus scientiae*. Haec vis, qua mens retinere potest species intelligibiles post actualem considerationem, memoria dicitur ». Et alibi (3) « Verbum in principio suo est perfectum, quia conceptio perfecte formata est; et nihilominus esse eius perfectum servatur eodem modo, quo gignebatur. Non enim transit formatio verbi, ipso formato, sed quum actu intelligitur, continuo formatur verbum, quia semper est ut in fieri, et ut in egrediendo ab alio, scilicet a dicente ».

Quapropter quando intellectus vult actu intelligere ea, quae habitu retinet, sufficit redire ad actus illos prius habitos, qui tunc evadunt quasi terminus cognitionis praesentis, quin proinde requiratur praesentia rei, quam intelligit (4). Sed tamen addendum

(1) *De Anima*, l. III, c. V, n. 17.

(2) *De Verit.*, q. X, a. 2.

(3) *De Natura verbi intellectus.*

(4) Si vis exemplum aliquod materiale, quod huic rei quodammodo accedat, ipsum invenies in imagine photographica. Quando enim prima vice imago in vitro et in carta imprimitur, requiritur praesentia rei; ea dein semel habita, faciliter aliae imagines haberi possunt. Hinc aliquo modo adiuvari potes ad intelligendum, quomodo intellectus, habita prima determinatione a re praesente,

est, quod etiam tunc intellectus indiget concursu phantasmatis, quod in phantasia servatur, ut unusquisque in se experitur, et ex eo confirmatur, quia nos defatigamur, etiam quum recordamur rei practeritae; at defatigatio non habetur in spiritu sed in materia, quae concurrit in operatione phantasiae; unde etiam amentes ac phrenetici non valent in memoriam revocare cognitiones habitas, ob cerebri perturbationem, in quo residet phantasia.

314. Hinc secundo patet, quomodo verbum distinguatur ab intellectione *ratione cum fundamento in re*. — Et sane intellectio est actus ille, quem ponit intellectus, dum intelligit, et a quo ipse actuatur; seu est intellectio *in fieri*. Verbum est idem actus consideratus in termino, prout est qualitas actuans seu inhaerens intellectui, ac proinde est intellectio in facto esse: quae dein etiam habitu manet. Atqui hic vera habetur distinctio rationis cum fundamento in re. Ergo.

Haec autem sententia dicenda videtur, magis accedere ad mentem S. Th., quam sententia thomistarum. Ipse enim praeter testimonia allata ait e. g. (1). « Conceptio (i. e. verbum) differt ab actione intellectus, quia praedicta conceptio *consideratur ut terminus actionis*, et *quasi* quoddam per ipsam constitutum... Haec autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur ». Et alibi (2). « Est autem de ratione interioris verbi, quod est intentio intellecta, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere, quum sit *quasi terminus* intellectualis operationis ». Item (3). « Solum verbum *significat* aliquid ab alio emanans. Id enim, quod intellectus in concipiendo format, est verbum. Intellectus autem ipse, secundum quod est per speciem intelligibilem in actu, *consideratur* absolute. Et *similiter intelligere*... Cum ergo dicitur quod est notitia; non *accipitur* notitia pro actu intellectus cognoscentis: sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo ». Iam vero ex istis et aliis similibus

deinde possit iterum ex vi sua, quae ei competit ratione suae activitatis, eam sibi repraesentare. Imo si quis vult aliquam rem profunde in mente imprimere ac diu servare, conatur eam saepe sibi repraesentare, seu bis, ter, quater... eandemque repetere cognitionem actualem.

(1) *De Potentia*, q. 8, a. 1.

(2) *C. Gentes*, l. IV, c. 11.

(3) I p., q. 34, a. 1 ad 2.

testimoniis apparet, quod S. Th. distinctionem ponit inter verbum et intellectionem, quia illud *consideratur*, *accipitur quasi* terminus intellectionis; atqui distinctio quae est per diversam *considerationem*, *acceptionem*, est distinctio rationis cum fundamento in re. Ergo. — Praeterea ipse S. Th. aperte ait: verbum nostrum semper est in continuo fieri, quia perfectum esse suum est in fieri. Atqui istud fieri est ipsum *fieri* actus intellectionis. Ergo esse verbi est in ipso actu intellectionis (1).

Dices I. Iuxta doctrinam S. Th. in visione beatifica non habetur verbum. Atqui tunc certe habetur intellectio. Ergo debent realiter distingui. — *R. D. M.;* iuxta doctrinam quorundam thomistarum, qui eam tribuunt S. Th., *c.;* iuxta germanam doctrinam S. Th., *subd.:*... non habetur species impressa, *c.;* nec species expressa, *n.*, saltem hoc ab eo expresse non dicitur. Nam doctrina S. Th. huc redit: Beati in coelo vident Deum, non per aliquam actionem a Deo receptam, qua determinantur ad cognoscendum, ex qua haberetur species impressa, sed per immediatam coniunctionem cum essentia divina. Quia « divina essentia est ipsum esse. Unde sicut aliae formae intelligibiles, quae non sunt suum esse, uniuntur intellectui secundum aliquod esse, quo informant ipsum intellectum, et faciunt ipsum in actu: ita divina essentia unitur intellectui creato, ut intellectum in actu, per seipsam faciens intellectum in actu » (2). Sed hic, uti patet, nullo modo sermo est de verbo. Ergo hinc nihil deduci potest, quod thomistarum sententiae faveat.

II. Iuxta hanc sententiam etiam in cognitione sensitiva haberetur verbum. Atqui S. Th. non admittit. Ergo. — *R. D. M.;*... prout est species terminativa, *c.; repraesentativa*, *subd.;* in sensibus externis, *n.;* in phantasia, *c.* — *Contrad. m.* — Ex hac distinctione, quam innuimus iam in n. 165, elucet ratio, cur quidam admittant verbum etiam in sensibus externis, ut e. g. Suarez (3), et cur quidam negent ipsum in intellectu, ut aliquid distinctum saltem ratione ab actu intellectionis, ut e. g. Toletus (4). Sed forte potius novum argumentum desumi potest in favorem sententiae nostrae. Sicut intellectus per unam facultatem facere potest, quod sensus per plures, ita per unum actum, quod sensus per plures. Et insuper sicut phantasma non est entitas distincta ab ipso actu

(1) Addimus tamen, quod si quis forte alia adinvenit testimonia, quae potius videntur favere sententiae oppositae, nunquam certe ea inveniet, quae videantur ponere hanc sententiam uti fundamentalem in hac quaestione, nec unquam S. Thomas illam diserte defendit.

(2) S. *Th.*, I p., q. XII, a. 2 ad 3.

(3) Loco iam citato n. 7.

(4) Item loco citato, *prima conclusio*.

perceptionis phantasiae, ita verbum non est entitas distincta ab actu intellectionis.

III. Cum sola distinctione rationis verbi ab intellectione nequit plene ac perfecte explicari in Divinis distinctio realis personae Verbi a Patre. Ergo. — *R. D. A.;* si neque agnosceretur distinctio realis ipsius actus intellectionis ab intellectu, *c.;* si ista admittitur, *prorsus nego.* — Et revera fundamentum ad intelligendam et explicandam aliquo modo distinctionem Verbi a Patre plane omnino eruitur ex distinctione reali intellectus ab actu intellectionis. Pater enim est principium intelligens, a quo procedit Verbum ut intellectum: et quoniam haec processio non fit per transitum de potentia in actum, ideo non habetur *vera operatio*, quae esset accidens, neque verbum ut aliquid productum et accidentale. Sed Pater per eundem actum, quo est, intelligit dicendo relationem ad seipsum intellectum, seu ad Verbum suipsius: quod proinde subsistit per eundem actum divinum, quo Pater, et est Ei consubstantiale, sed distinguitur tantum per oppositam relationem intelligentis et intellecti. Quare tantum abest, ut requiratur distinctio realis inter intellectionem et verbum, ad melius explicandam distinctionem in Divinis Verbi a Patre, ut potius sine illa melius intelligatur; cum ibi nulla detur distinctio inter intellectionem, spectatam formaliter qua dictionem, et verbum. Siquidem per eundem actum, quo Pater est et dicit verbum, verbum ipsum subsistit, et in se constituitur ut distinctum a Patre, tantum per oppositam relationem geniti seu procedentis a generante seu dicente.

Nunc aliquid attingamus necesse est de intrinseca natura actus intellectivi, prout per simplicem apprehensionem, iudicium ac ratiocinium absolvitur.

Thesis LXI.

Intrinseca ratio intellectionis stat in actu, quo intellectus intentionaliter repraesentat rem cognitam, iste autem actus est imperfectus in simplici apprehensione et perfectus in iudicio componente.

315. **Status quaestionis.** — Haec thesis intime cohaeret cum Th. XVIII e XIX, quas in logica erit, tuiti sumus, et merito omnino; quum ea, quae de formali veritatis ratione dicta sunt, et de intima ac formali cognitionis natura dicenda occurrunt. — Prior pars aperte eruitur ex tota doctrina de cognitione in genere, modo exposita: altera vero attingit propriam rationem intelligendi intellectus nostri, et iam praeoccupata fuit, cum locuti fuimus de conceptibus simplicibus et compositis.

Et primo adverte cum S. Th. (1): « intellectus, quando consi-

(1) *De Veritate*, q. VIII, a. 14.

derat propositionem, considerat *multa ut unum*, et ideo inquantum sunt unum, simul intelliguntur, dum intelligitur una propositio, quae ex eis constat... Unde Philos. dicit in VI Metaph. *Dico autem simul et separatim intelligere affirmationem et negationem, quasi non deinde, sed unum quid sid.* Non enim simul intelliguntur inquantum habent ordinem distinctionis ad invicem, sed inquantum uniuntur in una propositione ». Item « Sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem rationis requiritur unitas obiecti ». Ergo actus iudicii formaliter completur per actum componentem, quo « intellectus noster simul intelligit subiectum et praedicatum, prout sunt partes unius propositionis, et duo comparata, secundum quod conveniunt in una comparatione » (1).

Ac proinde in hoc actu intellectus una actuatur specie intentionali, quae simul repraesentat duas vel plures perfectiones, quae per subiectum et praedicatum, vel plura etiam praedicata exhibentur. Sed antequam intellectus hunc actum ponat, in quo est formalis ratio actus iudicii, prout distinguitur ab actu simplicis apprehensionis, plures praerequiruntur actus, a quibus proinde ille plane secernendus est. Et sane praerequiritur *a*) primo apprehensio qua concipitur perfectio quaedam indeterminata; — *b*) dein reflexio super ipsam, ut cognoscatur phantasma illud determinatum, a quo ipsa fuerit abstracta; — *c*) ac proinde novus conceptus, quo concipiatur ipsum ut subiectum illius formae ex eo abstractae; — *d*) inde intellectus utrumque conceptum simul comparat, ut perspiciat eorum convenientiam vel discrepantiam; — *e*) ac tandem cum alterutram perspiciat, iudicat affirmando vel negando.

Ex quo sequitur, actum iudicii formaliter constitui per apprehensionem convenientiae vel disconvenientiae praedicati cum subiecto (affirmando vel negando), in qua apprehensione intellectus novum efformat conceptum compositum, qui utrumque priorem simul repraesentat uti inter se convenientes vel discrepantes, qui actus appellari potest *apprehensio iudicativa.*

316. **Prob. I p.** Cognitio completur per hoc, quod cognitum est in cognoscente, secundum esse intentionale (Th. XXVI), seu ut ait S. Th. (2). « Operatio virtutis apprehensivae perficitur in hoc, quod res apprehensae sunt in apprehendente ». Nam « sicut corpus lucidum lucet, quando est lux actu in ipso, ita intellectus intelligit omne illud, quod est actu intelligibile in eo » (3). Atqui esse in-

(1) S. *Theol.*, I p., q. 58, a. 2.
(2) S. *Theol.*, I p., q. 81, a. 1.
(3) Quaest. disp., *de Verit.*, q. 8, a. 6.

tentionale, quo cognitum est in cognoscente, constituitur per hoc quod cognoscens intentionaliter repraesentat cognitum (n. 144, 145). Ergo cognitio intellectiva stat in actu, quo intellectus intentionaliter repraesentat rem intellectam : « non quod essentia intellectus fiat res intellecta vel species eius, sed quia completur informatur per speciem rei intellectae, dum eam actu intelligit..., et hoc contingit per *intentionem, quae coniungit intellectum intelligibili* » (1).

Prob. II p. — In simplici apprehensione, ut saepe diximus, intellectus apprehendit ac proinde repraesentat rem aliquam abstractam et indeterminatam, in iudicio vero rem magis determinatam et coniunctam cum aliis suis perfectionibus. Atqui prior apprehensio est imperfecta cognitio, altera vero magis perfecta, uti patet. Ergo.

317. **Coroll.** I. — *Ergo actus simplicis apprehensionis et iudicii, quamvis differant ut cognitio minus ac magis perfecta, exhibent tamen duos gradus cognitionis specifice diversos.* — Uterque enim actus eandem importat rationem formalem apprehensionis rei in ordine intentionali seu repraesentativo, quatenus uterque eo tendit, ut rem aliquam capiat, repraesentet ac repraesentando cognoscat. Ideoque uterque eandem exhibet rationem formalem cognitionis. — Sed actus iudicii in eo completur, quod componendo duos conceptus simul novum efformat ordinis perfectioris, seu perfectius repraesentantem rem, et si plures adhuc componuntur, perfectior quoque habetur conceptus et cognitio. E converso si plures habentur simplices apprehensiones, eae nunquam constituunt conceptum vel cognitionem perfectiorem, sed semper exhibent conceptus indeterminatos.

II. — *Ergo apprehensio iudicativa, qua perspicitur convenientia vel discrepantia inter conceptus, plane distinguitur ab apprehensione motivorum, quae istam manifestant.* — Controvertitur hac in re inter philosophos, « aliqui censent intelligentiam ipsam identitatis vel discrepantiae praedicati et subiecti habere in se, quicquid ad rationem perfecti iudicii requiratur. Alii e contrario putant ad hanc intelligen-

(1) S. *Th.*, Qu. VII, a. 2

liam sive perspicientiam necesse esse, ut actus secundus accedat, qui rationem assensus sive cuiusdam ratihabitionis habeat, ut iudicium perfectum sit » (1). Sed revera qui hanc alteram tuentur sententiam, videntur confundere ipsam apprehensionem iudicativam, in qua omnino dicendum videtur consistere formalem rationem actus iudicii, cum apprehensione illorum motivorum, quae ostendunt adesse convenientiam vel discrepantiam inter duos conceptus. Haec enim motiva ea sunt, quae constituunt criterium veritatis, ut diximus in log. crit. (c. IV, a. 1), et horum cognitio debet praecedere actum iudicii, a quo proinde realiter distinguitur. Quare actus, quo mens haec motiva cognoscit, est *apprehensio consequentiae*, qua mens perspicit illa motiva, quae ponuntur uti praemissae, revera ostendere convenientiam vel discrepantiam quorundam conceptuum. Et iste actus distinguitur, ut aliquid praerequisitum, ab illa apprehensione iudicativa, quae sequitur, et per quam intellectus percipit illam convenientiam vel discrepantiam, seu iudicat componendo vel dividendo. At certe praeter istum actum, nullus alius requiritur.

Et quum habetur iudicium temerarium vel imprudens, hoc contingit, non quia iudicium fit sine apprehensione iudicativa, sed quia fit sine consideratione motivorum; vel ob imperium voluntatis, vel quia intellectus ea obscure videt, aut tantum partialiter. Exemplum accipe ab oculo; quando enim ipse obscure vel tantum partialiter rem aliquam videt, statim *suo modo* 2) iudicat rem illam esse talem, et haud raro illud iudicium est temerarium vel imprudens, et forte etiam falsum 3). Atqui certe illud iudicium non est actus distinctus ab actu visionis, sed est ipsa visio, quam oculus asserit habere de re, quam tamen obscure et partialiter videt. Ergo et iudicium intellectus non distinguitur ab actu visio-

(1) P. Pesch, *Psych.*, p. II, n. 894.

(2) Cfr. in Log. crit. Th. XX, ea quae diximus de veritate, quae inest sensibus, et ibi videbis quomodo sensus suo modo iudicet.

(3) Adverte tamen quod hic proprie loquimur de obiecto communi oculi, circa quod tantummodo haberi potest obscuritas et imperfecta perceptio ac proinde iudicium imprudens. Quare illud, quod contingere potest in sensibus quoad obiectum commune, contingit in intellectu quoad iudicium componens ac dividens.

nis convenientiae vel discrepantiae conceptuum. Quare in intellectu iudicare seu componere, assentire, videre convenientiam, sunt unus idemque actus, et non distinguuntur, nisi iuxta nostrum diversum concipiendi modum. Ideoque tota ratio imprudentiae ac temeritatis iudiciorum proxime reponenda est in imperio voluntatis, quae inclinat intellectum ad iudicandum, se simpliciter videre id, quod nonnisi confuse ac partialiter videt (1).

318. *Ergo iudicia, ex caeco naturae instinctu prolata prorsus repugnant.* — Nam iudicia ex caeco naturae instinctu prolata sunt ea, quae intellectus proferret, quin perciperet convenientiam praedicati cum subiecto, seu quin perciperet illos duos conceptus eandem repraesentare rem. Atqui hoc intrinsece repugnat, quia actus iudicii est ipsa perceptio huius convenientiae, uti vidimus. Ergo.

Imo addimus quod neque in actu fidei intellectus ponit iudicium caecum, quamvis actus ille dicatur aliqua ratione obscurus. Siquidem in eo intellectus non videt quidem directe illam convenientiam praedicati cum subiecto, sed intelligit alium loquentem, qui ei testatur istam convenientiam adesse. Hinc iudicium non est caecum. Dicitur vero obscurum, praecise quia intellectus non videt directe illam convenientiam, propterea requiritur imperium voluntatis, quae appetat tamquam ipsum assensum illi veritati ob auctoritatem testantis, et cum intellectui imperat (2).

(1) Quare ea omnia quae habet P. Tongiorgi hac de re in *Psych*, l. III, c. X, et videntur opponi nostrae sententiae, facile solvuntur per distinctionem inter apprehensionem iudicativam, quae est actus iudicii, et apprehensionem motivorum, quae illam manifestant. Item melius intelliguntur in nostra sententia ea, quae proponit P. Pesch in *Psysch.*, n. 894..., et in *Log.*, n. 1026...

(2) Accipe etiam argumentum P. Tongiorgi (l. c. n. 494), Reidius, qui est praecipuus huius erroris patronus «ad hanc theoriam confugit, ut veritatem obiectivam et cognitionum nostrarum certitudinem contra Humii et scepticorum conatus tutaretur. Sed theoria haec contrarium potius effectum obtinet; nam et scepticis valida arma suppeditat et omnia certitudinis propugnacula subruit. Si enim haec enunciata necessitate quadam naturae recipiuntur, anne idcirco vera sunt?

...Nec obstat illud: rudes vulgaresque homines haec principia distincte exponere, eorumque rationem reddere nescire; nec ab iis eruditos intelligi, quum principia eadem propriis vocabulis distinctisque enunciant. — Etenim exinde

319. *Ergo iudicium non est actus a voluntate elicitus sed ab intellectu.* — Hoc corollarium praesertim militat contra Cartesium et Malebranchium. Loquimur tamen de actu ab intellectu *elicito*, quum nemo inficietur, uti paulo superius advertimus, voluntatem posse *imperare* actum iudicii ab intellectu ponendum. Imo addimus, voluntatem saepe imperare intellectui hos actus, et hanc ob rationem intellectum saepe in errorem incidere. Si enim intellectus unice ab obiecto determinaretur, nunquam assensum errori praeberet, quia tunc revera nullum adesset obiectum ac motivum, quod eum ad assensum inclinaret. At semper verum manet, actum ipsum iudicii ab intellectu elici. Siquidem ut clare P. Tongiorgi arguit ibid. n. 187). « Actus, queis tendimus in ens sub ratione veri, ad intellectum pertinent quemadmodum actus, queis tendimus in ens sub ratione boni, ad voluntatem. Verum enim est intellectus obiectum, ac bonum voluntatis. Atqui iudicium in suum obiectum tendit sub ratione veri. Nam iudicii obiectum formale est enunciabile, non ut bonum, et nobis conveniens, sed ut verum est, ac verum apparet. Ideo enim intellectus saltem ex se praedicatum subiecto coniungit, quia hoc est illi conforme; atque haec conformitas ipsi evidenter manifestatur. Ergo.

Iterum, terminus actuum intellectus est ens in ipso intellectu exprimendum: terminus voluntatis est ens in seipso assequendum. Iamvero terminus iudicii est actus essendi obiectivus expressus per affirmationem, non autem prosequendus per appetitionem. Affirmatio enim est verbum mentis. Verbum autem aliquid exprimat necesse est. Exprimit vero non rem, sed actum eius, ut dictum est... ».

solum inferri poterit, homines communiter quasdam veritates confuse percipere, non autem omni earundem cognitione carere. Sane alia est clara veritatis cognitio, alia distincta. Clara est, quum et praedicati et subiecti ideas a ceteris mens discernit agnoscitque eas convenire inter se, non vero discrepare aut vicissim; ac simul intelligit rationem, qua convenientia haec vel discrepantia constituitur, hanc potius esse, quam aliam quamvis. Cognitio vero distincta adquiritur, quum mens in suas claras cognitiones reflexione rediens, earum analysim instituit et singula elementa, quibus convenientiae vel discrepantiae ratio constat, singillatim enucleat ac notat. Nemo autem negaverit, primum illum cognoscendi modum sine hoc altero posse consistere; cognitionemque veritatis, quae solummodo clara sit, veram cognitionem esse ».

Reiicitur instantia Cartesii aientis, ad habendum assensum et dissensum requiri etiam voluntatem (1).

Siquidem assensus non solum ad voluntatem pertinet, sed etiam ad intellectum: qui duo assensus, licet hoc eodem nomine subinde appellari solent, re tamen omnino discrepant. Assentitur enim intellectus, quatenus verbum affirmationis profert; voluntas vero secundum quod sibi complacet in agendis.

Immo, si proprie loquamur, assensus de solo intellectu dicitur; voluntatis vero actus consensus appellari debet. Audi S. Thomam (2). «Assentire est quasi ad aliud sentire et sic importat quandam distantiam, ad id cui assentitur. Sed consentire est simul sentire: et sic importat quandam coniunctionem, ad id cui consentitur. Et ideo voluntas, cuius est tendere ad ipsam rem, magis proprie dicitur consentire. Intellectus autem, cuius operatio non est secundum motum ad rem, sed potius e converso, magis proprie dicitur assentire». Et praeterea rite distinguendum est inter actum *elicitum* et *imperatum* a voluntate: quia ut etiam in logica tuiti sumus, ultro concedimus, saepe praesertim in iudiciis non evidentibus a voluntate imperari intellectum ad suum actum, ut diserte docet ipse S. Thomas (1): «Quandoque intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis, neque statim per ipsas definitiones terminorum sicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, sicut in conclusionibus demonstrativis est; determinatur autem per voluntatem, quae eligit assentire uni parti determinate et praecise propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum vel conveniens huic parti assentire».

Hinc falsus etiam est Malebranche aiens, iudicium esse quietem quandam desiderii sciendi aliquid. Huius enim desiderii quies non est iudicium sed iudicii effectus, qui in voluntate gignitur, partamque ab intellectu cognitionem, et adquisitam iudicii certitudinem consequitur.

Nihilominus aliquo modo iudicium intellectus quies dici po-

(1) Accipe ea, quae Cartesius habet in p. I *Principiorum* s. 32 «Omnes modi cogitandi, ipse ait, quos in nobis experimur, ad duos generales referri possunt, quorum unus est perceptio sive operatio intellectus, alius vero volitio sive operatio voluntatis. Nam Sentire, Imaginari et pure Intelligere sunt tantum diversi modi percipiendi, ut et Cupere, Aversari, Affirmare, Negare, Dubitare sunt diversi modi volendi». Et paulo post. «Ad iudicandum requiritur quidem intellectus, quia de re, quam nullo modo percipimus, nihil possumus iudicare; sed requiritur etiam voluntas, ut rei aliquo modo perceptae assensio praebeatur. Non autem requiritur (saltem ad quomodocumque iudicandum) in tegra et omnimoda rei perceptio; multis enim possumus assentiri, quae nonnisi perobscure et confuse cognoscimus». Deinde Cartesius ex hac sua sententia originem errorum explicare conatur.

(2) S. *Theol.*, Ia 2ae p., q. XV, a. 1 ad 3.

(1) Quaest. disp., q. XIV, *de Verit.*, a. 1.

test, quum nempe habetur iudicium *certum*. Non sane quia in intellectu sit desiderium, et desiderii quies, quae delectationem constituit; sed quia per iudicium certum cessat dubium omnino, comprimitur omnis suspicio de opposito, quae quasi quaedam intellectus fluctuatio est; ac cessat inquisitio de ea re, quae est quidam motus ad veritatem. Haec igitur quies in iudicio nil aliud est nisi *adhaesio mentis in suum cognoscibile*, et a voluntatis quiete prorsus differt.

Et haec modo sufficiant de ipsa natura actus intellectivi, nunc aliquid breviter attingendum occurrit de aliis virtutibus, quibus anima intellectiva pollet.

Thesis LXII.

In anima intellectiva agnoscendae quoque sunt conscientia, memoria et ratio, quae tamen non distinguuntur realiter ab intellectu.

Quod huiusmodi virtutes in nobis existant, evidens cuique est, nec aliquis unquam hoc inficiatus est: quare sufficit aliquid de propria earum natura summis labiis delibare.

320. **Declaratur I p.** Conscientiae nomen usurpari solet tum pro facultate, tum pro actu eiusdem. In praesenti, uti patet, ea proprie spectatur uti *facultas* quae ideo *psychologica* appellatur; dum in log. crit. (Th. XXVI) ea potius spectata est ut actus (1).

Quare conscientia psychologica est *facultas intellectiva, quae apprehendit interna phaenomena vitae cognoscitivae* (2).

(1) Rem clare explicat S. Th. in *S. Theol.*, I q. 79, a. 13. « Conscientia, ipse ait, proprie loquendo non est potentia sed actus. Et hoc patet tum ex ratione nominis, tum etiam ex his quae secundum communem usum loquendi conscientiae attribuuntur. Conscientia enim secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiae ad aliquid: nam conscientia dicitur cum alio scientia. Applicatio autem scientiae ad aliquid fit per aliquem actum, unde ex ista ratione nominis patet quod conscientia sit actus... Quia tamen habitus est principium actus, quandoque nomen conscientiae attribuitur primo habitui naturali, scil. synderesi, sicut *Hieronymus* (super illud: *Quatuor facies uni*) synderesim conscientiam nominat: et *Basilius* (hom. in princ. Prov. a medio) *naturale iudicatorium*: et *Damascenus* (Fid. Orth., c. 23) quod est *lex intellectus nostri* ».

(2) Compara hanc definitionem cum ea, quam dedimus in log. crit, n. 148, ut pateat discrimen. Ibi enim conscientiam definivimus latiori sensu, prout etiam sensum communem amplectitur: hic vero tantum conscientiam intellectivam, ut ab eo distinctam.

Dicitur *facultas*, ut ea distinguatur tum a conscientia *moruli*, tum ab actibus suis: — *intellectiva*, ut distinguatur a *sensu communi*, iste enim non immerito dici potest *conscientia imperfecta sensitiva*, quippe eius munus est percipere interna phaenomena vitae sensitivae (Th. XL): — ea quae sequuntur determinant proprium eius obiectum.

Iamvero quoniam duplici ratione conscientia hoc suum obiectum attingere potest, ideo duplex distingui solet conscientia: *imperfecta*, quae etiam *directa* vel *concomitans* appellari solet; et *perfecta*, quae etiam *reflexa* dicitur.

Profecto haec distinctio unice respicit actum, quem conscientia ponit, non autem ipsam facultatem, quae omnem respuit distinctionem. *Imperfecta* igitur ea est, quae apprehendit existentiam phaenomeni seu actus interni, et quum haec apprehensio comitatur illum actum, et habetur sine ulla reflexione super ipsum, merito ea dicitur *concomitans* et *directa*. Perfecta vero habetur, quum ipsa redit seu reflectit super hunc actum internum, ut praesertim eius naturam ac modum, quo contigerit, rimetur ac deprehendat, ideo iure vocatur *reflexa*. Haec reflexio a S. Th. vocari solet *reditio completa*, dum prior illa cognitio vocatur *reditio incompleta*, quae proinde ait, inveniri etiam in sensibus i. e. in sensu communi (1). Propter hoc dici solet in sensibus dari tantum *conscientiam imperfectam*, et in solo intellectu dari etiam conscientiam *perfectam* (2).

(1) Imo in hoc ipse ponit intrinsecam rationem secundum quam veritas est imperfecta in sensibus et perfecte in intellectu. Cfr. testimonium ex q. I. *De Verit.*, a. 9, allatum in log. crit. n. 110. VII, et in n. 113 quod placet iterum afferre quoad id, quod facit ad rem nostram. « Substantiae intellectuales redeunt ad essentiam suam reditione completa: in hoc enim quod cognoscunt aliquid extra se positum quodammodo extra se procedunt; secundum vero quod cognoscunt se cognoscere, iam ad se redire incipiunt, quia actus cognitionis est medius inter cognoscentem et cognitum. Sed reditus iste completur secundum quod cognoscunt essentias proprias: unde dicitur in Lib. de causis propos. XV) quod omnis sciens essentiam suam est rediens ad essentiam suam reditione completa. Sensus autem... redire quidem incipit ad essentiam suam, quia non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit essentiam suam. Cuius hanc rationem Avicenna assignat, quia sensus nihil cognoscit nisi per organum corporale. Non est autem possibile, ut organum medium cadat inter potentiam sensitivam et seipsum ».

(2) Porro ea, quae diximus in log. l. c. de infallibilitate conscientiae, de utraque aeque valent, nec proinde modo aliquid addendum manet. Pariter modo

Hanc conscientiam concomitantem recentiores, auctore Leibniz (1), vocarunt etiam *apperceptionem*, quamvis minime ipsi conveniant in eiusdem declaratione, ut innuimus in log. (n. 49, 3°. Herbartiani vero dixerunt apperceptionem haberi per accessum novarum perceptionum prioribus iam habitis, quae eas sibi fere assimilant. Quum enim habetur aliqua perceptio, ea inclinat facultatem ad aliam habendam sibi similem: haec alia proinde quae succedit, non est perceptio, sed *apperceptio* (2).

Prob. — Conscientia, de qua nunc loquimur, *psychologica* vocatur, et eius obiectum proprium est ipse actus ordinis cognoscitivi, qui in nobis ponitur et tamquam praesens et proprius percipitur. Atqui perceptionem huius actus omnes habemus, uti iugis testatur experientia. Ergo datur in nobis conscientia psychologica (3).

Insuper non modo apprehendimus existentiam huiusmodi actus, sed in ipsum reflectimus, vel ut eius naturam scrutemur, vel ut certiores evadamus existentiae ipsius, eumque veluti contemplemur. Atqui hi actus fiunt a conscientia intellectiva, seu ab intellectu reflectente in suos actus, ut eorum scientiam firmius sibi comparet. Ergo.

Coroll. I. — Ergo patet intima ratio, cur testimonium conscientiae sit infallibile. — Quum conscientia testatur praesentiam alicuius actus, qui in nobis existit, certe falli non potest, quia non potest ipsum testari nisi adsit, ac proinde si testatur, certo adest. Quoad naturam ipsius vero, si ea huiusmodi est ut de se immediate pateat, circa ipsam quoque conscientia infallibilis est. Si vero deducenda est ex aliquo ratiocinio, tunc eius

perfectius intelligitur, quomodo in simplici apprehensione habetur veritas cognita imperfecto modo, nempe praecise per conscientiam concomitantem, quae nempe cognoscendo actum simplicis apprehensionis, simul perspicit ipsum repraesentare aliquam rem, seu esse ei adaequatum, quia haec est eius natura.

(1) Ita Wundt: « Leibniz, der den Begriff der Apperception in die Philosophie einführt versthet darunter den Eintritt der Perception in das Selbstbewusstsein (bei *Erdmann*, p. 715) « Menti attribuitur apperceptio » wie Wolff es ausdrückt » quatenus perceptionis suae sibi conscia est » (*Psych. empirica*, s. 25). Sed hoc nomen diversimode ab aliis usurpatur, ideo omittimus.

(2) Cfr. hac de re Volkmann, *Lehrd. d. Psych.*, II, 187...

(3) Hanc etiam conscientiam quidam *sensum intimum* vocant, ut innuimus in *log. crit.*, n. 148, in nota. Sed revera praeterquam quod nomen ipsum non videatur aptum, quia haec conscientia est ordinis intellectivi et non sensitivi, advertimus quod, si asseratur, cognitionem, quae ei tribuitur, haberi independenter ab aliis actibus ordinis cognoscitivi, sane admitti non posse, uti superius n. 217 innuimus. Tunc enim iste sensus non est conscientia concomitans, sed antecedens quae nequit dici conscientia.

infallibilitas pendet ab illis conditionibus ad recte ratiocinandum requisitis, de quibus in logica loquuti sumus.

II. **Ergo attentio reflexa fit per conscientiam.** — Ea enim habetur, quum intellectus reflectit in suum actum, tantum ut inspiciat, utrum ipse recte adimpletus fuerit. Atqui haec reflexio habetur per conscientiam. Ergo.

321. **Probatur II p.** — Quoad memoriam vero res clarior est. Ipsius enim est retinere cognitionem prius habitam « Species intelligibiles, ait S. Th., (1), remanent post actualem considerationem, et harum ordinatio est habitus scientiae. Haec vis, qua mens nostra retinere potest species intelligibiles post actualem considerationem, *memoria* dicitur ». Atqui iterum cuique evidenter patet in nobis adesse huiusmodi vim. Ergo.

Difficultas autem hic haberi potest ex eo quod intellectus, quando recordatur praeteritorum, debet converti ad phantasma. Unde videtur potius solum haberi memoria sensitiva, quae cum phantasia conservat phantasmata et alias intentiones annexas rebus sensibilibus, ex quibus intellectus denuo suos haurit conceptus. Respondemus primo cum S. Th. (2). « Quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum modum recipientis. Intellectus autem est magis stabilis naturae et immobilis quam materia corporalis. Si ergo materia corporalis formas, quas recipit, non solum tenet, dum per eas agit in actu, sed etiam postquam per eas agere cessaverit: multo fortius intellectus immobiliter et inamissibiliter recipit species intelligibiles, sive a sensibilibus acceptas, sive etiam ab aliquo superiori intellectu affluxas. Sic igitur si memoria accipiatur solum pro vi conservativa specierum, oportet dicere memoriam esse in intellectiva parte ». Ergo praeter memoriam sensitivam *intellectiva* quoque agnoscenda est.

Ratio autem, cur intellectus semper indigeat converti ad phantasmata, optima proponitur ab eodem S. D. (3). « Nulla potentia potest aliquid cognoscere non convertendo se ad obiectum suum, ut visus, nihil cognoscit, nisi convertendo se ad colorem. Unde quum phantasmata se habeant hoc modo ad intellectum possibilem, sicut sensibilia ad sensum, quantumcumque aliquam speciem intelligibilem apud se habeat, nunquam tamen actu aliquid considerat secundum illam speciem nisi convertendo se ad phantasmata ».

Addimus tamen quod utraque memoria certe ad invicem adiuvatur, nec semper facile apparet ostendere, in quanam me-

(1) *De Verit.*, q. X, a. 2.
(2) I p., q. 79, a. VI.
(3) Quaest. Disp., *De Verit.*, q. X, a. 2.

moria operationes melius serventur. At earum differentia haud difficulter dignosci potest ex diversis hominum ingeniorum inclinationibus. Nam ii, qui facilius delectantur artibus humanioribus, manifesto ostendunt, meliori pollere phantasia ac memoria sensitiva; alii autem qui scientificis investigationibus operam navant, *praesertim* (sed non unice) utuntur memoria intellectiva, et eo facilius in istis progrediuntur, quo meliori hac memoria praediti sunt. Ergo iterum apparet existentia ac distinctio utriusque memoriae.

Item cum memoria recordatur rei praeteritae, qua est praeterita, intellectiva iterum adiuvat sensitivam, et multo magis *reminiscentiam*, iuxta ea quae superius explanavimus (nn. 225-228). Unde S. Th., quamvis in corpore articuli nuper citati asserat « si de ratione memoriae sit, quod eius obiectum sit praeteritum ut praeteritum, memoria in parte intellectiva non erit », nihilominus in resp. ad 2^m^, clare explicat, quo pacto etiam memoria intellectiva cognoscat praeteritum (1).

De conservatione specierum Avicenna putavit, quod « memoria non esset in mente secundum retentionem aliquarum specierum, sed secundum habilitatem ad accipiendum de novo. Sed ista opinio non videtur rationabilis...: quia si in intellectu possibili non conservarentur aliquae species, sed sola habilitas convertendi se ad intellectum agentem; aequaliter remaneret homo habilis ad quodcumque intelligibile; et ita ex hoc quod homo addisceret unam scientiam, non magis sciret illam quam alias... Et ideo alii dicunt quod species intelligibiles in intellectu possibili remanent post actualem considerationem, et *harum ordinatio est habitus scientiae*, et quod haec vis, qua mens nostra *retinere potest species intelligibiles post actualem considerationem*, memoria dicitur » (2).

(1) Accipe profundam eius explicationem. « Praeteritio ad duo referri potest ad obiectum quod cognoscitur, et ad cognitionis actum; quae duo coniunguntur simul in parte sensitiva, quae est apprehensiva alicuius per hoc, quod immutatur a praesenti sensibili. Unde simul animal memoratur se prius sensisse in praeterito, et se sensisse quoddam praeteritum sensibile. Sed quantum ad partem intellectivam pertinet, praeteritio accidit et non per se convenit ex parte obiecti intellectus. Intelligit enim intellectus hominum, inquantum est homo. Hominem autem, inquantum est homo accidit vel in praesenti, vel in praeterito vel in futuro esse. Ex parte vero actus praeteritio per se accipi potest etiam in intellectu, sicut in sensu: quia intelligere animae nostrae est quidam particularis actus in hoc, vel in illo tempore existens, secundum quod dicitur homo intelligere nunc, vel heri, vel cras. Et hoc non repugnat intellectualitati: quia huiusmodi intelligere quamvis sit quoddam particulare, tamen est immaterialis actus. Et ideo sicut intelligit seipsum intellectus; ita intelligit suum intelligere quod est singularis actus, vel in praeterito, vel in praesenti, vel in futuro existens. Sic igitur salvatur ratio memoriae, quantum ad hoc quod est praeteritorum in intellectu, secundum quod intelligit se prius intellexisse, non autem secundum quod intelligit praeteritum, prout est hic et nunc ».

(2) *De Verit.*, loco citato.

Quare hinc eruitur quod memoria intellectiva proprie retinet *species expressas* et non tantum *impressas*. Nam species intelligibiles post *actualem considerationem* non sunt nisi expressae: eodem modo ac in phantasia retinentur phantasmata, et in memoria etiam intentiones annexae rebus sensibilibus, et iam cognitae per aestimativam. Ad rem S. Th. (1). « In intellectu possibili differt actu apprehendere et retinere, non ex eo quod species sit in eo aliquo modo corporaliter, sed intelligibiliter tantum. Nec tamen sequitur, quod semper intelligatur secundum illam speciem, sed solum quando intellectus possibilis perfecte fit in actu respectu illius speciei ».

322. **Declaratur III p.** — Intellectus, ut ait S. Th. (2), simplicem et absolutam cognitionem designare videtur; ex hoc enim aliquis intelligere dicitur quod interius in ipsa rei essentia veritatem quodammodo legit; ratio vero discursum quendam designat, quo ex uno in aliud cognoscendum anima humana pertingit vel pervenit ». — Si autem quaeris, quaenam inter rationem et intellectum relatio intercedat, clare explicatur ibid. ab eodem S. D. « Ratio comparatur ad intellectum ut ad principium et ut ad terminum: ut ad principium quidem, quia non posset mens humana ex uno in aliud discurrere, nisi eius discursus ab aliqua simplici acceptione veritatis inciperet, quae quidem acceptio est intellectus principiorum; similiter nec rationis discursus ad aliquid certum perveniret, nisi fieret examinatio eius, quod per discursum invenitur, ad principia prima, in quae ratio resolvit; ut sic intellectus inveniatur rationis principium quantum ad viam inveniendi; terminus vero quantum ad viam iudicandi » (3).

(1) Ibid. ad 4. — Hinc eruitur alia ratio deceptionis eorum, qui tuentur verbum esse realiter distinctum ab intellectione ex eo quod verbum manet et intellectio transit: dum potius dicendum, ipsam intellectionem in *facto esse* manere.

(2) Ibid., *De Verit.*, q. XII, a. 1.

(3) Kant (cui etiam Günther adstipulatus est) iuxta sua principia, asserit rationem esse facultatem percipiendi rerum essentias sive naturas, quatenus per illas formas universales, quas putat inhaerere nostro intellectui, simul componit conceptus intellectus ad efformanda iudicia universalia synthetica a priori, quae constituunt novos conceptus, qui sunt universales ac necessarii. Dum intellectus colligit multitudinem repraesentationum sensibilium in unum conceptum. Sed quoniam nos iam in log. crit. multis in locis hanc eius theoriam ut plane arbitrariam ac falsam reiecimus, merito nunc hanc suam doctrinam penitus transmittimus.

Quare ratio, iuxta S. Th. et scholasticos est *facultas ratiocinandi*, qua nempe aliquid apprehendimus non per unum iudicium immediate, sed mediantibus pluribus iudiciis.

Leibniz vero et Wolff perperam videntur permiscere vim ratiocinandi cum vi iudicandi, quum aiunt, rationem esse facultatem *percipiendi nexum, qui sit inter veritates*, vel *ipsas veritates necessarias*, vel *nexum veritatum universalium* (1). Nam quamvis idem intellectus gaudeat vi iudicandi et ratiocinandi, imo psychologice inspectus actus ratiocinandi non distinguatur ab actu iudicandi, nihilominus, si quae distinctio inter utrumque agnoscenda est, dicendum videtur cum S. Th., actum quo percipitur quicumque nexus sive conceptuum sive iudiciorum, sive veritatis necessariae vel contingentis, esse actum iudicii : actum vero, quo discurrimus, *ponendo praemissas, ut inferamus conclusionem*, esse actum rationis. Et ideo ait S. Th. quod ratio comparatur ad intellectum *ut ad principium et ut ad terminum*.

Probatur. — Re quidem vera nos non tantum simplices apprehendimus perfectiones easque simul componimus, sed etiam ex quibusdam veritatibus notis discurrendo ac ratiocinando alias veritates deducimus. Atqui virtus, qua hoc efficimus, ea est quae ratio vocatur. Ergo agnoscenda est ratio, quae hoc munus exerceat, et merito a simplici intellectu distinguitur.

323. **Prob. IV p.** — Nempe quod, *omnes istae facultates non distinguuntur realiter ab intellectu sed tantum secundum rationem*. — Et sane intellectus est facultas spiritualis, quae potest in se et in suos actus reflectere. Atqui talis facultas potest tum percipere suos actus, tum eos retinere, et simul componere sive per iudicia sive per ratiocinia, uti de se evidens est. Ergo ipse idem intellectus exercere potest operationes conscientiae, memoriae et rationis. Atqui istae operationes aliquo modo inter se distinguuntur. Ergo

(1) Cfr. Leibniz, *La faculté de raisonner, Nouv. Ess.* ap. Erdmann, p. 393 *b*), et *Mon. ad Log.* 29. — Item Wolff, *Psych. empir.* 275, et 483. Abstinemur modo ab aliis recentiorum explicationibus, praesertim idealistarum, quippe ortum habent ex aliis eorundem falsis principiis, iam alibi reiectis.

merito conscientia, memoria et ratio secundum rationem inter se et ab intellectu distinguuntur (1).

324. **Scholion I. De intellectu practico.** — Quoniam primum munus intellectus sit apprehendere seu cognoscere veritatem rerum easque possidere, contemplari, speculari, merito *speculativus* primo ac per se dicendus est. Sed omnem cognitionem sequitur appetitus, uti vidimus (n. 39, 233) et deinde exercitium illorum actuum, qui tendunt ad explendum huiusmodi appetitum (n. 240), hinc intellectus cum actibus suis cognoscitivis hos omnes veluti dirigit et ordinat, atque tunc ipse vocatur *intellectus practicus*. Scite ad rem S. Th. (2). « Intellectus practicus differt a speculativo *fine*: finis enim speculativi est veritas absolute (i. e. eius speculatio seu contemplatio), sed practici est *operatio*. Aliqua vero cognitio practica dicitur, ex ordine od opus: quod contingit dupliciter. Quandoque in actu, quando scilicet ad aliquod opus actu ordinatur, sicut artifex, praeconcepta forma, proponit illam in materiam inducere: et tunc est actu practica cognitio et cognitionis forma. Quandoque vero est quidem ordinabilis cognitio ad actum, non tamen actu ordinatur: sicut cum artifex excogitat formam artificii, et scit per modum operandi, non tamen operari intendit: et certum est, quod est *practica habitu* vel *virtute*, non actu ». Et ideo Aristoteles ait (3), quod *intellectus speculativus per extensionem fit practicus*, i. e. quatenus extenditur ad opus aliquod faciendum seu dirigendum.

Ex quo sequitur quod intellectus practicus idem est ac *intellectus speculativus, adiecto imperio voluntatis* faciendi illud, quod intelligitur. Nimirum quum intellectus aliquid intelligit, surgit in appetitu seu voluntate tendentia in illud obiectum reale. Et si illud non est reale, voluntas vult seu imperat ut fiat reale, et hoc imperium adiectum intellectui iam cognoscenti obiectum, mutat intellectum speculativum in practicum. Ita intellectus practicus, ut ait ib. S. Th., « est motivus (i. e. movet ad agendum) non quasi exequens motum, sed quasi dirigens ad motum ». Et postquam obiectum factum est reale, exurgit in intellectu *scientia practica actu;* antequam vero fiat, est scientia *practica virtute* (4).

II. De Synderesi ac sensu practico. — Profecto ut profunde advertit S. Th. (5) « sicut animae humanae est quidam habitus naturalis, quo principia speculativarum scientiarum cognoscit,

(1) Cfr. alia argumenta S. Th., quibus fuse ostendit singulas has virtutes non distingui ab intellectu S. *Th.*, I p., q. 79, a. 7-13, et *De Verit.*, q. X, a. 3; q. XV, a. 1.

(2) *De Verit.*, q. III, a. 3.

(3) III *De Anima*, text. 49.

(4) S. *Th.*, I p., q. 79, a. 11, ad 1m

(5) *De Verit.*, q. XVI, a. 1.

quem vocamus intellectum principiorum; ita in ipsa est quidam *habitus naturalis* primorum principiorum operabilium, quae *sunt naturalia principia iuris naturalis, qui* quidem *habitus ad synderesim* pertinet. Hic autem habitus non in alia potentia existit quam in ratione... ». Quare synderesis vel nominat absolute *habitum naturalem similem* habitui principiorum, vel *ipsam potentiam rationis cum tali habitu.*

Sed praeterea synderesis communi usu proprie restringitur ad significandum habitum principiorum, quae dirigunt actiones ordinis moralis, et ideo haec principia iuris naturalis dicuntur pertinere ad ordinem moralem. Contra ea habitus principiorum ceterorum operabilium, potius constituit sensum naturae communem, de quo in log. (Th. XXXIX) loquuti sumus, vel pressius sensum practicum, qui proinde definiri potest *habitus principiorum operabilium* simpliciter, prout haec ad omnia extenduntur. Originem ac propriam rationem utriusque habitus et horum principiorum perbelle omnino more suo explicat D. Angelicus (1). « Omne agens agit propter finem, qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica est, quod fundatur supra rationem boni, quae est : *Bonum est quod omnia appetunt.* Hoc est ergo primum praeceptum legis : *bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum* » (2). Hinc enascuntur in homine naturales inclinationes in bonum, et quoniam ipsae explendae sunt per operationes, inde efflorescit habitus principiorum operabilium, « qui est dispositio ad operationem,

(1) S. *Th.*, p. I-II, q. 94, a. 2.

(2) Accipe reliquam eius explicationem, qua S. D. fusius evolvit, ea, quae brevius nos hic addimus. « Et super hoc fundantur omnia alia praecepta legis naturae, ut scilicet omnia illa facienda vel vitanda pertineant ad praecepta legis naturae, quae ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana. Quia vero bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarii, inde est quod omnia illa, ad quae homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit uti bona, et per consequens ut opere prosequenda, et contraria eorum ut mala, et vitanda. Secundum igitur ordinem inclinationum naturalium est ordo praeceptorum legis naturae. Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scilicet quaelibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam: et secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quae vita hominis conservatur, et contrarium impeditur. Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum ceteris animalibus; et secundum hoc dicuntur, ea esse de lege naturali, quae natura omnia animalia docuit, ut est commixtio maris et feminae, et educatio liberorum, et similia. Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quae est sibi propria; sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc, quod in societate vivat: et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea, quae ad huiusmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet conversari, et cetera huiusmodi, quae ad hoc spectant ».

cuius subiectum est potentia humana » (1). Quum enim bonum hominis proximum immediatum diversum sit ac per diversas operationes prosequendum, diversus habetur habitus illorum principiorum, tum in ordine morali, qui proinde vocatur *synderesis*, tum in ordine materiali, vitae nempe vegetativae materialis hominis, qui habitus dici potest *sensus naturae communis practicus*. Sed quoniam haec etiam operabilia in homine possunt, et saepe etiam debent, dirigi a voluntate in bonum ultimum ac proprium hominis, ea ad synderesim reduci possunt.

Quare concludi potest sicut sensus naturae communis potius respicit intellectum speculativum, ita synderesis latius accepta intellectum practicum. Atque sicut perperam philosophatur seu speculatur, qui praescindit vel despicit principia sensus naturae communis, ita perperam ac male operatur qui despicit synderesim.

325. **Corollar.** I. *Ergo in ordine intellectivo datur una facultas cognoscitiva, cuius duo actus specifice diversi distinguuntur, simplex apprehensio et iudicium, ad quos ceteri omnes reducuntur.* — Unus enim intellectus, quum independens sit ab organo, potest omnes actus ponere, qui tribui solent diversis virtutibus intellectivis modo recensitis. Isti autem actus psychologice inspecti ad duos tantum specifice diversos reduci possunt, ut innuimus iam in dialectica (n. 47), et in praesenti paulo superius (n. 322). Et revera actus ratiocinii, de quo forte dubitari possit utrum distinguatur ab actu iudicii, nonnisi accidentaliter ab eo differt, ut innuimus contra Leibniz et Wolff, qui in eo tantum peccari dicendi sunt, quod neque distinctionem accidentalem seu *rationis* inter utrumque salvare videntur.

II. *Ergo intellectus per unam facultatem apprehendit omnia, quae sensus percipiunt per diversas, et aliquid plus.* — Quando enim aliqua forma est perfectior, facit per unam virtutem, quod forma imperfectior per plures: ut saepe ait S. Th. Et praeterea « illa pars animae, quae non utitur organo corporeo in opere suo, non remanet determinata, sed quodammodo infinita, inquantum est immaterialis; et sic eius virtus se extendit ad obiectum commune omnibus entibus » (2). Et sane eius obiectum est omne ens, et ita in se complectitur omnia obiecta sensuum externorum: potest ipse in se reflectere et suos actus cognoscere, quod in parte sensitiva fit per sensum communem: efformat speciem expressam ,quam in se retinet, quod in sensibus fit per phantasiam et memoriam; pollet habitu primorum principiorum, seu facilitate ad ea proferenda, quem *synderesim* vocamus, et respondet aestimativae vel cogitativae.

(1) *S. Th.*, p. I-II, q. 51, a. 1.
(2) Quaest. disp. *De Verit.*, a. 2, cfr. integrum artic.

326. **Conclusio,** — Finem tandem imponimus huic difficili ac fundamentali quaestioni, quae totam pervadit philosophiam, quum in ea erat investiganda ipsa natura actuum cognitionis, quibus utimur ad ultimas rerum causas inquirendas. Quamobrem si ea, quae in log. crit. de fontibus veritatis disseruimus, cum iis, quae in hoc artic. enodavimus, simul conferuntur, pronum erit perspicere tum unitatem totius nostri systematis de cognitione, tum lucem, quam veritates hic propugnatae sibi invicem affundunt, tum certitudinem ac evidentiam, quam sibi vindicant, ita ut asserere non vereamur, hic plene solutum inveniri problema illud, quod perperam Kant solvendum aggressus est in opere « *Criticae Rationis purae* ».

Re quidem vera punctum praecipuum, a quo exordiendum erat, in eo consistit, quod *cognitio nostra refertur ad res a quibus determinatur.* Hoc est principium de se evidens, fundamentum totius societatis, hominum activitatis, ac relationum, quas ipsi ad invicem servant. Ipsum igitur nullo pacto licebat in dubium vocare, sed totis viribus curandum erat, ut eius natura intime investigaretur, ac in luce poneretur. At quoniam cognitio principaliter constat simplicibus conceptibus, qui dein componuntur ad ipsam perficiendam, primo statuenda illorum ratio erat, ac proinde modus explanandus, quo ipsi componuntur. Et vidimus, duas esse vias, *experientiam* nempe et *analysim* ad eos rite componendos. Primo per experientiam priores conceptus indeterminatissimos simul coniungimus, inquantum percipimus eos eandem repraesentare rem, atque adeo eos pedetentim semper magis determinamus et ita primos conceptus universales efformamus, qui proinde iudicia universalia ac necessaria fundant. Huiusmodi conceptus et iudicia, ita comparata, intellectus simul confert et, si perspicit perfectiones unius necessario et intime connecti cum alterius perfectionibus, eos simul coniungit. Et per hanc viam, quae vocari solet conceptuum analysis, multa nova efformantur iudicia novique conceptus.

Et per eam praesertim assurgere faciliter possumus ad res immateriales apprehendendas. Imo ex ea magnum emolumentum scientiis omnibus advenit, quippe quae nec progredi nec consistere possent, nisi uterentur conceptuum analysi.

Ergo iudicia omnino pura vel synthetica a priori, a Kant adinventa, nullo modo existunt. Ea enim probe comparari possunt per analysim; inquantum intellectus, postquam ex experientia primos hausit conceptus tum simplices tum compositos, super eos reflectere valet ac perspicere *formalem* eorum aut convenientiam, aut discrepantiam et ita efformat iudicia universalia aut affirmativa, aut negativa, quae proinde analytica vocantur.

Quare nunc ulterius procedendum est, ut inspiciamus appetitum, qui cognitionem intellectivam consequitur, et *voluntas* nuncupatur.

ARTICULUS IV.

DE APPETITU INTELLECTIVO SEU DE VOLUNTATE.

327. **Quid est voluntas.** — Est autem voluntas, ut ait Arist. (1), *appetitio boni cum ratione*, nemo enim vult, nisi quod existimaverit esse bonum ». Nimirum sicut cognitionem sensitivam sequitur proprius appetitus (n. 233), ita cognitionem intellectivam sequitur appetitus, qui proprio nomine *voluntas* nuncupari solet. Voluntas igitur est *tendentia in bonum apprehensum per intellectum* (2). Ea proinde pertinet ad ordinem intentionalem, seu consequitur cognitionem, et sub hoc respectu distinguitur ab appetitu naturali, imo exigit peculiarem potentiam a ceteris distinctam, uti diximus de appetitu sensitivo (n. 234, II p.).

Thesis LXIII.

Adest in homine appetitus intellectivus nempe voluntas, cuius obiectum adaequatum est bonum apprehensum per intellectum.

328. **Status quaestionis.** — Natura voluntatis ex eius obiecto et actu desumenda est. — Obiectum dicimus, esse *bonum in genere apprehensum per intellectum*. — Hinc voluntas nihil appetere potest, nisi praecedat cognitio intellectiva, quae simul praeluceat in ipso exercitio sui actus; unde effatum illud: *nihil volitum, nisi praecognitum*; quod ideo ita appetitur, sicut apprehenditur. — Quare idem obiectum, prout cognoscitur, dicitur *cognitum* et *verum;* prout appetitur, dicitur *volitum* et *bonum;* et sicut *verum* est obiectum

(1) *Rhet.* L. I, c. 10, 1368 b.

(2) Haec notio voluntatis, uti patet, desumitur ex communi hominum sensu, quam proinde nemo inficiari potest. Quocirca recentiores illi, qui diversas prorsus tradunt notiones vel definitiones voluntatis, reiiciendi sunt, saltem ut arbitrarie loquentes. Imo quoniam plures eas eruunt ex falsis praeiudiciis, vel cum falsis consectariis connectunt, uti Kant, Hegel, Fichte, et praesertim Schopenhauer (cfr. quae diximus in n. 231), eorum definitiones uti prorsus falsae habendae sunt. Definitiones autem, quas tradunt Leibniz et Wolff, saltem valde imperfectae dicendae sunt. Cfr. hac de re Volkmann, *Lehrbuch der Psychologie*, II.

formale intellectus, ita *bonum* est voluntatis. Ipse actus vero, quo voluntas appetit seu vult, appellatur *voluntarius*.

Voluntarium dupliciter accipi potest, vel latiori sensu, prout convertitur cum omni actu appetitivo ordinis cognoscitivi, et definiri potest : *Id quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis* : — « quod procedit a principio intrinseco » idem est ac, quod « procedit a principio vitali, immanenter agente » : et constituit eius genus proximum, in quo voluntarium convenit cum omni actu vitali. « Cum cognitione finis » idem est, ac « tendens in suum obiectum, tamquam in finem cognitum » ; ita habetur eius differentia specifica, qua distinguitur ab actu tum appetitus naturalis, uti patet, tum facultatis cognoscitivae, quo *tantum cognoscitur* res, quae est finis; sed adhuc convenit cum appetitu, qui sequitur cognitionem sensitivam. — Si vero per cognitionem non tantum apprehenditur res, *quae* est finis, sed etiam *qua* est finis, seu sub *ratione finis*, uti fit per intellectum, tunc voluntarium perfectiori modo tendit in obiectum ut in finem (1). Et hoc est voluntarium stricliori sensu, et est proprius actus appetitus intellectivi, qua talis seu voluntatis (2).

Actus voluntatis ergo, prout distinguitur etiam ab appetitu sensitivo, est « actus procedens a principio intrinseco in obiectum cognitum uti finem, vel uti medium in finem ». Nam cum cognoscitur aliqua res sub ratione finis, potest alia apprehendi uti *medium in finem*, et sub hac ratione appeti. Quocirca hic actus est proprius naturae rationalis, et eius obiectum adaequatum dicimus esse bonum in genere, nempe *ens cognitum uti finis*, quod proinde vocatur *bonum*, seu *conveniens*, et in quod cetera omnia, quae appetantur, ordinantur uti media in finem .

(1) Cfr. ad rem S. Thomam, *S. Theol.*, I-II, q. 6, a. 2; et q. 8, a. 2.

(2) Hinc colligis, immerito quosdam recentiores distinguere appetitum intellectivum a voluntate, asserendo actum illius esse necessarium, actum vero voluntatis seu volontarium esse liberum. Dum contra iuxta doctrinam et constantem loquendi modum S. Thomae ac Scholasticorum, voluntarium non idem est ac liberum, sed latius patet, complectens etiam actus necessarios. Nec ulla adest ratio ut eorum loquendi modus immutetur. Unde multo melius ipsi quoque Cartesii et Leibnitii asseclae distinxerunt inclinationes voluntatis *liberas* et *necessarias*. Cfr. ad rem *S. Th.*, I-II p., q. 8, a. 2.

329. **Prob. I p.** — Ubicumque adest aliqua forma, sequitur tendentia in bonum respondens illi formae, quum omnis forma sit principium actionis tendentis in finem sibi respondentem. Atqui in homine habetur forma intentionalis per cognitionem intellectivam. Ergo in eo adest appetitus, qui *voluntas* nuncupatur, tendens in bonum respondens illi formae (1).

Praeterea certum est, hominem multa apprehendere ut bona et sibi convenientia, in quae quisque in se experitur naturalem inclinationem tamquam in finem, et reapse ponere actus amoris vel desiderii, qui actus sunt vitales et immanentes. Atqui ipsi exigunt facultatem vitalem propriam, quae appetitus dicitur. Ergo.

Prob. II p. — Obiectum adaequatum voluntatis est illud, quod obiecto adaequato et communi intellectus respondet, ut evidenter sequitur ex priori parte. Atqui obiectum adaequatum et commune intellectus est ens in genere seu in tota sua latitudine. Ergo istud idem est obiectum adaequatum voluntatis, quod etiam vocatur, *bonum in genere*.

Quare *obiectum adaequatum voluntatis et bonum convertuntur*. — Ipsum autem dicitur etiam conveniens; quia, ut ait S. Th. (2) « obiectum movens voluntatem est *bonum conveniens apprehensum;* unde si aliquod bonum propona-

(1) Hoc argumentum ita exponitur a S. Th. in S. *Theol.*, I p., q. 19, a. 1. « Voluntas intellectum consequitur. Sicut enim res naturalis habet esse in actu per formam suam, ita intellectus est intelligens actu per suam formam intelligibilem. Quaelibet autem res ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem, ut, quando non habet ipsam, tendat in eam, et quando habet ipsam, quiescat in ea. Et idem est de qualibet perfectione naturali; quod est bonum naturae. Et haec habitudo ad bonum, in rebus carentibus cognitione, vocatur appetitus naturalis. Unde et natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem similem habitudinem habet; ut scl. cum habet ipsum, quiescat in illo; cum vero non habet, quaerat ipsum. Et utrumque pertinet ad voluntatem. Unde in quolibet habente intellectum est voluntas, sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis. Et sic oportet in eo esse voluntatem, in quo intellectus adest, et ita intelligere et velle semper simul comitantur ». Et alibi (1 S., D. 45, q. I, a. I). « In omni natura, ubi invenitur cognitio, invenitur appetitus et delectatio. Et huius ratio est, quia omne, quod habet virtutem cognoscitivam, potest diiudicare conveniens et repugnans; et quod apprehenditur ut conveniens, oportet esse volitum vel appetitum. Et ideo in nobis secundum duplicem cognitionem sensus et intellectus est duplex appetitiva virtus ».

(2) I II p., q. 8, a. I, ad 1um.

tur, quod apprehendatur in ratione boni, non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem ». Quare *bonum conveniens* est illud, quod apprehenditur ut bonum ei, a quo appetitur, prout ei convenit.

330. **Corollarium.** — *Ergo voluntas nequit ferri in malum ut sic*, — unde quicquid appetitur, semper intenditur sub aliqua ratione boni. Nihilominus quandoque voluntas appetit etiam malum, sed semper sub ratione boni, quod dicitur bonum apparens. Et propter hoc ait Arist., quod *finis* est *bonum*, vel *bonum apparens*. At quum eadem sit *facultas contrariorum*, voluntas versari debet etiam circa malum, sed ratione omnino opposita, uti clare admodum explicat S. Thomas (1). « Eadem potentia est oppositorum, sed non eodem modo se habet ad utrumque. Voluntas igitur se habet ad bonum et malum: sed ad bonum *appetendo* ipsum, ad malum vero *fugiendo* illud. Ipse ergo actualis appetitus boni vocatur *voluntas*; secundum quod voluntas nominat actum voluntatis; sic enim loquimur de voluntate; fuga autem mali magis dicitur *noluntas*. Unde sicut voluntas est boni, ita noluntas est mali ». Sed ipsa eadem fuga mali est appetitus boni, oppositi nempe illi malo, quod quis fugit.

Thesis LXIV.

Bonum est finis ultimus, in quem voluntas necessario tendit, et in cuius consecutione consistit ipsius felicitas.

331. **Status quaestionis.** — Ens et bonum convertuntur, quare sicut distinguitur *ens communissimum* et abstractissimum, quod de omnibus praedicatur, et *ens perfectissimum ac subsistens*, quod est unicum et actu infinitum; ita distinguendum est *bonum communissimum*, quod exhibet ipsam rationem boni in se, et extenditur ad omnia bona; ac

(1) Quaest. disp. q. VI, *de malo*, a. unico. Cfr. etiam Suarez, *De Anima*, l. V, c. 2, ubi clare ostendit contra nonnullos ex Nominalistis et Scotistis, nos nunquam prosequi vel amare malum sub ratione mali, sed semper sub specie boni.

bonum in se subsistens, quod in se actu continet quicquid habet rationem boni, et est ipse Deus. — Primum bonum non existit in rerum natura, sed tantum in mente, sicut et ens abstractissimum. Sed quoniam ipsum est obiectum adaequatum intellectus nostri, sequitur, bonum illud, in quod primo tendit voluntas, esse praecise bonum in genere, in quod dicimus voluntatem *necessario* tendere.

Necessitas intrinseca. — In hoc bonum voluntas tendit *necessitate intrinseca* seu *naturae*, quae definiri solet: *determinatio facultatis ad unum*, et communis est omnibus facultatibus. Ea vero in se constituitur per intrinsecam facultatis determinationem, ad consequendum finem ab auctore naturae statutum.

At motus voluntatis non terminatur in bono abstracto sed in obiecto concreto; propterea tendit in huiusmodi obiectum, in quo tota ratio boni reperiatur; quod est ipsum ens in se subsistens ac perfectissimum. Ergo voluntas necessario tendit etiam in istud bonum. — Quare si hoc quoque primo et in se perfecte apprehenderetur, sicut apprehenditur ens communissimum, voluntas naturaliter seu *physica necessitate* in ipsum quoque tenderet, sicut accidit in visione beatifica. Si contra intellectus illud non apprehendit primo ac perfecte in se, sed per diversos actus discursivos, voluntas non inclinatur in ipsum per naturae determinationem, sed per rationis discursum, ex quo exurgit *necessitas moralis*. Videlicet intellectus, per ratiocinia et argumenta, proponit voluntati hoc ens perfectissimum, tamquam in se continens omnem boni rationem, ita ut, si voluntas *velit rationabiliter agere, debeat necessario in ipsum tendere*.

Felicitas. — Hinc *duplex* etiam distinguitur *felicitas*. — Felicitas enim *subiective* inspecta est *quies animi, habita in possessione illius boni, quod omnem eius tendentiam explet, obiective* autem est hoc ipsum *bonum*, quod totaliter *quietat* appetitum, ac proinde totam suam capacitatem perficit. Et quum ipsum constituat finem ultimum, ideo felicitas est *quies animi in consecutione ultimi finis*. Ergo tendentia in ipsam rationem boni est in *felicitatem in abstracto*: tendentia vero in consecutionem boni perfectissimi realis est in

felicitatem in concreto. Et in utramque voluntas necessario tendit, sive necessitate physica, sive morali.

332. **Necessitas a coactione** — Ab utraque hac necessitate secernenda est *necessitas a coactione*, quae dicitur etiam ab extrinseco, et exoritur ex externa vi, quae fit in aliquam facultatem ad eam determinandam. Porro haec vis exerceri nequit, nisi in exteriora corporis membra, ea movendo ad aliquem actum ponendum, qui proinde simpliciter vocatur *coactus*, et opponitur *voluntario*, quia fit sine ullo propriae voluntatis imperio.

Ipsa autem voluntas in se nullam coactionem potest pati ad ponendum actum proprium, i. e. a seipsa elicitum; quum nullum ens, praesertim creatum, vim habeat movendi voluntatem alterius ad aliquem actum ponendum. Imo *per se neque* ipse auctor naturae, nempe Deus, potest hanc vim exercere. Is enim nequit influere in actum, qui contradictionem involvat. Atqui actus voluntarius est actus elicitus a voluntate, qui nempe a seipsa ut a propria vi determinetur in bonum tamquam in finem: actus vero ab alio coactus non determinatur ab ipsa voluntate, sed a causa extrinseca, renuente potius voluntate; ideoque opponitur actui voluntario. Ergo neque Deus *per se* (1) cogere potest voluntatem ad aliquem actum.

Ergo voluntas nullam pati potest necessitatem a coactione (2): sed solum necessitatem intrinsecam seu naturae circa finem ultimum, qui constituit obiectum felicitatis.

(1) Dicimus *per se*: nam Deus potest tale obiectum proponere voluntati et in talibus *circumstantiis*, vel iubendo, vel monendo, vel inspirando, ut se voluntas moveat ad hoc, seu ut sese determinet ad actum, ideoque ut *ipsa* appetat illud. Et tunc nulla habetur vera coactio. Unde ait S. *Th.* (Quaest. disp. 22 *de Veritate*, a. 8). « Deus potest immutare voluntatem de necessitate, non tamen potest eam cogere. Quantumcumque enim voluntas immutetur in aliquid, non dicitur cogi in illud. Cuius ratio est, quia ipsum velle aliquid est inclinari in illud: coactio autem vel violentia est contraria inclinationi illius rei, quae cogitur. Cum igitur Deus voluntatem immutat, facit ut praecedenti inclinationi succedat alia inclinatio, et ita quod prima aufertur et secunda manet... Et per hunc modum intelligendum est, quod Deus voluntatem immutat sine eo quod voluntatem cogat ».

(2) Immunitas ab hac necessitate vocari solet a quibusdam *libertas spontaneitatis*. Sed revera actus, positus sine coactione, melius diceretur simpliciter *spontaneus* seu *naturalis*, prout non est coactus: et ideo est *voluntarius*. Nam

Necessitas finis. — Cum finis ultimus cuiusque creaturae statuatur ab ipso auctore naturae, determinando eius inclinationem in ipsum, sequitur quod necessitas intrinseca seu naturae eadem sit ac necessitas finis ultimi. Si vero vel idem creator alium ei praestituit finem, vel ipse homo sibimetipsi alium statuit, tunc enascitur *necessitas finis*, quae alia est a necessitate naturae.

Quare necessitas finis determinat facultatem ad unum, sed tantum ex suppositione finis obtinendi et iuxta eius determinationem. Unde si finis statuitur a libera voluntate hominis, determinatio facultatis ab eadem pendet; ac proinde necessitas, quae inde exoritur, est late dicta, nec aufert meritum vel demeritum actionis, ut inferius patebit. Si vero statuitur a Deo creatore ut finis ultimus, superior fini naturae, ad quem Deus per media supernaturalia vult elevare creaturam, habetur necessitas finis supernaturalis, in quem creatura tenetur tendere, ut consequatur felicitatem quoque supernaturalem, de qua in theologia revelata sermo erit.

Nunc loquimur de fine naturali, qui consistit in bono per naturales vires intellectus apprehenso, quod constituit felicitatem naturalem hominis, et asserimus hominem in ipsum tendere necessario necessitate naturae.

333. **Prob. I p.** — « Cum ratio boni in hoc consistat, ut recte ait S. Th. (1), quod aliquid sit perfectivum alterius per modum finis, omne id quod invenitur habere rationem finis, habet et rationem boni ». Atqui quod habet rationem finis ultimi, dicit rationem ultimi perfectivi. Ergo finis ultimus constituitur per ipsam rationem boni.

Praeterea illud constituit finem ultimum *proprium* (2) alicuius entis, quod ipsum perficit secundum ultimam suam

vox *libertatis* potius adhibeatur oportet pro actibus liberi arbitrii, ne confusio suboriatur. Vox enim *libertas* non est a verbo *libet* sed a verbo liberare seu *deliberare*, ac proinde, ut inferius patebit, proprium eius est *deliberare* et *eligere*, quod nullo modo competit actibus spontaneis.

(1) Quaest. disp. *De Verit.*, q. XI, a. 2; cfr. etiam quae diximus in *Metaph. gen.*, n. 106-111.

(2) Dicitur finis ultimus *proprius* alicuius entis, ut distinguatur a fine communi, qui est idem omnium entium, nempe gloria ipsius creatoris, a quo omnia procedunt, et in quem omnia suo modo tendere necessario tenentur.

rationem specificam. Ita e. g. obiectum vitae vegetativae est ultimus finis proprius plantarum, et obiectum vitae sensitivae est ultimus finis proprius belluarum. Atqui ultima ratio specifica hominis est vita intellectiva. Ergo obiectum proprium huius vitae constituit ultimum finem hominis: hoc autem est bonum in se, respondens enti communissimo. Ergo ipsum constituit finem hominis (1).

Prob. II p. — Omnis facultas necessario tendit in obiectum sibi proprium et adaequatum. Atqui bonum in se, quod constituit finem ultimum, est obiectum proprium et adaequatum voluntatis. Ergo.

Voluntas necessario tendit in id, quod est ratio, cur cetera omnia appetantur, secus enim nunquam haberetur ratio sufficiens aliorum appetituum. Atqui ratio, cur voluntas ea appetit, est finis ultimus. Ergo. — *Pr. m.* — Obiectum, in quod tendit voluntas, est bonum. Atqui « id quod est propter se volitum et bonum est finis: unde voluntas proprie est ipsius finis. Ea vero, quae sunt ad finem non sunt bona vel volita propter se, sed ex ordine ad finem; unde voluntas in ea non fertur, nisi quatenus fertur in finem; unde hoc ipsum, quod in eis vult, est finis » (2). Ergo.

Prob. III p. — Felicitas est quies animi habita in possessione boni, quod omnem eius tendentiam explet. Atqui haec quies habetur cum homo consequitur finem ultimum. Ergo. — *Pr. m.* — Omne ens est propter suam operationem, qua tendit in proprium finem ultimum, ac proinde cessat operari, cum suum finem consecutum sit. Atqui quum agens operando consequitur finem, tunc quiescit. Ergo.

(1) Unde Dantes etiam aiebat (*Purg.*, c. XVIII):

« Ciascun confusamente un bene apprende,
Nel qual si queti l'animo e sospira ».

Quae inclinatio ita est a natura, ut homo nesciat afferre rationem; (ib. c. XVIII).

« ... nde vegna l'intelletto
Delle prime notizie, uomo non sape,
Nè dei primi appetibili l'affetto
Che sono in voi, siccome studio in ape
Di far lo miele ».

(2) S. Thomas, I-II p., q. VIII, a. 2.

Coroll. — *Ergo voluntas necessario tendit ad felicitatem.* — Nam voluntas necessario tendit ad bonum quod constituit eius finem ultimum. Atqui in ipso reperitur felicitas. Ergo necessario tendit ad felicitatem.

334. **Dices:** I. Non desunt homines qui spernunt finem ultimum et infelices esse volunt. Ergo. — *R. D. M.:*... qui positive ac directe spernunt, *n.;* qui aliquid appetunt quod ei opponitur, at semper apprehensum ut aliquod bonum, saltem uti cessatio aliquot malorum, et sub hoc respectu appetitur, *c.* — sed etiam tunc appetitur bonum ut finis ultimus, atque adeo felicitas, saltem ut aliquid, quod arcet mala, quae adsunt.

II. Quidam appetunt peccatum sub formali ratione peccati. Atqui peccatum opponitur felicitati. Ergo. — *R. D. M.:*... ut est carentia felicitatis, *n.;* ut est offensa Dei, *subd.;* tantum, *n.;* simul prout est etiam satisfactio propriae passionis, quae praecise appetitur uti bonum, *c.* — *Contrad. m.*, opponitur felicitati in concreto, *c.;* in abstracto, *subd.:* si appeteretur tantum ut offensa Dei, *c.;* si appetitur etiam uti satisfactio propriae passionis, *n.* — Unde etiam ille qui dicitur peccare formaliter ex malitia, uti e. g. *blasphema*, potius quam ex delectatione vel ex infirmitate, semper intendit, peccando, aliquod bonum ac proin de semper tendit in felicitatem in genere.

III. Multi revera cognoscunt finem ultimum esse in Deo, et tamen non appetunt Deum. Atqui isti nequeunt dici appetere finem ultimum. Ergo. — *R. D. M.;* et hoc cognoscunt intuitive ac perfecte, *n.;* per ratiocinium, *c.* — *D. m.;* nequeunt dici appetere finem ultimum in se,*n.;* neque in concreto, *subd.:* quatenus directe ipsum non appetunt, *c.;* quatenus non appetunt aliquid apprehensum uti bonum, *n.* — Quare quum nos cognoscamus Deum per ratiocinium, et in eo distinguamus diversas formalitates, quas semper inadaequate attingimus, contingere potest, quod in eo aliquid apprehendatur tamquam sit malum nobis (semper ob illam rationem, quia eum imperfecte concipimus): puta uti nostrum *dominatorem, legislatorem, iudicem*... et huiusmodi, atque ita ab eo amovemur: quia appetimus uti bonum, non *subiacere ei.* At quoniam tunc recta ratio ostendit, hoc non esse vere bonum, relate ad vitam intellectivam, voluntas irrationabiliter agit, et ideo peccat. Ideoque tunc voluntas ita inclinatur in finem ultimum in se et in felicitatem in abstracto, ut non tendat in felicitatem realem veram, *sed tantum apparentem.*

IV. Daemones ac damnati evidenter cognoscunt, Deum solum constituere finem ultimum. Atqui ipsi odio habent Deum. Ergo. — *R. C. M.;* et *D. m.;* per actum naturalem, *n.;* per actum consequentem actum discursivum, *subd.:* inquantum Deus eis proponitur uti obiectum felicitatis, *n.;* uti iustus Dominus privans eos sui fruitione ob eorum culpas, *c.* — Quinimmo in eis

duplex adest tendentia, altera prorsus naturalis in finem ultimum, quae utpote necessaria nunquam cessat, neque in damnatis; altera vero procedens a voluntate, consequenter ad cognitionem Dei, iusti iudicis, qui iam decrevit eorum punitionem, seu carentiam visionis beatificae ipsius Dei. Et tunc Deus, non prout est in se obiectum beatitudinis, sed prout est iudex decernens privationem huius beatitudinis, odio habetur ab eis. Insuper vero quoniam ipsi cognoscunt se esse in termino, et consequi debere finem ultimum, qui est ipse Deus, voluntas inclinatur ex una parte ab ipsa natura ad explendam tendentiam naturalem in suum verum ultimum finem: ex altera vero voluntas impeditur ponere hunc actum, et potius inclinatur in actum odii, quia ipsa iam antea peccando adhaeserat alicui creaturae, tamquam obiecto felicitatis seu fini ultimo, nec modo in termino valet amplius immutare suam electionem. Et ita enascitur in voluntate et in anima damnatorum intrinseca lucta ac pugna has inter duas tendentias, quae constituit crudelissimum ac inenarrabile eorum tormentum, quod vocari solet *poena damni*.

V. Homines quandoque, et praesertim damnati, appetunt *non esse*. Atqui hoc importat carentiam finis ultimi ac felicitatis. Ergo. — *R. D. M.*:... inspectum uti carentiam omnium malorum, *c.*; inspectum uti destructivum naturae, *n.* — *Contrad. m.*... Et revera quamvis melius sit *esse* quam non *esse*, et qui non est, omni careat felicitate, nihilominus pro eo, *qui est*, et non pertingit ad finem suum, melius est non esse quam esse, unde merito dici potest cum D. N. I. Chr., *melius esset ei, si natus non fuisset homo ille*. Et sub hoc respectu quis potest appetere *non esse*, quod ei esset bonum, quatenus esset carentia malorum, dum contra adhuc habens esse, nullam potest consequi felicitatem, quam penitus amisit.

VI. Quod fit ex necessitate, fit ex appetitu naturali. Atqui voluntas ab eo distinguitur. Ergo. — *R. C. M.* — *D. m.*; voluntas distinguitur ab appetitu naturali praecisive sumpto, *c.*; ita ut nullo modo istum in se includat, *n.* Nimirum appetitus naturalis dicit tantum actum necessarium, consequentem inclinationem naturae: voluntas vero praeter hanc naturalem inclinationem, aliam etiam importat, qua libere tendit in cetera obiecta, uti mox videbimus. Ideoque in voluntate etiam agnoscendus est appetitus naturalis in suum proprium obiectum adaequatum, sicut in ceteris facultatibus. Et actus, procedens ab hac inclinatione, est *voluntarius simul ac naturalis*.

VII. Per voluntatem sumus domini nostrorum actuum. Atqui si voluntas appetit aliquid necessario, non sumus domini... Ergo. — *R. D. M.*:... quoad bona particularia non necessario connexa cum fine ultimo, *c.*; quoad ipsum finem ultimum et media ad ipsum necessaria, *n.* — *Contrad. m.* — « Sumus domini nostrorum actum, ait S. Th. (1), secundum quod possumus hoc, vel

(1) I p., q. 82, a. 1, ad 3um

illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de his, quae sunt ad finem. Unde appetitus ultimi finis non est de his, quorum domini sumus ».

335. **Coroll.** I. *Ergo voluntas hominis necessario appetit media connexa cum fine ultimo.* — Nam qui vult finem, eadem ratione debet velle media ad finem. Ergo.

Addendum tamen est quod revera non dantur media necessario connexa cum bono in genere, atque adeo cum felicitate in abstracto; ac proinde nemo tendit naturali seu physica necessitate ad aliquid aliud praeter ipsam. Contra vero multa dantur media necessario connexa cum fine ultimo in concreto, idest cum bono perfectissimo in se subsistente, nempe Deo. At quoniam inuimus, ad hanc felicitatem hominem tendere necessitate tantum morali, consequitur quod eadem etiam necessitate appetere debeat haec media. Ista necessitas ea est, quae fundat *legem naturalem et obligationem ei inhaerentem;* ea est, ex qua dignoscimus, quae sunt de se bona et quae sunt de se mala...; ea tandem est, ex qua totus ordo moralitatis actionum hominum earumque malitiae ac bonitatis moralis exoritur.

II. *Ergo merito distinguitur voluntas ut natura et voluntas ut ratio.* — « Voluntas enim, et est finis et eorum, quae sunt ad finem; et alio modo fertur in utrumque. Nam in finem fertur simpliciter et absolute sicut in id quod est secundum se bonum: in id autem quod est ad finem, fertur cum quadam comparatione, secundum quod habet bonitatem ex ordine ad aliud. Et ideo alterius rationis est actus voluntatis, secundum quod fertur in aliquid quod est secundum se volitum, ut sanitas, quod a Damasceno vocatur θέλησις, idest simplex voluntas, et a magistro vocatur voluntas *ut natura;* et alterius rationis est actus voluntatis, secundum quod fertur in aliquid quod est volitum solum ex ordine ad alterum, sicut est sumptio medicinae: quem quidem voluntatis actum Damascenus vocat βούλησιν, idest consiliativam voluntatem, a magistro autem vocatur voluntas *ut ratio.* Haec autem diversitas actus non diversificat potentiam: quia uterque actus attenditur ad unam communem rationem obiecti, quod est bonum » (1).

Scholion. — *De modo quo intellectus movet voluntatem et voluntas movet intellectum et alias facultates.* — Quoniam vidimus, obiectum voluntatis esse bonum *apprehensum ab intellectu*, liquido patet intellectum influere in actum voluntatis; voluntas vero, cum possit appetere ut bonum aliquem actum intellectionis, potest item influere in intellectum, ei imperando hunc actum. Quomodo autem uterque influxus exerceatur, clare explicat S. Thom (2). « Aliquid dicitur movere dupliciter. Uno modo per mo-

(1) S. Thomas III p. q. 18, a. 3.
(2) S. *Theol.*, I p., q. 82, a. IV.

dum, quo finis movet efficientem, et hoc modo intellectus movet voluntatem, quia bonum intellectum est obiectum voluntatis, et movet ipsam ut finis. — Alio modo dicitur aliquid movere per modum agentis, sicut alterans movet alteratum, et impellens movet impulsum, et hoc modo voluntas movet intellectum et omnes animae vires... Cuius ratio est, quia in omnibus potentiis activis ordinatis illa potentia, quae respicit finem universalem, movet potentias, quae respiciunt fines particulares. Et hoc appareret tam in naturalibus, quam in politicis... Obiectum autem voluntatis est bonum et finis in communi. Quaelibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris, intellectus ad cognitionem veri. Et ideo voluntas per modum agentis movet omnes animae potentias ad suos actus, praeter vires naturales vegetativae partis, quae nostro arbitrio non subduntur ».

Sed nunc sponte alia fluit quaestio: quomodo voluntas appetit bona, quae non continent in se totam rationem boni, nec sunt cum ipso intime connexa? Respondemus:

Thesis LXV.

Homo gaudet plena libertate arbitrii circa bona particularia.

336. **Declaratur.** — Libertas negative spectata dicitur *immunitas a necessitate sive intrinseca sive extrinseca;* inquantum negat necessitatem extrinsecam, dicitur *libertas a coactione;* inquantum negat intrinsecam, quae dicitur etiam *necessitas naturae*, habetur *libertas naturae;* seu immunitas a vi intrinseca determinante ad unum. Ipsa igitur est proprietas voluntatis, inquantum ista ita tendit in aliquod bonum, ut ipsum non necessario appetat quippe quod totam eius capacitatem non explet; quare definiri potest: *vis activa voluntatis, qua haec, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere vel non agere.* — Dicitur *vis activa*, quia tendentia illa voluntatis est effectus activitatis, quum voluntas sese moveat ad tendendum in obiectum; — additur: *positis omnibus ad agendum requisitis*, quatenus facultas debet esse expedita ad ponendum actum, seu ei omnia media praesto esse debent, quae necessaria sunt ad operandum: tum ex parte obiecti, quod ei proponitur ad appetendum, tum ex parte virtutis, quae requiritur ad ponendum *actum*.

— Tandem dicimus: *potest agere vel non agere*, et in hoc est differentia specifica constituens essentiam libertatis, ea qua distinguitur a facultate non libera, quae necessario ponit actum, quando adsunt omnia necessaria ad agendum. Unde recte ait S. Th. l. c. Hoc est essentiale libero arbitrio, ut possit facere vel non facere ».

Indifferentia obiectiva, subiectiva et activa. Quare ad essentiam libertatis duo requiruntur: 1) tale obiectum ei propositum ad appetendum, ut ipsam non determinet ad actum, sed eam relinquat, ad sui praesentiam, adhuc indeterminatam seu *indifferentem* ad agendum vel non agendum: haec vocatur *indifferentia obiectiva*. Et ideo obiectum quoque vocatur indifferens, prout relinquit voluntatem indifferentem ad agendum, quamvis ita propositum sit, ut nil aliud in eo desideretur, ad movendam voluntatem; — 2) talis vis expedita ad agendum, ut, iam posita in actu primo proximo ad ponendum actum secundum, possit hunc actum ponere vel non: haec dicitur *indifferentia subiectiva*, quia residet in ipso subiecto nempe in ipsa facultate, quae in se gaudet hac virtute indifferenter agendi (2).

Ex utraque indifferentia simul spectata enascitur ea, quae nuncupatur *indifferentia activa*, quae proinde importat tum omnia ad agendum praerequisita, sive ex parte obiecti, sive ex parte facultatis; tum *formaliter* talem virtutem voluntatis, quae, iis omnibus positis, possit agere vel non. Unde merito *activa* dicitur, quae e diametro opponitur indifferentiae passivae non modo materiae primae, verum etiam facultatum operativarum, quae dicuntur passivae, quia nequeunt agere, nisi determinentur ab obiecto, sed, hac posita determinatione, necessario agunt.

337. **Libertas in actu primo et in actu secundo.** *Libertas in actu primo* est ipsa *vis activa voluntatis, quae*

(1) In II S., D. 23, q. 1, a. 1.

(2) Quaenam sint haec omnia, quae requirantur sive ex parte obiecti, sive ex parte facultatis, ut utraque haec indifferentia haberi queat, partim inferius explicabitur, partim in theodicea, quum sermo erit de concursu Dei. Hoc autem certum esse debet, quod nulla habetur libertas, nisi *omnia* prorsus adsint ad hanc utramque indifferentiam constituendam.

de se est indifferens ad ponendum actum vel non, quae, ut diximus, vocatur *indifferentia activa voluntatis*, vel solet etiam appellari *libertas indifferentiae*, *liberum arbitrium*, *libertas electionis;* et ea est, qua efficimur *domini nostrorum actuum*, ut ait S. Th. (1). « Sumus domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc vel illud eligere ». Hoc dominium excludit intrinsecam necessitatem ad agendum « Dominium... quod habet voluntas supra suos actus, quod in eius est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum » (2). Quare libertas in actu primo non est peculiaris facultas sed est ipsa voluntas, gaudens hac indifferentia; unde vocatur *dos voluntatis*.

Libertas in actu secundo constituitur per ipsos actus, qui a libera voluntate procedunt: qui dispescuntur in *elicitos*, qui immediate a libera voluntate fluunt, seu *eliciuntur;* et *imperatos*, qui nempe imperantur a voluntate, et eliciuntur ab aliis facultatibus: quare actus imperati duos includunt, unum elicitum a voluntate, qui imperat, alterum elicitum ab alia facultate, qui est imperatus.

Libertas in actu primo alia est *contradictionis*, alia *contrarietatis* vel *specificationis*. Prior est omnino essentialis, et *est libertas circa actum*, ac vocatur etiam *libertas exercitii actus*, et in eo est, quod voluntas possit ponere vel non ponere actum. Alia priorem praesupponit, et est *libertas circa obiecta*, seu appetendi hoc obiectum vel aliud, et cum ista obiecta sint diversa et aliqua ratione contraria, ideo appellatur *libertas specificationis*, vel *contrarietatis*. Quidam vocant libertatem *contrarietatis* eam, qua eligimus inter bonum et malum: sed cum nemo appetat aliquid nisi sub ratione boni, semper habetur electio inter bonum et bonum. Nihilominus dici potest libertas contrarietatis esse circa *bonum reale* et *apparens*, quod reapse est malum, apprehensum sub ratione boni.

Libertas peccandi. Hinc enascitur in homine potestas ponendi actum bonum vel malum, seu libertas pec-

(1) *S. Theol.*, I p., q. 82, a. 1 ad 3.
(2) *C. Gentes*, l. I, c. 68 fine.

vandi, vel recte agendi, ut etiam ait S. Scriptura: *qui potest transgredi et non est transgressus*, ex qua surgit etiam meritum vel demeritum. Haec libertas non pertinet ad essentiam neque ad perfectionem libertatis, sed est potius defectus libertatis, ac proinde in Deo et Sanctis eius in coelesti patria non reperitur. Ipsa nihilominus est signum libertatis, eodem modo, ut ait S. Th., quo *morbus est signum vitae*, et *claudicatio est signum vis motivae* (1). Imo est signum tam evidens verae libertatis, ut ex ea deduci possit validum argumentum ad eam demonstrandam.

338. **Praenotiones historicae.** — Primus, qui de libertatis natura philosophatus est, Socrates fuit. Ipse primo statuit, hominem non appetere nisi bonum, et malum tantum ex errore; et dein addit, cum ipse dirigitur in hoc appetitu a ratione, libertate gaudet, cum autem a concupiscentia movetur, ex coactione vel necessitate agit. Libertas igitur augetur, cum concupiscentia minuitur (2). Eum secutus est Plato, qui item docuit, libertatem esse in immunitate a concupiscentia, et augeri, quum homo ab istius influxu se subtrahit.

Hunc libertatis conceptum perfecit Aristoteles, docens, libertatem exerceri tum in actibus bonis tum in malis, qui nempe ex concupiscentia ponuntur. Et statuit, libertatem oriri ex eo, quod voluntas sequitur intellectum, qui deliberare potest. Unde liberum arbitrium (προαίρεσις) in eo est, quod actus voluntatis sequatur deliberationem rationis, quae ei diversa proponat bona, quin determinet ad unum prae alio. Sed ipsa voluntas libera electione sese determinat, eligendo id, quod sibi melius esse videtur (3).

Hunc conceptum libertatis melius adhuc perfecerunt PP. et Scholastici, distinguentes inter electionem finis et electionem mediorum ad finem, et ostendendo libertatem haberi in electione mediorum, quae non sunt necessario connexa cum fine, in quibus voluntas indifferenter eligit unum prae alio. Quorum communis doctrina ea est, quam nos tuemur.

At Novatores, sicut in ceteris, hanc doctrinam deserentes, in diversos et oppositos inciderunt errores. Et primo reperiuntur, qui omnimodam tuentur voluntatis indeterminationem, etiam circa finem ultimum seu indeterminismum absolutum, quatenus voluntas *unice* a seipsa determinetur et nullo modo ab obiectis.

(1) Cfr. *De Verit.*, q. XXII, a. 6; et q. VI *De Malo*, a. unico.

(2) Cfr. Wildauer, *Die Psychologie des Willens bei Socrates, Plato und Aristoteles*, Innsbruck, 1886.

(3) Τὸ γὰρ ἐκ τῆς βουλῆς προκριθὲν προαιρετόν ἐστιν *Eth. Nicomach.*, l. III, c. 5, 1113 a. 4; cfr. idem c. 7, 1114 b. 22.

vel a motivis in eis existentibus: inter istos recenseri possunt Cartesius, Kant, Fichte, Schelling, Iacobi. — Istis e diametro opponuntur qui *determinismum absolutum* tuentur, quem ob diversa principia, quibus innituntur, diversimode appellant: — *a*) vel *externum*, prout ab externa causa determinationem voluntatis repetunt, i. e. vel a Deo, uti censent Ioh. Huss, Lutherus, Calvinus, Iansenius, vel a fato, ut tuetur Wieleff; vel ab ordine cosmico, ut defendit Spinoza: — *b*) vel *materialisticum*, eo quod omnes voluntatis actiones materiae ex cerebri morbis vel anomaliis, aut ex atavismo repetunt, et libertatem aiunt, non esse nisi illusionem quandam, ita inter alios Büchner et praesertim Lombroso: — *c*) vel *pantheisticum*, quum totum mundum eiusque phaenomena et actiones ortum habuisse putant ex spontanea ac necessaria entis absoluti evolutione iuxta doctrinam Spencer, Schopenauer, Paulsen: — *d*) *psychologicum*, quatenus omnes animi operationes legibus subiiciuntur psychicis, quae necessariae sunt atque mechanicae, uti censet Herbart, quem secuti sunt Drobisch, Volkmann, Lindner.

Profecto longum esset, nisi etiam supervacaneum, omnes hos errores expendere ac refutare, quippe qui vel ex falsis oriuntur principiis, iam alibi explosis, vel ex ipsa nostrae sententiae demonstratione iam refutati manent. Ad hanc igitur demonstrandam accedamus, et in solutione difficultatum adversariorum argumenta dissicere conabimur.

339. **Prob.** — Et primo *a priori, ex ipsa natura obiecti proprii voluntatis humanae*. — Et sane: obiectum sese habet ad appetitum tamquam movens ad motum; obiectum enim est finis, qui inspirat appetitui amorem sui, eumque movet ad operandum seu ad tendendum in ipsum. Atqui tunc aliquod movens necessario aliud movet, quando eius virtus vel excedit vel adaequat virtutem mobilis, quod proinde ei resistere nequit, sed necessario ab eo trahitur. Ergo illud obiectum necessario movet voluntatem, quod vel excedit vel adaequat eius virtutem appetitivam. Atqui tale obiectum est dumtaxat bonum, in quo nullum reperitur malum, ac proinde nulla adest carentia boni. Obiecta vero particularia semper adnexam habent aliquam carentiam boni. In quibus ideo intellectus « potest considerare rationem boni alicuius et defectum alicuius boni, quod habet rationem mali; et secundum hoc potest unumquodque huiusmodi bonorum apprehendere ut eligibile vel fugibile » (1). Ergo ista non necessario movent

(1) *S. Th.*, I-II, q. 13, a. 1

voluntatem, atque adeo voluntas ita ea appetit, ut possit non appetere: quod perinde est ac, voluntas, positis omnibus requisitis ad suum actum eliciendum, potest ipsum ponere vel non ponere.

Ad rem S. Th. (1) « dicendum, quod movens tum ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas moventis excedit mobile, ita quod tota eius possibilitas moventi subdatur. Cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni universalis et perfecti, non subiicitur eius possibilitas tota alicui particulari bono; et ideo non ex necessitate movetur ab illo ». Et alibi (2) « Iudicii libertate carent aliqua vel propter hoc quod nullum habent iudicium, sicut quae cognitione carent, ut lapides et plantae, vel quia habent iudicium a natura determinatum ad unum sicut irrationalia... Quaecumque igitur habent iudicium de agendo non determinatum a natura ad unum, necesse est liberi arbitrii esse. Huiusmodi sunt omnia intellectualia, intellectus enim apprehendit non solum hoc vel illud bonum, sed ipsum bonum commune: unde quum intellectus *per formam apprehensam moveat voluntatem; in omnibus autem movens et motum oportet esse proportionata*, voluntas substantiae intellectualis non est determinata nisi ad bonum commune. Quidquid igitur offertur sibi sub ratione boni, poterit voluntas inclinari in illud, nulla determinatione naturali in contrarium prohibente ».

340. **Dices** I. Argumentum supponit voluntatem esse facultatem passivam, et obiectum esse activum. Atqui contra voluntas est facultas activa. Ergo. — *R. D. M.;*... esse facultatem mere passivam, vel talem quae debeat intrinsece determinari ut eliciat actum suum, *n.;* esse facultatem ita activam, quae indiget tamen causa finali, a qua moveatur ad operandum, *c.* — *Contrad. m.*... Omnis causa efficiens nequit agere, nisi moveatur a causa finali, uti vidimus in metaph. gener. Th. I, et sub hoc respectu omnis causa efficiens passiva vocari posset, quatenus finis est verum movens, quod eam movet ad operandum, quamvis tantum in ordine intentionali. Attamen hoc semper sensu improprio vel latiori dicitur, quia proprie facultas passiva ea est, quae ab alio movetur tamquam a causa efficienti vel formali.

II. *Instas.*: Si obiecta particularia non essent moventia adaequata voluntatis, nunquam eam moverent. Atqui de facto movent. Ergo. — *R. D. M.;*... si causa illius motus seu appetitus essent sola obiecta particularia, *c.;* si est etiam ipsa voluntas, quae, quum actu appetat finem, movet se ad appetitum istorum obiectorum, *n.* — *Contrad. m.;* ipsa sola movent, *n.;* ipsa simul cum

(1) I p., q. 82, a. 2, ad 2
(2) *C. Gentes*, l. II, c. 48.

eadem voluntate, *c.* — Iamvero ad hoc rite intelligendum advertendum est, quod voluntas non potest aliquod bonum appetere, nisi prius appetat bonum in genere, sicut oculus nequit aliquem colorem aspicere, nisi prius lucem videat. Quare voluntas, quum appetat bonum in genere, potest sese movere ad appetendum hoc vel illud bonum particulare; inquantum istud ita allicit voluntatem, ut impotens sit ad eam movendam, et tunc ipsa voluntas sese movet ad ipsum: quatenus dicit: *volo nunc rationem boni praecise in hoc obiecto, quamvis possem illam velle in alio, quia in isto non invenitur tota ratio boni.* Ad rem S. Th. (1) « Ergo dicendum quod voluntas (quando appetit bonum particulare) non secundum idem movet et movetur: unde nec secundum idem est in actu et in potentia; sed inquantum *actu vult finem, reducit se de potentia in actum respectu eorum, quae sunt ad finem,* ut scilicet actu ea velit »; quae tamen cum non sint necessario connexa cum fine, nec exhibeant totam rationem finis, non necessario appetuntur, quum etiam alia appeti potuerint, quae aequo modo ducunt ad finem.

341. **Prob. a posteriori** 1) *ex communi experientia.* Unusquisque enim in se experitur, se ita appetere haec bona particularia, ut possit etiam non appetere; imo quandoque incipit appetere, ac deinde sese retrahit. Item saepe homo consiliat, ut inspiciat utrum conveniat aliquid appetere vel non, saepe anceps manet, aliorum consilia petit... etc. Atqui haec luculenter ostendunt, nos ita appetere bona particularia, ut possimus etiam non appetere. Ergo.

Nec iuvat instare cum Du Bois-Reymond, quod est *illusio quaedam:* haec enim refundenda esset in ipsam hominis naturam, quae delectaretur, hisce fallaciis nos subiicere, quod nefas est cogitare, quum praesertim multae aliae adsint rationes, quae idem confirment.

2) *Ex imputabilitate actionum.* — Omnes enim imputant hominibus actiones, quas constat ex libero arbitrio esse productas, easque a ceteris distinguunt. Ita e. g. nemo imputat puero, nondum rationis ac libertatis usum habenti, nec amentibus vel somniantibus, actiones quas exerunt, neque proinde rationes ab iis expetant, nec laude vel vituperio eos afficiunt. Dum oppositum contingit quoad homines, quos apparet usu rationis pollere, quosque omnes pro comperto

(1) *S. Th.*, I II p., q. 9, a. 3 ad 1.

habent libere agere. Ad rem S. Th. (1) « Ex hoc dicitur actus culpabilis vel laudabilis quod imputatur agenti : nihil enim aliud est laudari vel culpari, quam imputari alicui malitiam vel bonitatem sui actus. Tunc enim actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius ita, ut habeat dominium sui actus ». Ergo.

3) *Ex existentia boni malique moralis.* — Si homo libertate non gauderet, quidquid ageret ex necessitate faceret. Atqui tunc neque bonum aut malum morale haberi posset. Ideoque ut quis ostendat, se male non egisse, demonstrandum curat, se non potuisse aliter agere, seu necessario egisse (2). Et propterea, ait S. Th. (3), « secundum hoc aliquid ad genus moris pertinet, quod est voluntarium » (i. e. liberum) : et « in actu voluntatis quaerenda est radix et origo peccati ». Ergo.

4) *Ex existentia legis* praesertim *remunerativae* et *vindicativae* : — Omnes agnoscunt hanc legem necessariam ac prorsus iustam esse. Atqui ipsa iniusta et inanis evaderet, si homo nulla gauderet libertate. Et ideo est, ut quis, ad ipsam effugiendam, ostendendum aggreditur, se libere non egisse. Imo ipsi deterministae consequenter asserunt, existentiam huiusmondi legis esse iniustam; quorum sententiam omnes reiiciunt. Ergo.

5) Pariter « si aliquid non sit liberum in nobis, ut ait S. Th. (4), sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum et punitio, et laus, et vituperium ». Nec item existerent tribunalia, lites offensiones. Atqui haec omnia sicut semper extiterunt, ita nunquam auferri possunt, et adsunt uti invictum testimonium libertatis hominis. Ergo.

6) Tandem omnes experiuntur internas agitationes, quae *conscientiam* seu animum remordent in malis operibus etiam

(1) S. *Th.* I p. q. 21, a. 2 [illegible] I p. q. 48, [illegible] S., D. 39, q. 1, a. 2.

(2) Et ex adverso quandoque quis se in culpam vocat, et poenitentiam agit. Atqui ut advertit S. Augustinus *De Actibus contra Felician. Manich.* « si poenitentia est, et culpa est; si culpa est, et voluntas (i. e. libera) est in peccando; natura non est, quae cogat ».

(3) *C. Gentes*, l. III, c. 9 et 10.

(4) Quaest. disp., q. VI, *De Malo*, a. unico.

occultis; et gaudia, quibus afficimur in bonis operibus item occultis. Atqui haec ostendunt, nos plene et clare experiri libere egisse, et in nostram culpam vel meritum vertenda esse opera patrata. Ergo.

Doctrina determinismi igitur non modo pugnat cum recta ratione, sed omnem etiam religionem, moralitatem ipsamque societatem funditus subvertit, et nostrae ipsius conscientiae testimonio refragatur.

Multa ab adversariis proferuntur argumenta, quae fere omnia a materialismo petuntur. Praecipua seligimus.

342. **Obiicies I. (ex principio causalitatis).** - Quicquid movetur ab alio movetur. Atqui quod ab alio movetur, non est liberum. Ergo. — *R. D. M.;...* ab alio movetur tamquam a causa prima, *c.;* tamquam a causa determinante actum ipsius, *subd.;* si non gaudet in se peculiari quadam vi, qua sub influxu causae primae possit sese movere ad actum, *c.;* si ipsa gaudet, *n.* — *Contrad. m.;...* quod movetur a causa prima una cum illa vi sibi propria, *n.;* sine hac vi peculiari, *c.* — Interim praescindimus a ratione, secundum quam voluntas a causa prima ita moveatur, ut simul libere se moveat ad agendum. Sed tantum dicimus, quoniam haec duo a nobis simul asseruntur, certe principium causalitatis intactum manet.

Instas: Nihil movetur de potentia in actum nisi per ens actu. Atqui voluntas est tantum in potentia. Ergo nequit se movere ad actum. Ergo. — *R. C. M.;* — et *d. m.;* est in pura potentia, *n.;* ita est in potentia ut sit etiam in actu relate ad finem ultimum, *c.* — *D. C.*, nequit se reducere de potentia in actum relate ad finem ultimum,*c.;* neque relate ad alia bona particularia, *n.* — Confer explicationem datam in n. 340.

Urges: Voluntas relate ad bona particularia est indifferens. Atqui nullum indifferens potest transire ad actum determinatum, nisi ab alio determinetur. Ergo. — *R. D. M.;...* est indifferens in differentia activa, *c.;* passiva, *n.* — *Contrad m.;* quod est indifferens indifferentia passiva, *c.;...* indifferentia *activa*, *subd.;* nisi determinetur ab alio tamquam a forma, quae ipsum actuat, *n.;* tamquam ab obiecto, a quo saltem inadaequate movetur ad agendum, *c.* — Et sane indifferentia activa est propria formae, quae de se ordinatur ad operandum, et potest ponere vel non actum. Quare haec indifferentia non requirit aliam formam, a qua intrinsece actuetur, ut determinetur ad operationem, sed indiget tantum influxu quodam obiecti, circa quod versatur operatio illius formae. Iamvero huiusmodi influxus vel talis est, ut necessario determinet formam ad operandum, et tunc ipsa necessario agit; vel ita influit, ut non necessitet facultatem ad operandum,

sed ipsa etiam facultas active concurrit, ut determinetur ab illo influxu; et tunc libere se determinat ad agendum, ita ut possit etiam non agere.

II. **(Ex principio rationis sufficientis).** Omnis effectus requirit rationem sui vere sufficientem. Atqui actus liber, quem voluntas poneret circa obiectum particulare, non haberet rationem sui vere sufficientem. Ergo. — *R. D. M.;* si per *rationem* intelligitur causa efficiens, *c.;* si vero causa finalis, *subd.;* ita ut ipsa debeat necessario movere ad operationem, *n.;* ita ut possit etiam libere movere, *c.* — *Contrad. m.;...* non haberet causam efficientem, *n.;* non haberet causam finalem, *subd.;* quae necessario moveret, *c.;* quae libere moveret, *n.* Et sane causa finalis vere sufficiens actus voluntatis est semper finis ultimus, quem ipsa actu appetit. Sed bona particularia, quum in se non contineant totam rationem finis ultimi, nequeunt necessario movere voluntatem, ac proinde tantum finis ultimus est ratio vere sufficiens ac necessaria, movens voluntatem ad actum ponendum (1).

Instas: quum adsunt duo bona aequalia, si voluntas libere in unum fertur, nulla adest ratio sufficiens, cur potius in illud quam in aliud feratur. Ergo. — *R. D. A.;* nulla adest ratio sufficiens in ipsis obiectis, *c.;* in voluntate, *n.* — Nam voluntas ipsa est, quae sese determinat, ut unum prae alio appetat. Et hic adverte, quod ad hoc ut voluntas, inter duo bona particularia posita, eligat unum potius quam aliud, non requiritur quod illud perfectius sit, vel in se contineat peculiarem rationem boni, quae in alio deest, sed sufficit quod in eo reperiatur aliqua ratio boni, etiam minor vel forte minima, quam nunc appetere vult voluntas, spreto alio. Ad rem S. Th. (2) « nihil prohibet, si aliqua duo aequalia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio per quam emineat; et magis flectatur voluntas in ipsum quam in aliud ». Unde nunquam determinatur ad eligendum maius bonum.

Urges: Sed tunc hoc in casu *stat pro ratione voluntas.* Atqui hoc est illicitum. Ergo. — *R. D. M.* i. c. stat voluntas contra rationem, *n.;* stat voluntas praesupposita ratione, quae nec prohibet nec iubet, sed integrum relinquit voluntati eligere unum prae alio, *c.* — *Contrad. m...* Et sane illud principium est illicitum, quando ratio aliquid iubet esse faciendum, et voluntas oppositum eligit. Sed si ratio plura bona proponit aequo modo eligibilia,

(1) Unde merito ait Leibniz, quod ponere determinationem facultatis ex plena indifferentia absolute indeterminata idem est ac eam ponere ex nihilo. Addimus tamen, hoc contingere tantum in sententia eorum, qui tuentur absolutum indeterminismum, non autem in nostra, quae tuetur determinationem voluntatis circa finem ultimum, ut ostendimus. Perperam igitur existimat ipse hoc suo argumento omnem denegandam esse libertatem etiam circa bona particularia. Cfr. quae habet in *Theodic.*, n. 304-307.

(2) *S. Theol.*, I-II p., q. XIII, a. 6 ad 3.

tunc voluntas potest unum prae alio eligere tantummodo, *quia ipsa ita vult*, seu quia appetit aliquam perfectionem huius rei, spretis aliis, quae in altera reperiuntur; quod est prorsus licitum: et in hoc consistit ipse usus libertatis. At praeterea etiam quando ratio dictat, aliquid esse faciendum, voluntas oppositum eligere potest; et tunc utique habetur defectus vel abusus libertatis; iuxta illud poëtae: *vidi meliora, proboque, deteriora sequor*: quod illicitum sane est, at simul necessário supponit existentiam libertatis.

III. **(Ex limitatione voluntatis).** Voluntas, quae gaudet libero arbitrio, est indifferens ad omnia media, quae ducunt ad finem. Atqui voluntas humana utpote limitata non est ita indifferens. Ergo. — *R. D. M.* Voluntas quae gaudet *perfectissimo* libero arbitrio, *c.;* quae gaudet limitato libero arbitrio, *n.* — *C. m.* Et pariter *D. C.* Et revera nos sicut reiicimus indeterminismum absolutum; ita etiam non asserimus voluntatem gaudere perfectissimo libero arbitrio, quod est solius Dei, sed libero arbitrio circa illa media, quae suae potestati subsunt, quae sunt prorsus limitata. Rem acu tangit Aquinas noster (1) « Sciendum est, quod, cum liberum arbitrium sit quaedam potentia, constituta intra rationem et supra (facultatem) motivam exequentem, dupliciter aliquid extra potestatem liberi arbitrii invenitur. Uno modo ex hoc, quod excedit efficaciam motivae exequentis, quae ad imperium liberi arbitrii operatur; sicut volare non subest libero arbitrio hominis, quia excedit vim potentiae motivae in homine. Alio modo aliquid est extra potestatem liberi arbitrii, quia ad ipsum rationis actus non se extendit. Cum enim actus liberi arbitrii sit electio, quae consilium, idest deliberationem rationis sequitur, ad illud se liberum arbitrium extendere non potest, quod deliberationem rationis subterfugit, sicut sunt ea, quae impraemeditate occurrunt ». Unde isti actus vocari solent *primo-primi* et indeliberati, in quibus proinde nullum adest libertatis exercitium.

IV. **(Ex appetitu sensitivo).** Appetitus intellectivus subiicitur sensitivo. Atqui iste non est liber. Ergo. — *R. D. M.*:... semper, *n.;* quandoque, *subd.;* ita ut possit resistere, si velit, *c.;* ita ut nequeat resistere, *subd.;* quando praevenitur deliberatio rationis, unde habentur actus primo-primi, *c.;* etiam in actibus deliberatis, *n.* — Quo pacto appetitus sensitivus influat in intellectivum, explicabitur in schol. seq. Interim dicimus, quod si quando ipse ita influit, ut praeveniat deliberationem rationis, revera aufert libertatem; et quoniam huiusmodi appetitus vocatur *concupiscentia*, ideo etiam dici solet, quod quandoque *concupiscentia aufert voluntarium et liberum*. Hoc autem non semper accidere, evidens cuique est ex propria experientia.

V. **(Ex inclinationibus hominum).** Summa energia semper eadem est in mundo, quia omni actioni aequalis respondet con-

(2) *De Veritate*, q. XXIV, a. 12.

traria actio. Atqui posita libertate, hoc non haberetur, quia homo contrariam actionem posset ponere vel non, ad libitum. Ergo. — *Resp.* 1) Hoc argumentum peccat falso supposito, quod nempe omnis actio etiam ipsius libertatis sit materialis et forte etiam mechanica (1), quod certe est prorsus falsum. Ac proinde inutile omnino videtur examen instituere de ipso principio energiae, ut faciunt Renouvier, Naville, Fonsegrive et alii, qui ipsum in dubium quoque revocant. — Quare *resp.* 2) *D. M.:* summa energiae physicae vel mechanicae, *c.;* vel *transeat*, energiae spiritualis, *prorsus negatur.* — *Contrad. m.:* non haberetur eadem summa energiae physicae vel mechanicae, *n.:* spiritualis, *c.*. Et revera qui vel leviter considerat mirum illum progressum in operibus a ratione ac libera hominis voluntate procreatis, in scientiis, in artibus, in litteratura, nescio quam summam energiae in eis metiri valeat, et quaenam sint illae actiones, quibus tot aequales contrariae actiones respondeant. Eadem responsio danda est simili argumento a Leibniz proposito ex eo, quod tota rerum universitas determinatam et ingentem constituit harmoniam, in qua unaquaeque monades cooperatur in bonum universi. Porro si ea harmonia intelligitur, quae ex physica legum adimpletione exoritur, et qua praecise *coeli enarrant gloriam Dei*, omnes materiales creaturae cooperantur ad eam consequendam, ex naturali inclinatione, sine ullo libertatis exercitio. Sin autem ea intelligitur, quae in manifestatione divinae gloriae consistit, potissimum habita per cognitionem et amorem entium intelligentium, ea obtinetur per naturae inclinationem, quae libertatis usum exposulat. Huiusmodi entia hanc gloriam manifestant per tales cognitionis actus, quibus in Dei amorem inclinantur, quin tamen physice determinentur, uti nuper demonstravimus (2).

Instus. Libertas hominis exercetur etiam in actibus imperatis, qui versantur circa materiam. Atqui tunc summa energiae mechanicae vel physicae possumdari posset. Ergo. — *R. C. M.:* et *d. m.:*... posset modificari, *c.;* posset destrui, *n.* Tunc enim homo elicit ut alicui actioni respondeat alia contraria actio diversa ab ea, quae naturaliter contingere deberet; uti ingiter usuvenit in machinis artificialibus. Et ita summa energiae non destruitur, sed modificatur; quod non modo non repugnat, sed probe omnino fieri potest.

VI. **(Ex inclinationibus hominum).** Ex historia patet dari delinquentes a nativitate, homines qui naturaliter et constanter inclinantur ad diversa vitia, imo ex statistica apparet, summam delictorum in omni aetate esse fere eandem. Atqui haec omnia pugnant cum libertate. Ergo. — *Resp.* 1) Non vacat hoc argu-

(1) Conferatur e. g. Dubois-Reymond, qui aperte asserit hoc argumentum innitī in monismo materialistico, in *Revue philos.*, février 1882, p. 182.

(2) Cfr. quae ipse habet in *Theodic.*, n. 305.

mentum prosequi, sicut fuse a suis fautoribus propugnatur (1). Nam nimis probat, ergo nihil probat. Si enim ipsum admittitur, sequitur quod homines facinorosi puniendi ac vituperandi non essent; omnes hominum operationes aequa lance pensandae, et nemo esset monendus, corrigendus, educandus... et ita porro. Atqui haec omnia patet, falsa esse et absurda. Ergo... — Quare *Resp.* 2) *D. M.;* ex historia patet hos homines necessitari ad illos actus, *n.;* habere maiorem inclinationem ad ipsos, quae est vel ex pravo habitu, vel ex pravis aliorum exemplis, vel ex aliis extrinsecis circumstantiis, quin tamen ullo modo ad eos necessitentur, *c.* — *Contrad. m.* — Ad vim huius difficultatis penitus enervandam, haec prae oculis habenda sunt. — 1) Libertas hominis non est indeterminismus absolutus, sed omnino limitatus, uti diximus; quia homo necessario tendit ad finem ultimum et ad media cum eo connexa. — 2) Ea proinde reducitur tantum ad electionem illorum mediorum, quae non sunt cum eo necessario connexa, quatenus in sua potestate est eligere unum potius quam aliud. — 3) Sed etiam in istis eligendis homo saepe ducitur ex naturalibus inclinationibus, quae profluunt vel ex lege naturali, vel ex carnis concupiscentia, quae duo communia sunt omnibus hominibus; vel etiam ex habitibus, qui faciliter in communi hominum vita contrahuntur, aut occasionibus, quae ordinarie contingunt. — 4) Inde sequitur quod tota hominum vita plus minusve iisdem continetur actionibus, sive bonis sive malis, unde etiam repeti solet cum S. Scriptura: *nil sub sole novi*: ac saepe dicitur: *historia est magistra vitae;* et solet pariter moralis illa certitudo haberi, quod *homines in his vel illis circumstantiis constituti hoc vel illo modo agant*, sicut nempe ceteri homines agere consuevernnt. — 5) Attamen in omnibus istis actionibus evidenter patet, homines libere egisse et iugiter agere: quod ex eo etiam elucet, quia quamvis actiones illae generice inspectae eaedem sint, si tamen individue inspiciantur, *uti praecise considerandae sunt*, apparent tam diversae in *circumstantiis* vel *modis*, quibus comitantur, aut *mediis* quae adhibentur, ut aperte constet, eas libera determinatione et electione patratas esse. Et hanc ob rationem consequuntur ad actiones malas angores, necnon vituperationes infamiae et poenae; et e converso ad actiones bonas interna gaudia, item laudes ac praemia.

Et stultum esset instare cum Payot (2) poneas ac praemia adhiberi tantum ad nova producenda motiva agendi iuxta leges determinismi. — Illi enim, qui ea sanciuntur et applicant, minime hoc intendunt; et tamen hi quoque homines sunt et omnino

(1) Cfr. inter alios Quetelet, *Du système social et des lois qui le régissent;* et Durckeim, *Le Suicide*, a. 1897: qui conantur ostendere conformitatem inveniri in hominum diversarum aetatum actionibus.

(2) n opere *L'éducation de la volonté*, quod propter pessimum influxum, quem potius exercebat in hominum voluntatem, ab Ecclesia merito in indice librorum prohibitorum relatum est.

conscii se punire ac praemiare homines ob actiones libere patratas, et ad eos deterrendos a pravis, et incitandos ad bonas iterum exercendas. Ceterum leges determinismi sunt immutabiles, neque indigent novis motivis ad determinandos homines ad suas actiones, uti patet in illis actionibus, quae reapse liberae non sunt, et in omnibus legibus physicis. Ergo.

VII. Sicut se habet intellectus ad veritates particulares, ita voluntas ad bona particularia. Atqui intellectus necessario illis assentitur. Ergo voluntas necessario ista appetit. — *R. D. M.;...* ad veritates particulares et evidenter ei apparentes, *n.;* et non evidenter ei apparentes, seu non evidenter connexas cum primis principiis, *c.* — *C. m.* — Omnis veritas particularis, si evidenter apparet intellectui, tunc iam continet totam rationem veri, et necessitat idcirco intellectum. At bonum particulare nunquam continet *totam* rationem boni, ideoque nunquam valet necessitare voluntatem ad appetitum sui (1). Ipsum igitur potius comparandum est cum veritate non evidenti, cui intellectus nequit plene adhaerere; et ideo non necessitatur ad assensum.

VIII. Omnes agnoscunt legem atavismi, quae consequitur phaenomenon haereditatis. Atqui haec pugnat cum libertate. Ergo. — *R. D. M.;...* quae lex ostendit dari *quandoque* easdem inclinationes ad *quasdam* actiones, *c.;* dari veram necessitatem ad eas, *n.* — *Contrad. m.* — Lex atavismi, qua filii necessitantur ad easdem ponendas actiones suorum parentum, non existit nec unquam demonstratur. Secus enim deberet esse universalis, non modo quoad omnes homines, sed saltem quoad omnes actiones filiorum. Atqui certum est, quod filii, qui has easdem exhibent inclinationes ac parentes, non in omnibus eas imitantur, nec eodem modo, et multo minus videntur necessitari ad ita agendum. Sed unice apparet influxus quidam parentum, ratione exempli quod datur, vel adhortationis, vel earundem circumstantiarum, vel etiam ratione haereditatis (2). Qui tamen influxus saepe saepius evanescit, vel modificatur ratione diversae educationis.

IX. Aliae difficultates proponi solent petitae 1° ex necessitate divinae motionis: 2° ex divina voluntate omnia disponente: 3° ex divina praescientia. — Ipsae vero in theodicea solvendae erunt, quum plene explicata sit natura divinae motionis et praescientiae, ideoque modo nequeunt directe intelligi et solvi: sed sufficit interim mente versare hoc principium S. Th. et commune omnibus scholasticis « Cum Deus omnia moveat *secundum rationem mobilium*... etiam voluntatem movet secundum eius conditionem, non ut ex necessitate, sed *ut indeterminate se habentem ad multa* » (3). Et alibi « Voluntas divina est intelligenda ut

(1) Cfr. *S. Theol.*, I. p., q. 82, a. 2.

(2) Confer quae innuimus de phaenomenis haereditatis in n. 93.

(3) *De Malo*, quaest. 6. — Cfr. *S. Theol.*, I p., q. 83, a. 1; et ad 3 ad 5: *De Ver.*, q. 24 et ad 5.

extra ordinem entium existens, velut causa quaedam profundens totum ens et omnes eius differentias. Sunt autem differentiae entis *possibile* et *necessarium*. Et ideo ex ipsa voluntate divina originantur necessitas et contingentia in rebus et distinctio utriusque secundum rationem proximarum causarum » (1).

343. **Scholion I. — De influxu appetitus sensitivi in intellectivum et vicissim.** — Quoniam appetitus sequitur cognitionem, et haec incipit a sensibus, evidens est, quod appetitus, sequens cognitionem sensitivam, influere potest in voluntatem, ipsam inclinando ad illud idem appetendum, imo quandoque ita influit, ut praeveniat rationis actum, ut innuimus in solut. obiect. IV. Quomodo autem hic influxus exerceri valeat, clare explicatur cum S. Thoma.

Et 1) « appetitus sensitivus non immutat voluntatem quasi directe in voluntatem agendo, sed solum *ex parte obiecti* ». Nimirum cum obiectum propositum voluntati sit aliquid sensibile, iam prius a sensibus cognitum fuit, ac propositum appetitui sensitivo, qui proinde iam suum actum elicuerit. Hinc ratio ipsum proponit voluntati, ut *aliquid appetitum vel appetibile a facultate sensitiva*. Et quum ista facultas radicetur in eadem anima ac voluntas, haec potest moveri ab hoc motivo convenientiae, ad appetendum. Ad rem S. Th. (2) « Id quod apprehenditur sub *ratione boni* et *convenientis* movet voluntatem *per modum obiecti*. Quod autem aliquid videatur bonum et conveniens ex duobus contingit, scilicet ex conditione eius, quod proponitur, et eius, cui proponitur... Manifestum est autem quod secundum passionem appetitus sensitivi immutatur homo ad aliquam dispositionem; unde secundum quod homo est in passione aliqua, videtur sibi aliquid conveniens, quod non videtur ei extra passionem existenti... Et per hunc modum, ex parte obiecti, appetitus sensitivus movet voluntatem ».

Hinc 2) accidere potest, quod appetitus sensitivus inclinet voluntatem in obiectum, quod opponatur dictamini rationis. Nam, ut prosequitur S. D. in l. c. « Obiectum voluntatis est bonum apprehensum: sed bonum apprehensum a

(1) In l. I *Periherm.*, l. 14.
(2) *De Veritate*, q. 22, a. 9 ad 6.

ratione universali non movet nisi mediante apprehensione particulari; quae proinde potest proponere obiectum, quandoque oppositum bono universali. Et sic voluntas in appetendo movetur ad illud bonum, quod sibi nuntiat apprehensio particularis; praetermisso illo bono, quod nuntiat ratio universalis. Et per hunc modum huiusmodi passiones voluntatem inclinant; non tamen de necessitate immutant, quia in potestate voluntatis est huiusmodi comprimere; ut usus rationis non impediatur secundum illud Gen. IV, 7: *subter te erit appetitus illius, scilicet peccati* » (1).

Inde 3) enascitur lucta inter appetitum intellectivum ac sensitivum, seu ut dici solet, inter *sensualitatem* et *rectam rationem*. Nam *sensualitas*, ut ait S. Th. (2) « nihil aliud esse videtur, quam vis appetitiva sensitivae partis; et dicitur sensualitas, quasi aliquid a sensu derivatum ». Quare proprium eius obiectum est res bona vel conveniens sentienti; quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, quia est conveniens ad *ipsum esse* sentientis, prout ipsum conservat, sicut cibus, potus et bona omnia quae pertinent ad vitam vegetativam. Alio modo, quia est conveniens ad *ipsum operari* sentientis, sicut color pulcher est conveniens visui ad videndum, sonus moderatus auditui ad audiendum, et bona omnia, quae pertinent ad exercitium vitae sensitivae. — *Recta ratio* est appetitus intellectivus prout inclinatur in obiectum sibi proprium, seu conveniens vitae intellectivae. Haec autem inclinatio manifestatur per dictamina illa rationis practicae, quae dicuntur etiam *praecepta legis naturalis*, quae homo sentit, quum appetit bonum a ratione propositum independenter ab influxu appetitus sensitivi.

Porro quando obiectum appetitus sensitivi non opponitur bono vitae intellectivae, (uti semper contingere deberet iuxta naturae ordinationem), tunc uterque appetitus convenit ad ipsum appetendum, et homo dicitur iuxta rectam rationem agere. Si vero accidit, quod appetitus sensitivus ita immoderate tendit in suum obiectum, ut opponatur bono

(1) I-II p., q. 9 a 2.
(2) *De Veritate*, q. 25, a. 1.

vitae intellectivae, recta ratio vetat illud appetere, et ita enascitur lucta inter utrumque appetitum.

Iamvero in animantibus brutis sapientissimus naturae auctor ordinavit, ut appetitus sensitivus moveretur ab aestimativa, ut ait S. Th. (1); et ideo naturales ac physicas indidit inclinationes, iuxta quas appetitus sensitivus dirigitur in appetendis obiectis iuxta naturae determinationem. In hominibus vero primo subiicitur cogitativae, quae est ratio particularis, et quae nata est dirigi ab intellectu secundum rationem universalem: ac dein voluntati, a qua dirigendus est in suis actibus. Quo fit ut vel ob pravum usum, quem homo facit liberi arbitrii, vel ob vehementiam passionum corporalium, quibus ipse subditur, inordinate tendit in suum obiectum, et ita pugnat cum recta ratione, quae vetat hunc inordinatum appetitum (2).

Quocirca 4) quum sensualitas ita tendit in hoc suum obiectum, ut praeveniat usum liberi arbitrii, habetur actus indeliberatus, qui proinde non est liber, et vocatur *primo-primus*, uti diximus. Si vero non omnino praevenit, tunc actus ille est magis vel minus liber, prout maiorem vel minorem relinquit usum libertatis, ita habentur actus *semi-deliberati*, vel simpliciter *deliberati*. Ad rem Angelicus Doctor (3). « Huiusmodi immutatio hominis per passionem (appetitus sensitivi) duobus modis contingit. Uno modo sic quod totaliter ratio ligatur, ita quod homo usum rationis non habet: sicut contingit in his, qui, propter vehementem iram, vel concupiscentiam, furiosi, vel amentes fiunt, sicut et propter aliquam perturbationem corporalem: huiusmodi enim passiones non sine corporali transmutatione accidunt. Et de talibus eadem est ratio sicut et de animalibus brutis, quae ex necessitate sequuntur impetum passionis: in his enim non est aliquis rationis motus et per consequens nec

1 S. *Theol.*, I p., q. 81, a. 3.

(2) Huiusmodi inordinatus appetitus ille est qui vocari solet concupiscentia, quae in praesenti est effectus peccati originalis, ratione cuius humanum genus privatum fuit dono *integritatis* praeternaturaliter a Deo concesso protoparentibus, ut nobis omnibus communicaretur. At hinc iam patet, donum illud non fuisse omnino debitum humanae naturae, sed aliquid gratuitum, quo medebatur defectui illi naturali.

(3) S. *Theol.*, I-II p., q. 10, a. 3.

voluntatis. Aliquando autem ratio non totaliter absorbetur a passione, sed remanet quantum ad aliquid iudicium rationis liberum: et secundum hoc remanet aliquid de motu rationis ». Et tunc ratio ac voluntas potest suum dominium exercere in appetitum sensitivum sicut et in ceteras facultates, quamvis diversimode.

344. **De Dominio voluntatis in appetitum sensitivum.** — In viribus ordinatis et ad invicem connexis necesse est inferiorem subiici superiori, sicut in ordine mobilium et motorum oportet devenire ad aliquod primum quod est movens se, a quo movetur illud, quod non est ex se motum, ut ait S. Th. (1). Atqui voluntas est vis superior virtuti sensitivae et, utpote *domina sui actus*, est movens se. Ergo ei subiiciatur oportet appetitus sensitivus.

Huiusmodi subiectio tripliciter contingere potest, ut ibid. explicat S. D. « *Primo* quidem ex parte *ipsius rationis*: cum enim eadem res sub diversis conditionibus considerari possit, et delectabilis et horribilis reddi: ratio apponit sensualitati mediante imaginatione rem aliquam sub ratione delectabilis vel tristabilis: secundum quod ei videtur: et sic sensualitas movetur ad gaudium vel tristitiam: et ideo dicit Phil. in I. Ethic., *quod ratio semper suadet ad optima*. — *Secundo* ex parte *voluntatis*: in viribus enim ordinatis ad invicem et connexis ita se habet, quod motus intensus in una earum, et praecipue in superiori, redundat in aliam. Unde cum motus voluntatis per electionem intenditur circa aliquid, irascibilis et concupiscibilis sequitur motum voluntatis: unde dicitur in III *de Anima*; quod *appetitus movet appetitum*, superior scilicet inferiorem, *sicut sphaera sphaeram in corporibus coelestibus*. — *Tertio* ex parte motivae exequentis: sicut enim in exercitu progredi ad bellum pendet ex imperio ducis, ita in nobis vis motiva non movet membra, nisi ad imperium eius quod in nobis principatur, idest rationis, qualiscumque motus fiat in inferioribus viribus. Unde ratio irascibilem, et concupiscibilem reprimit, ne in actum

1 *De Verit.* q. 25, a. IV

exteriorem procedant : propter quod dicitur (Gen. IV, 7). *Subter te erit appetitus tuus* ».

Et ideo « in aliis animalibus statim ad appetitum concupiscibilis et irascibilis sequitur motus: sicut ovis timens lupum, statim fugit, quia non est in eis superior appetitus, qui repugnet. Sed homo non statim movetur secundum appetitum irascibilem et concupiscibilem; sed expectatur imperium voluntatis, quae est appetitus superior » (1). Unde quamvis motivae virtutes proxime moveantur ab appetitu sensitivo, remote tamen voluntati subduntur, quia, ut ibid. ait S. Th., « in omnibus potentiis ordinatis secundum movens non movet, nisi virtute primi moventis ». Unde earum actus vocantur *imperati* a voluntate, et ideo *liberi* atque *imputabiles* sunt.

Dominium voluntatis in sensualitatem est politicum et non despoticum. — Sensualitas ita voluntati subditur ut resistere seu recalcitrari possit, et idcirco comparari solet equo, qui fraenis indiget, quibus ab auriga ducitur, ut eius imperio melius oboediat. Ideo voluntatis dominium in eam vocatur potius *politicum* : quam rem eleganter explicat S. D. ibid. ad 2. « Sicut Phil. dicit in I Politic. (c. III) *est quidem in animali contemplari et despoticum principatum et politicum.* Anima quidem corpori dominatur despotico principatu, intellectus autem appetitui, politico et regali. Dicitur enim despoticus principatus, quo aliquis principatur servis, qui non habent facultatem in aliquo resistendi imperio praecipientis, quia nihil sui habent. Principatus autem politicus, et regalis dicitur, quo aliquis principatur liberis; qui etsi subdantur regimini praesidentis, tamen habent aliquid proprium, ex quo possunt reniti praecipientis imperio. Sic igitur anima dominatur corpori despotico principatu, quia corporis membra in nullo resistere possunt imperio animae, sed statim ad imperium animae movetur manus, et pes, et quodlibet membrum, quod natum est moveri voluntario motu. Intellectus autem, seu ratio dicitur principari irascibili et concupiscibili politico principatu: quia appetitus sensibilis habet aliquid proprium, unde potest reniti imperio rationis. Natus est enim moveri appetitus sensitivus non solum ab aestimativa in aliis animalibus, et cogitativa in homine, quam dirigit universalis ratio, sed etiam ab imaginativa, et sensu. Unde experimur, irascibilem, vel concupiscibilem rationi repugnare per hoc, quod sentimus vel imaginamur aliquod delectabile, quod ratio vetat: vel

(1) S. *Th.* I p., q. 81, a. 3.

triste, quod ratio praecipit. Et sic per hoc quod irascibilis et concupiscibilis in aliquo rationi repugnant, non excluditur quin ei obediant ».

345. **Corollaria.** — Hinc multa sequuntur corollaria, et magni momenti in vita practica. — Et 1) patet, cur magnam patimur difficultatem in exercitio plurium virtutum, earum praesertim, quae necessario expostulant subiectionem appetitus sensitivi voluntati. Unde sequitur semper nobis *patientiam necessariam esse*, qua valemus iugiter contra hanc sensualitatem pugnare, eiusque inordinatos motus compescere. — 2) Inde elucet necessitas *abstinentiae* iuxta celebre illud effatum: *sustine et abstine*: *sustine* in dominando iuxta dictamen rectae rationis; *abstine*, in denegando sensualitati ea, quae contra huiusmodi dictamen ipsa concupiscit. — 3) Ita explicatur, cur quandoque quasi inviti trahimur in malum, et ingemiscimus in delictis nostris, et cogimur nos quoque cum Apost. (ad Rom. 7, 18. 19) repetere « *Velle adiacet mihi; perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago* ». Nimirum, ut scite explicat S. Th. (1) « verbum illud Apostoli intelligitur quantum ad hoc, quod non est in potestate nostra universaliter omnes inordinatos motus sensualitatis impedire, quamvis possimus impedire singulos ». — 4) Ideo quandoque commiseratione digni sumus, quum praesertim delinquimus ob *humanae conversationis fragilitatem;* et ab huiusmodi peccatis facilius erigi ac liberari valemus per exercitium virtutum oppositarum. — 5) Media autem apta ad hoc obtinendum non a sola pendent voluntate, sed etiam a recto usu facultatum sensitivarum, et a rebus illis, quae physice vel physiologice influunt ad hunc rectum usum fovendum, et praesertim ad compescendas ac rite dirigendas passiones partis sensitivae.

346. **Scholion II. De passionibus et affectionibus.** — Passiones, de quibus loquimur modo, vocari solent *animales*, ut distinguantur a passionibus mere *materialibus*. Eae strictiori sensu acceptae non insunt nisi appetitui sensitivo, et cum Damasceno definiri possunt: *motus appetitivae virtutis in imaginatione boni vel mali;* nimirum *motus appetitus sensitivi ortus ex apprehensione boni vel mali cum aliqua alteratione corporis*. Quia « passio, ut ait S. Th. (2), proprie loquendo est secundum motum alterationis. Sed alteratio non est nisi in parte animae sensitiva. Ergo passio

(1) *De Verit.*, q. 2, a. IV, ad 1um.
(2) *De Verit.*, q. 26, a. 3.

non est nisi in parte sensitiva ». Ex quo sequitur, ut idem S. D. addit, quod « passio animalis, cum per eam ex operatione animae transmutetur corpus, in illa potentia esse debet, quae organo corporali adiungitur, et cuius est corpus transmutare » : scilicet in appetitu sensitivo. Et quoniam vidimus (Th. XLV), cor esse organum manifestativum huius appetitus, sequitur ab eo potissimum passiones omnes manifestari. « Unde secundum modum operationis eius (i. e. appetitus) statim disponitur organum corporale, scilicet cor, unde est principium motus, tali dispositione, quae competat ad exequendum hoc, in quod appetitus sensibilis inclinatur. Unde in ira fervet, et in timore quodammodo frigescit et constringitur ».

Duae praecipuae ac veluti fundamentales distinguuntur passiones : **concupiscibilis** et **irascibilis.** — Siquidem, uti scite explicat S. Th. (1), « in rebus naturalibus corruptibilibus non solum oportet esse inclinationem ad consequendum convenientia, et refugiendum nociva, sed etiam ad resistendum corrumpentibus et contrariis. Quia igitur appetitus sensitivus est inclinatio consequens apprehensionem sensitivam, sicut appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem, necesse est quod in parte sensitiva sint duae appetitivae potentiae. — Una per quam animal simpliciter inclinatur ad prosequendum ea, quae sunt convenientia secundum sensum, et ad fugiendum nociva, et haec dicitur **concupiscibilis.** Alia vero per quam animal resistit impugnantibus, quae convenientia impugnant et nocumenta inferunt, et haec vis vocatur **irascibilis.** unde dicitur quod eius obiectum est arduum, quia scilicet tendit ad hoc, quod superet contraria et superemineat eis ».

Obiectum proprium utriusque facile eruitur. « Nam *concupiscibilis* respicit propriam rationem boni, *inquantum est delectabile secundum sensum et conveniens naturae.* Irascibilis autem respicit rationem boni, *secundum quod est repulsivum et impugnativum eius quod infert nocumentum* » (2).

(1) *S. Th.*, p. I, q. 81, a. 2; cfr. etiam *De Verit.*, q. 25, a. 2.
(2) *S. Theol.*, p. I, q. 82, a. 5.

Quocirca, quamvis formalis ratio utriusque obiecti diversa sit, una tamen ad alteram ordinatur; ideo enim repellimus nocivum, ut appetamus delectabile. Ex quo sequitur, ut ait S. Th. (1), « quod irascibilis quodammodo ad concupiscibilem ordinatur, sicut *propugnatrix ipsius*: ad hoc enim necessarium fuit animali per irascibilem victoriam de contrariis consequi, ut concupiscibilis sine impedimento suo delectabili potiretur: cuius signum est quod propter delectabilia pugna est inter animalia ». — Nihilominus *irascibilis dignior est concupiscibili*. « Nam, ut prosequitur S. D., quod animal appetat id quod est delectabile secundum sensum, quod ad concupiscibilem pertinet, hoc est secundum propriam rationem sensibilis animae; sed quod, relicto delectabili, appetit victoriam, quam consequitur cum dolore, quod ad irascibilem pertinet, competit ei secundum quod attingit aliqualiter appetitum superiorem, unde irascibilis est propinquior rationi et voluntati quam concupiscibilis ».

Hinc passiones, quae ad concupiscibilem spectant, merito vocantur *primariae;* quae vero ad irascibilem spectant, *secundariae*, quia ad priores ordinantur. Ipsae autem, si latiori sensu sumuntur, prout sunt simpliciter *motus appetitivae virtutis ortae ex apprehensione boni vel mali*, inveniuntur etiam in appetitu intellectivo, et tunc potius *affectiones* vocantur. Eae quoque tamen influxum exercent in corpore et praesertim in corde, ut innuimus (n. 238). Si enim versantur circa res sensibiles, tunc actus appetitus intellectivi semper secum trahunt actus appetitus sensitivi, imo ab istis ortum habent. Si vero respiciunt obiectum immateriale e. g. *Deum, animam, gratiam supernaturalem*... etc., quoniam haec obiecta non proponuntur, nisi mediantibus rebus sensibilibus, nequit voluntas tendere in ea, quin concurrant et adiuvent facultates sensitivae, quibus mediantibus percipitur in corpore et praesertim in corde effectus actuum illius.

347. **Passionum divisio.** — Passiones primariae sex numerari solent, quarum tres respiciunt bonum prosequendum, i. e.

(2) *De Verit.*, q. 25, a. 2.

amor, *desiderium*, *gaudium* (sive *delectatio*), et tres versantur circa malum fugiendum: i. e. *odium*, *fuga*, *tristitia* (sive *dolor*). Secundariae ab istis oriuntur, et respiciunt obiectum, quod importat difficultates superandas, et idcirco important in appetitu peculiarem conatum. Hae quinque numerari solent; duae quoad bonum; i. e. *spes*, cuius obiectum est bonum arduum, apprehensum ut adeptu quidem difficile, sed tamen possibile; si vero apprehenditur ut impossibile, habetur *desperatio*: Tres autem quoad malum quod opponitur: *audacia*, si mala, quae opponuntur, sunt gravia quidem, sed superabilia; *timor*, si ea instant, nec videntur in promptu esse vires ad ea superanda; *ira*, si ipsa iam inferuntur ab aliquo, contra quem proinde insurgit appetitus vindictae. — Scite ad rem S. Th. (1) « Bonum primo in potentia appetitiva causat quandam inclinationem, seu aptitudinem, seu connaturalitatem ad bonum, quod pertinet ad passionem *amoris*, cui per contrarium respondet *odium* ex parte mali. Secundo si bonum sit nondum habitum, dat ei motum ad assequendum bonum amatum: et hoc pertinet ad passionem *desiderii* vel *concupiscentiae;* et ex opposito ex parte mali est *fuga* vel *abominatio*. Tertio cum adeptum fuerit bonum, dat appetitus quietationem quandam in ipso bono adepto, et hoc pertinet ad *delectationem* vel *gaudium*, cui opponitur ex parte mali *dolor* vel *tristitia*. In passionibus autem irascibilis... respectu boni nondum adepti est *spes* et *desperatio;* respectu autem mali nondum iniacentis est *timor* et *audacia*, respectu autem boni adepti non est aliqua passio in irascibili, quia iam non habet rationem ardui, sed ex malo iam iniacenti sequitur passio *irae* ».

Nihilominus ex istis undecim quatuor habentur uti principales: *gaudium*, *tristitia*, *spes* et *timor*. « Quarum duae, scilicet *gaudium* et *tristitia*, principales dicuntur, quia sunt completivae et finales simpliciter respectu omnium passionum. *Timor* autem et *spes* sunt principales, non quidem quasi completivae simpliciter, sed quia sunt completivae in genere motus appetitivi ad aliquid. Nam respectu boni incipit motus in *amore*, et procedit in *desiderium*, et terminatur in *spe;* respectu vero mali incipit in *odio*, et procedit ad *fugam*, et terminatur in *timore* » (2).

348. **De bonitate ac malitia passionum.** - Passiones stricte dictae, quum sint tantum in parte sensitiva, in se inspectae nullam important bonitatem vel malitiam moralem, ut cum eadem influere possint in ipsos actus voluntatis, ratione huius influxus induere possunt rationem malitiae vel bonitatis. Et primo quum ipsae ita influere queant in voluntatem, ut eius plenam deliberationem impedire vel imminuere valeant, ideo compescendae sunt, et arcendae ab exercitio actus deliberativi voluntatis, non

(1) S. *Th.*, I-II p., q. 23, a. 4.
(2) S. *Theol.*, I-II p., q. 25, a. 4; cfr. etiam *De Verit.*, q. 26, a. 5.

quia in se malae sunt, sed quia causa esse possunt non rectae deliberationis. Et idcirco semper commendatur, ut voluntas in suis actibus exercendis immunis evadat a passionibus. Et sub hoc respectu admitti potest, quod aiebant stoici: *omnes passiones esse malas;* errabant tamen eas vocantes *simpliciter malas.* Quia, ut adverterat S. Th. (1), ipsi « non discernebant inter sensum et intellectum, et per consequens nec inter intellectivum appetitum et sensitivum; unde nec discernebant passiones animae a motibus voluntatis ».

Quare quousque passiones in solo manent appetitu sensitivo, sunt aliquid indifferens in ratione morum. Et quoniam ipsae moderari ac dirigi possunt a voluntate, evadere queunt bonae vel malae, prout voluntas eis bene vel male utatur. Et hanc ob rationem recte aiebant peripatetici: *passiones moderatas esse bonas.* Dum contra passiones *immoderatae*, seu non obedientes dictamini rectae rationis ac verae propriaeque inclinationi naturali voluntatis, dicuntur malae, vel quia inclinant ad malum, vel quia inclinantur ad ipsum a prava voluntate.

Et ideo concludimus cum S. Th. ibid. ad 3um, « quod passiones animae, inquantum sunt praeter ordinem rationis, inclinant ad peccatum; inquantum sunt ordinatae a ratione, pertinent ad virtutem ». Adeoque ratio boni et mali non inest eis *per se*, sed *per accidens.*

349. **Scholion III. De possibilitate peccandi.** Inde liquet, cur homo possit peccare. Peccatum enim proprie consistit in *appetitu alicuius boni, quod opponitur ipsi fini ultimo in concreto.* Homo enim non tendit necessitate physica in finem ultimum in concreto. Unde sequitur quod voluntati possit proponi aliquid, habens aliquam rationem boni quod proinde ordinari possit ad felicitatem in abstracto, sed tamen opponatur verae felicitati hominis in concreto. Hinc intellectus proponendo illud obiectum voluntati, utrumque ei ostendit: et quum voluntas allici possit a quacumque ratione boni, etiamsi proprio ultimo fini opponatur, potest appetere bonum illud, et ita peccat. Ideo peccatum est *dictum vel factum vel concupitum contra legem*, i. e. contra bonum, quod ratio ostendit uti coniunctum cum ultimo fine hominis iuxta illud poëtae, *video meliora proboque, deteriora sequor.*

Quare radix remota peccati in homine in eo est, quod voluntas non necessitatur physice, sed tantum moraliter ad finem ultimum. Nam si physica necessitate deberet in illum tendere, voluntas nunquam posset ab eo devia in alium tendere; si neque necessitate morali teneretur, tunc in alium tendendo, non peccaret. Radix autem proxima est in appetitu sensitivo eiusque passionibus, quae constituunt *concupiscentiam carnis*, a quibus voluntas flectitur ad appetendum bonum conveniens sensibus, sed repugnans rationi.

(1) S. *Th.*, I II p., q. 24, a. 2.

Unde aperte sequitur, quod possibilitas peccandi est defectus libertatis, qui in homine invenitur ratione imperfectae cognitionis, quae in eo reperitur, quum in hac vita *peregrinatur a Domino* (1). At ipsa etiam est causa meriti; quia meritum habetur, quum quis *potest transgredi et non est transgressus*. Et hinc elucet intrinseca ratio, cur praesens hominis vita vocetur *status viae*, in quo nempe homo potest mereri vel demereri finem ultimum, seu veram suam felicitatem. Ac proinde nunquam satis admiranda erit sapientia conditoris, qui talem nobis praestitit naturam, in qua una cum defectu, qui necessario eam consequebatur, bonum aliquod maximum adiungere voluit, et simul media obtulit, ad defectum illum superandum, per multas leges, atque veram felicitatem merendam.

350. **Coroll. I. De falsa libertate.** — Vitium praecipuum nostrae aetatis praesertim in eo est, quod veram libertatem labefactando, falsam in immensum extollat. Et ideo saepe sermo fit de libertate *cogitandi*, *docendi* ac *libros* edendi, de libertate *religionis*, *conscientiae*,... et huiusmodi. Iamvero huiusmodi libertates in se repugnant, et nil aliud sunt nisi possibilitas peccandi, seu defectus libertatis. Libertas enim est actus dumtaxat voluntatis, intellectus vero necessario determinatur a suo obiecto, nempe a veritate. Ergo qui vellent aequo iure omnia defendere, qui non agnoscunt prohibitionem defendendi errorem et, quod pluris est, qui putant posse alios docere sive ore sive scriptis, quicquid eis lubet, contradicunt proprio intellectui, et laedunt sancta aliorum iura, qui quaerunt veritatem et non nisi veritatem. Ipsi sunt mendaces, quia quum intellectus non inclinet nisi in veritatem, ipsi, cedendo imperio pravae voluntatis, ore praedicant, quod mente non sentiunt. Ergo libertas *cogitandi*, *docendi* ac *libros edendi*, nil aliud est, nisi abusus pravae

(1) Perbelle hoc punctum exposuit S. P. Leo XIII in Encyclica *Libertas*: « Quoniam utraque facultas (voluntas et ratio) a perfecto abest, fieri potest ac saepe fit, ut mens voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in id sese voluntas applicet. Verum sicut errare posse, neque ipsa errare vitium est, quod mentem non ex omni parte perfectam arguit, eodem modo arripere falsum fictumque bonum, esto iudicium liberi arbitrii, sicut aegritudo vitae, est tamen vitium quoddam libertatis. Ita pariter voluntas, hoc ipso quod a ratione pendet, quando quidquam appetat quod a recta ratione dissideat, vitio quodam funditus inquinat libertatem, eademque perverse utitur ».

hominum voluntatis, quae imperat intellectui ut sibi contradicat, aliquid proferendo contra naturalem mentis assensum.

Item libertas religionis et conscientiae pugnat cum necessitate morali, qua homo adstringitur erga suum ultimum finem in concreto, nempe Deum, ut veram consequatur felicitatem. Homo enim tenetur tendere in ipsum, ac proinde obligatur ad ea omnia praestanda, quae necessaria sunt ad tendendum in eum. Atqui qui falsam illam libertatem proclamant, nolunt haec officia praestare, imo potius inclinantur ad alia media amplectenda, quae huic fini opponuntur. Ergo ipsi veram hominis felicitatem in se et in aliis perimunt.

Nunc tandem, ad instar corollarii, inferre licet ex eius operationibus, quaenam sit propria voluntatis natura.

Thesis LXVI.

Ergo voluntas est facultas spiritualis, quae essentialiter differt ab appetitu sensitivo.

351. **Prob. I p.** — Nam voluntas est facultas quae sequitur intellectum. Atqui intellectus est spiritualis. Ergo et voluntas.

Insuper voluntas habet pro obiecto bonum in genere. Atqui ipsum non est materiale, quum sit abstractum, universalissimum, et in se contineat omnia bona, sive materialia sive immaterialia, cui in re non respondeat nisi bonum perfectissimum, quod nullo pacto materiale est. Ergo multo magis voluntas spiritualis esse debet.

Praeterea voluntas gaudet libertate indifferentiae. Atqui ista pugnat cum materia, quippe quae semper subiiciatur necessitati legum naturalium. Ergo idem ac prius.

Prob. II p. — Nam voluntas sequitur intellectum, sicut appetitus sensitivus sequitur sensum. Atqui intellectus essentialiter differt a sensu. Ergo. Ad rem S. Th. 1). « Quaedam inclinantur ad bonum cum aliqua cognitione; non quidem sic quod cognoscant ipsam rationem boni: sed cogno-

1. S. *Theol.* I p., q. 59, a. 1.

scunt aliquod bonum particulare : sicut sensus qui cognoscit dulce et album. Inclinatio haec dicitur appetitus sensitivus. Quaedam vero inclinantur ad bonum cum cognitione, qua cognoscunt ipsam rationem boni, quod est proprium intellectus, et haec perfectissime inclinantur in bonum, non ab alio directa, sicut quae cognitione carent, neque in bonum particulariter tantum, sicut ea quibus est sola cognitio sensitiva, sed in ipsum bonum universale, et haec inclinatio dicitur voluntas ».

At hinc non sequitur, quod appetitus intellectivus non possit appetere eadem ac appetitus sensitivus, sed sicut intellectus potest apprehendere perfectiori modo eadem ac sensus, ita « appetitus intellectivus, ut ait idem S. Th. (1), etsi feratur in res, quae sunt extra animam singulares, fertur tamen in eas secundum aliquam rationem universalem; sicut cum appetit aliquid, quia est bonum. Philos. dicit in sua Rhetorica (L. II, c. 4) quod odium potest esse de aliquo universali, puta cum odio habemus omne latronum genus. Similiter etiam per appetitum intellectivum appetere possumus immaterialia bona, quae sensus non apprehendit, sicut scientiam, virtutes et alia huiusmodi ».

352. **Dices:** I. Actus voluntatis exercentur per organum cordis. Ergo voluntas non est spiritualis. — *R. D. A.;* actus eliciuntur a voluntate dependenter a corde tamquam a suo organo, *n.;* manifestantur per organum cordis, *subd.;* semper ac necessario, *n.;* quandoque ratione influxus qui exercetur per appetitum sensitivum, *c.* — Et revera ii tantum voluntatis actus vehementiores manifestantur, qui ita influunt in appetitum sensitivum, ut nervi, qui ei inserviunt, excitentur et modificent motus cordis, in quo proinde percipiuntur quidam effectus diversae rationis iuxta diversos voluntatis actus.

II. Obiectum voluntatis idem est ac obiectum appetitus sensitivi. Ergo. — *R. D. A.;* est idem formaliter inspectum, *n.;* materialiter spectatum, *subd.;* omne obiectum, *n.;* aliquod, *c.* — Obiectum utriusque appetitus est *bonum apprehensum;* sed pro voluntate est apprehensum per intellectum, quod latissime patet amplectens etiam immaterialia : pro appetitu sensitivo est obiectum tantum sensibile.

III. Voluntas subiicitur appetitui sensitivo. Atqui hic est materialis. Ergo et ipsa. — *R. D. M.;* directe ac per se, *n.;* tantum

(1) I p., q. 80, a. 2 ad 2.

indirecte, quatenus quandoque praevenitur ab eo et trahitur ad appetendum idem obiectum, antequam habeatur rationis deliberatio, *c.* — *C. m.*

IV. Voluntas invenitur etiam in brutis animantibus. Atqui in eis nulla datur facultas spiritualis. Ergo. — *R. N. M.;* vel si placet *D. M.;* voluntas stricte dicta i. e. appetitus intellectivus, *n;* voluntas late dicta prout idem est ac aliquis appetitus *c.* *C. m.* — Et revera omnes eorum actus appetitivi versantur semper circa sensibilia, ideoque non procedunt nisi ab appetitu sensitivo.

Nota — De ultimo iudicio practico et de electione – brevitatis gratia nihil addimus. Nihilominus quum in theodicea sermo erit de influxu Dei, quo omnis creatura indiget in suis operationibus, ideoque etiam humana voluntas; opportunam capientes occasionem, aliquid explicaturi erimus etiam circa hanc quaestionem sat difficilem et agitatam inter scholasticos.

353. **Conclusio.** — Ergo in homine reperitur activitas ordinis ita superioris, ut in immensum excedat activitatem multorum entium sensibilium. In eo enim cognitio adest, per quam potest fieri *intentionaliter omnia*, et quam proinde sequitur appetitus in omnia bona, nimirum primo ac per se in bonum ultimum, ac dein in omnia bona particularia, quae ad ipsum ducere possunt. At quoniam plura sunt, quae aequo modo valent ad ipsum ducere, voluntas ita ad ea appetenda inclinatur, ut possit etiam opposita appetere, si velit, ac proinde circa ea omnia vera gaudet indifferentiae libertate. Et huiusmodi libertas novus extat fons activitatis et meriti, et ea est, quae ultimum complementum addit perfectioni hominis, qua omnino supereminet res creatas omnes huius mundi. Per eam est non modo dominus suorum actuum, sed etiam aliarum rerum, quibus potest praecesse eisque uti ad diversos fines; per eam potest suam veram felicitatem mereri, per eam tot actus virtutis exercere, quos in sanctis viris iugiter admiramur. Quis est igitur qui non agnoscat sublimitatem hominis, eiusque naturae maximum discrimen a natura aliarum rerum? Iam ergo accedamus oportet ad intrinsecam naturam illius principii substantialis investigandam.

ARTICULUS V.

DE NATURA ANIMAE HUMANAE.

Cognitis praecipuis ac propriis operationibus hominis, necnon ipsis facultatibus, a quibus illae procedunt, haud erit difficile ipsam essentiam animae dignoscere, ex qua eaedem profluunt.

Thesis LXVII.

Agnoscenda est in homine anima substantialis non modo simplex sed etiam spiritualis, quae proinde a corpore realiter distinguitur.

354. **Prob. I p.** — Iam alibi explicavimus quid veniat nomine simplicitatis ac spiritualitatis (n. 263): quare nunc absque negotio utrumque de anima probatur. — Et sane in eo agnoscenda est anima substantialis simplex ac spiritualis, in quo adsunt operationes ac facultates simplices et spirituales. Atqui in homine habentur operationes ac facultates intellectivae et volitivae simplices et spirituales, uti iam antea probavimus. Ergo. — Tota vis argumenti est in minori, quae iam demonstrata fuit. Ad rem S. Th. (1). Nullo modo admitti potest quod anima rationalis a materia dependeat, « cuius operationes sunt intelligere et abstrahere species, non solum a materia, sed ab omnibus materialibus individuantibus: quod requiritur ad cognitionem universalis. Sed adhuc aliquid amplius proprie in anima rationali considerare oportet: quia non solum absque materia et conditionibus materiae species intelligibiles recipit, sed nec etiam in eius propria operatione possibile est communicare aliquod organum corporale, ut sic aliquod corporeum sit organum intelligendi, sicut oculus est organum videndi. Et sic oportet quod anima intellectiva *per se agat*, utpote propriam operationem habens absque corporis communione. Et quia unumquodque agit secundum quod est actu, oportet quod anima intellectiva habeat *esse per se absolutum*, non dependens a corpore. Formae enim quae habent esse dependens a materia vel subiecto, non habent per se operationem, non enim calor agit sed calidum ».

Prob. II p. quae sequitur ex priori. — Corpus enim est principium extensionis, individuationis et limitationis, ac de se nullam dicit activitatem, multo minus eam, quae

(1) *De Anima*, a. 1.

circa obiecta universalia et immaterialia versatur. Atqui anima, quum sit principium activitatis intellectivae ac volitivae, proprietates habet e diametro oppositas. Ergo a corpore realiter distinguitur.

Praeterea, ut ait S. Th. (1), « viventia, quum sint quaedam res naturales, sunt composita ex materia et forma. Componuntur autem ex corpore et anima, quae facit viventia actu. Igitur oportet alterum istorum esse formam et alterum materiam. Corpus autem non potest esse forma : quia corpus non est in altera sicut in materia et subiecto. Anima igitur erit forma : ergo non est corpus: quum nullum corpus sit forma ». Ac proinde ab eo distinguitur.

355. **Obiicies :** I. Id quod patitur a corpore non est spirituale. Atqui anima humana patitur a corpore. Ergo. — *R. D. M.:* quod patitur a corpore directe per physicam impressionem, *c.:* quod patitur indirecte ac sine physica impressione, *n.* — *Contrad. m...* Anima ipsa nunquam directe patitur a corpore per aliquam physicam impressionem, sed indirecte tantum potest pati, inquantum actuat corpus quod proprie patitur. « Anima sensitiva non patitur a sensibilibus, sed coniunctum: sentire enim, quod est pati quoddam, non est animae tantum, sed organi animati » (2). Si quis autem instare vellet, adducendo exemplum ignis inferni, qui, uti revelatio docet, animas torquet, possemus rem transmittere, quippe quae ad theologos pertinet, eo vel magis, quia vera ac propria ratio illius ignis revelata non est, nec proinde perspectus esse potest modus, quo ipse in animam influit. Nihilominus, si cui placet, accipiat responsionem S. Th. « Licet ignis inferni, a quo anima patitur, sit materialis et corporalis, non tamen anima patitur ab ipso materialiter, per modum scilicet corporum materialium; sed patitur ab eo afflictionem spiritualem, secundum quod est *instrumentum divinae iustitiae* » (3).

II. Anima est forma corporis. Atqui ista non est spiritualis ac in se subsistens. Ergo. — *R. D. M.:*... et superexcedens capacitatem materiae, *c.;* et prorsus immersa in materia, *n.* — *Contrad. m.*, quae est prorsus immersa in materia..., *c.;* quae est superexcedens capacitatem materiae, *subd.;* non est subsistens in specie completa, *c.;* neque in specie incompleta, *n.* Quando forma substantialis ita materiae communicatur, ut quasdam sibi proprias operationes exerceat, quae fiunt independenter ab intrinseco materiae concursu, tunc dicitur superexcedens capacita-

(1) *C. Gentes*, l. II, c. 65.
(2) *De Anima*, a. 6, ad 14.
(3) Ibid. ad 7.

tem materiae; adeoque est spiritualis et in se subsistens, quamvis tantum in specie incompleta.

III. Anima communicat suum esse corpori. Atqui ústud est corporeum. Ergo. — *R. D. M.;*... ita ut sit omnino dependens a materia, *n.;* ita ut superexcedat capacitatem materiae, *c.* — *Contrad. m...*

IV. Anima producitur ac multiplicatur ratione materiae. Atqui ipsa est materialis. Ergo. — *R. D. M.;* producitur per eductionem a materia, *n.;* per creationem, uti postea probabitur, *c.* — *Contrad. m....* Iamvero quoniam producitur per creationem, iam patet quod ipsa tum in *fieri*, tum in *esse* sit independens a materia, quamvis producatur in materia, et ita multiplicetur dependenter a matera.

V. Si anima esset subsistens, diceretur *hoc aliquid*. Atqui nequit dici. Ergo. — Responsionem accipe a S. Th. (1). « *Hoc aliquid* potest accipi dupliciter: uno modo pro *quocumque* subsistente; alio modo *pro subsistente completo* in natura alicuius speciei... Igitur quum anima humana sit pars speciei humanae, potest dici *hoc aliquid* primo modo, quasi subsistens; sed non secundo modo. Sic enim compositum ex anima et corpore dicitur hoc aliquid ».

Alias difficultates iam solutas invenies in n. 265.

Ex spiritualitate animae immediate sequitur alia proprietas ei intrinseca, nempe *immortalitas*.

Thesis LXVIII.

Anima humana est natura sua immortalis.

356. **Explicatur.** — Immortale nonnisi de viventibus dicitur, et idem est ac *vitam amittere non posse*. Immortalitas ergo est *inamissibilitas vitae*, seu indestructibilitas viventis. Triplex autem distinguitur: *essentialis, naturalis, gratuita*. — Siquidem quum *vita viventibus est esse*, sicut alicui viventi competit esse, ita et vivere. Iamvero est vivens, de *cuius essentia est ipsum esse*: huic igitur vita competit essentialiter. Habetur immortalitas essentialis. Est autem vivens, cuius essentiae non competit esse nisi per participationem; et hoc dupliciter contingere potest: — vel ita ut hoc esse semel habitum semper exigatur ab illa essentia seu natura, quippe quae non habet in se principium aliquod

(1) I p., q. 75, a. 2 ad 1m.

corruptionis; huic igitur vita competit *naturaliter*. Nimirum *non essentialiter*, quia esse ei competit tantum per participationem; sed per *exigentiam naturae*, *quae exurgit in ipsa postquam producta est*. Et habetur immortalitas *naturalis*. — Vel esse participatur ab aliqua essentia, quae in se *continet principium corruptionis*, ut est materia, et ipsa non exigit semper habere illud esse. Huic igitur viventi immortalitas nonnisi gratuita, hoc est ex indebito dono, competere potest. Porro animae humanae immortalitatem naturalem vindicamus.

Corruptibilitas autem proprie dicta est duplex: *per se*, *et per accidens*. Per se est dissociabilitas principiorum, quibus constat essentia quaedam, composita nempe ex materia et forma, et consistit praecise in separabilitate formae a materia (1). *Per accidens*, est amissibilitas esse in forma, quae, quum nequeat esse nisi in materia, separata ab ea, necessario desinit esse: seu, ut ait S. Thomas, « quae corrumpitur in quantum deficit esse compositi, quod est per formam, si forma sit talis, quae non sit habens esse, sed sit solum *quo* compositum est » (2). Quare corruptibilitas per se proprie competit enti composito et per se subsistenti; corruptibilitas per accidens competit formis materialibus et accidentalibus, quae, quum non possint existere nisi dependenter a composito, in quo insunt, separatae ab eo, nequeunt amplius existere. Materia autem, quum possit esse sub diversa forma, separata ab una appetit aliam, cum qua coniungitur, et ideo neque per accidens corrumpitur. Haec dicitur corruptibilitas *proprie dicta*, quia datur alia improprie dicta, et est corruptibilitas a principio nempe extrinseco, seu a Deo, proveniens; a quo forma et res omnis pendet in esse; et dicitur *annihilatio*. Et haec tantum competere potest creaturae spirituali.

337. **Probatur.** — Omnis anima spiritualis est natura sua immortalis. Atqui anima humana est substantia spiritualis. Ergo. — *Pr. M.* — Anima spiritualis nequit corrumpi

(1) Cf. S. *Th.*, I p., q. 50 a. 6.
(2) Q. *de An.*, a. 14.

per se, quia est simplex, ideoque non constat ex principiis intrinsecis, quae dissolvi queant: nec potest corrumpi *per accidens*, quia est spiritualis, seu in se subsistens. Atqui quod non est corruptibile nec per se nec per accidens, est natura sua immortale. Ergo. — Et confirmatur cum S. Th. (1). « Nihil corrumpitur nisi per hoc quod forma eius a materia separatur. Unde cum angelus sit ipsa forma subsistens, impossibile est quod eius substantia sit corruptibilis. Quod enim convenit alicui secundum se, numquam ab eo separari potest... Esse autem secundum se competit formae: unumquodque enim est ens actu secundum quod habet formam. Materia vero est ens actu per formam. Compositum igitur ex materia et forma desinit esse actu, per quod forma separatur a materia. Sed si ipsa forma subsistat in suo esse, sicut in angelis, non potest amittere esse ».

Idem suadetur *ex inclinatione naturali* indita in nostro animo. Hoc argum. ita proponitur a S. Th. (2). « Impossibile est appetitum naturalem esse frustra. Sed homo naturaliter appetit perpetuo manere: quod patet ex hoc quod *esse* est quod ab omnibus appetitur: homo autem per intellectum apprehendit esse, non solum ut nunc, sicut bruta animalia, sed simpliciter. Consequitur ergo homo perpetuitatem secundum animam, quae esse simpliciter et secundum omne tempus apprehendit ».

Confirmatur ex propria operatione intellectus, cum eodem S. Th. Intelligibile est propria perfectio intellectus: unde intellectus in actu et intelligibile in actu sunt unum. Quod igitur convenit intelligibili, inquantum est intelligibile, oportet convenire intellectui, inquantum huiusmodi: quia perfectio et perfectibile sunt unius generis. Intelligibile autem, inquantum est intelligibile, est necessarium et incorruptibile. Unde et corruptibilium intellectus scientiam habet secundum quod sunt incorruptibilia, inquantum scili-

(1) II p., q. 50 a. 5.
(2) *C. Gentes*, l. II, c. 79.

cet sunt universalia. Oportet igitur intellectum esse incorruptibilem » (1).

Tandem nova habetur confirmatio *ex sanctione legis* praesertim *naturalis*. Omnes enim agnoscunt, legem muniendam esse vera ac sufficienti sanctione, ut voluntas hominis efficaciter obligetur ad eam servandam. Atqui, si anima hominis esset mortalis, omnis sanctio esset insufficiens, praesertim ad graviora vitanda delicta. Ergo. — *Pr. m.* — Nam 1) hoc in casu omnis sanctio finem haberet, ac proinde faciliter sperni posset; 2) quis posset etiam ipsam vitam praesentem contemnere, atque adeo omnia, quae posset, mala perpetrare, ac dein mortem sibimetipsi inferre; atque adeo omnem sanctionem aufugere nec legem ullam observare. Atqui tunc nulla habetur sanctio. Ergo.

Confirmatur hoc ex ipsa historia praesertim contemporanea, quae testatur tot adesse homines anarchicos et impios, qui tot efferata crimina perpetrant, ac dein vitam sibi adimunt, praecise quia non cogitant de immortalitate animae. Atqui si anima esset vere mortalis et praesertim si cum corpore dissolveretur, nulla maneret poena ab istis luenda nec ulla sanctio eos in officium cohibere potuisset. Ergo.

Postremo accedit *consensus omnium hominum*, qui apparet non modo in desiderio naturali ac conscientiae testimonio, quae nobis satis asserit, animam non perire una cum corpore, sed etiam, — 1) in honore, quem homines aliis tribuunt post mortem, etiam post saecula: atqui certe absonum esse videtur honorem ei tribuere, qui non est, seu *ipsi nihilo*: — 2) in desiderio gloriae, quam homines consequendam appetunt etiam post mortem, uti milites in bello, docti, qui vitam consumunt in libris edendis, vel aliis operibus extruendis. Gloria autem est *clara notitia cum laude*, et nemo appetit notitiam sui, quando non est; secus enim appeteret notitiam *nihili* i. e. sui *non-existentis*. Ergo: — 3) in precibus ac veluti colloquiis, quae homines diversarum religionum et etiam pagani amicis vel parentibus de-

(1) *C. Gentes.*, l. II, c. 55.

functis persolvere solent : — 4) tandem in exercitio illarum virtutum praesertim internarum, quas iusti bonique homines excolunt, et omnes certe magno in praetio habent, quae evaderent stultae, si anima cum corpore periret, quoniam eis in hac vita nullum verum adservatur praemium, nec dirigi possunt ad ullum huius vitae finem. Quare concludendum videtur cum Melchiore Cano : « Vix potest homo vitam recte et iuste instituere, nisi et Deum esse sentiat, et *animos esse immortales;* vix, inquam, aut certe, nullo modo. Qui enim vel sine Deo fuere, vel animam putarunt cum corpore interire, eos fere perditissimis moribus fuisse memoriae proditum est. Quam omnino rem *Sapiens* (cap. 2, vers. 2) sapienter expressit. Nam simul atque impii illam opinionem induerunt, animos mori; consequenter de omni bono vitae futurae desperantes, et nihil post mortem mali timentes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem omnis immunditiae, in avaritiam. *Post haec,* inquiunt, *erimus tamquam si non fuerimus.* Et versu 6 : *Venite ergo et fruamur bonis quae sunt.* Et Augustinus (*Confess.* lib. 6, cap. postremo) : *Nisi credidissem,* ait, *restare post mortem animae vitam et fructus meritorum, quod Epicurus credere noluit, Epicurus palmam in animo meo accepisset.* De atheis autem cum Propheta illud posuisset : *Non est Deus,* statim coniunxit : *Corrupti et abominabiles facti sunt* » (1).

358. **Obiicies** : I. Anima potest destrui a Deo. Atqui tunc non est immortalis. Ergo. — *R. D. M.;* spectata absoluta Dei potentia, *c.;* secundum eius potentiam ordinatam et in praesenti rerum ordine, *n.* — *Contrad. m.;* si per ordinatam Dei potentiam et in praesenti rerum ordine posset destrui, *c.;* si tantum ex absoluta Dei potentia, *subd.;* non est *essentialiter* immortalis, *c.;* neque *naturalites, n.* - Deus secundum potentiam ordinatam animam non destruit, quum non agat contra inclinationem creaturarum; quippe quae ab eo sit eis indita; sed anima humana naturaliter inclinatur, ut sit immortalis. Praeterea, ut advertit S. Th. (2), «Hoc quod in esse productae sunt, postquam non fuerunt, declarat potentiam producentis; sed quod in nihilum redigerentur, huiusmodi manifestationem impediret; quum Dei potentia in hoc maxime ostendatur quod res in esse conservat ».

(1) Cano, *De locis Theolog.*, lib. 13, cap. 14 in probat. proposit. 3.
(2) *S. Theol.*, I p., q. 104, a. 4, ad 1.

II. Quod habet principium habet finem. Atqui anima habet principium. Ergo. — *R. D. M.;...* i. e. non est essentialiter immortale, *c.;* neque naturaliter, *subd.;* si producitur dependenter a materia, *c.;* si producitur independenter ab ea, nec proinde in se constat principiis dissociabilibus, *n.* — *Contrad. m....*

III. Quod convenit rei per accidens potest ab ea separari. Atqui esse convenit animae per accidens. Ergo. — *R. D. M.:* quod convenit tamquam accidens physicum, *c.;* quod convenit rei tamquam aliquid non debitum, *subd.;* si nunquam est debitum, neque absolute neque hypothetice, *c.; si hypothetice debetur, it. d.;* potest separari si hypothesis aufertur, *c.;* secus, *n.* — *Contrad. m.;* tamquam accidens physicum, *n.;* tamquam aliquid indebitum, *subd.; i. e.* non essentiale, *c.*, neque naturaliter requisitum, *it. d.;* facta hypothesi productionis ipsius, *n.;* sine ista hypothesi, *c.* — Quare supposita animae creatione ipsi naturaliter debetur semper esse. Unde recte ait Caietanus (1). « Existere est praedicatum accidentale respectu cuiuscumque naturae citra divinam, i. e. *non per se simpliciter* et ideo oppositum non implicat contradictionem. Dicitur vero *praedicatum* per se respectu formae, quia *persecutae physica* illi coniungitur, quum formam productam *necessario comitatur existere*, et non per accidens ».

IV. Quod est compositum, est dissolubile. Atqui anima humana est composita ex essentia et esse. Ergo. — *R. D. M.;* quod est compositum physice in ordine essentiae, *c.;* quod est compositum metaphysice in ordine entis, *n.* — *Contrad. m.;* est composita physice in ordine essentiae, *n.*, in ordine entis, *c.* (cfr. in metaph. gener. Th. XXVII). Compositio ex essentia et esse non est in ordine essentiae, in quo tantum adest potentia, quae est principium corruptionis.

V. Anima est essentialiter forma corporis. Ergo nequit existere sine corpore. — *R. D. A.;...* et simul dependens a corpore, *n.;* et simul in se subsistens, *subd.;* ita ut saltem transcendentaliter referatur ad corpus, *c.;* etiam actualiter, *it. d.;* quando primo producitur et quamdiu corpus capax est eam retinendi, *c.;* etiam quando corpus corrumpitur, *n.* — Quare haec est natura animae, ut sit in se subsistens et forma corporis, ita tamen ut actu ad ipsum referatur, quum in eo producitur, et quousque ipsum valet eam retinere. Quando vero corpus corrumpitur, ea recedit et subsistit in se tantummodo, dicens tamen semper ordinem transcendentalem ad corpus. Ad rem S. Th. (2). « Licet anima per suam essentiam sit forma, tamen aliquid potest ei competere inquantum est talis forma, scilicet forma subsistens, quod non competit ei inquantum est forma; sicut intelligere non convenit homini inquantum est animal, licet homo sit animal secundum suam essentiam ».

(1) In I p., q. 50, a. 5.
(2) *De Anima,art.* XIV, ad 10.

VI. Anima unitur corpori in bonum sui. Atqui ista nunquam existere potest sine corpore. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. ut simpliciter sit (sicut accidit in aliis formis). *n.;* ut perfectius sit, *c.* — *Contrad. m....* Nam bonum, quod animae advenit ex unione, est ut perfectius operetur secundum suam naturam, etiam quoad vitam intellectivam, sed non ut primo ac simpliciter existat.

VII. Operari sequitur esse. Atqui omnes animae operationes pendent a corpore. Ergo. — *C. M.;* — et *D. m.* Omnes pendent intrinsece, *n.;* saltem extrinsece, *subd.;* ita ut sine corpore nequeant ullo modo exerceri, *n.;* ita ut possint exerceri, quamvis non secundum naturalem inclinationem, *c.* Operationes igitur vegetativae ac sensitivae, quum pendeant intrinsece a materia, nequeunt certe exerceri sine ipsa. Sed istae non sunt operationes propriae animae intellectivae. — Operationes vero intellectivae, quum pendeant tantum extrinsece, quamvis naturaliter exerceri debeant cum huiusmodi materiae concursu, non sequitur quod nullo modo sine ipsa exerceri queant. Ad rem S. Th. (1). « Habet anima alium modum essendi cum corpori unitur, et cum fuerit a corpore separata, manente tamen eadem animae natura. Animae igitur secundum istum modum essendi, quo corpori est unita, competit modus intelligendi per conversionem ad ea, quae sunt intelligibilia simpliciter, sicut et aliis substantiis a corpore separatis. Unde modus intelligendi per conversionem ad phantasmata est animae naturalis, sicut et corpori uniri; sed esse separatam a corpore est praeter rationem suae naturae: et similiter intelligere sine conversione ad phantasmata est ei praeter naturam ».

VIII. *Instas.* Qua ratione anima potest intelligere sine phantasmate? Responsio non est facilis: audias tamen quae habet S. Th. hac de re. —« Quando anima erit a corpore totaliter separata, plenius percipere poterit influentiam a superioribus substantiis, quantum ad hoc quod per huiusmodi influxum intelligere poterit absque phantasmate, quod modo non potest: sed tamen huiusmodi influxus non causabit scientiam ita perfectam et ita determinatam ad singula, sicut est scientia quam hic accipimus per sensus; nisi in illis animabus, quas supra dictum naturalem influxum habebunt alium supernaturalem ad omnia plenissime cognoscenda, et ad ipsum Deum videndum. Habebunt etiam animae separatae determinatam cognitionem eorum, quae prius hic sciverunt, quorum species intelligibiles conservantur in eis » (2). Et alibi adhuc clarius « Anima post mortem *tribus modis* intelliget: uno modo per species, quas recepit a rebus dum erat in corpore: alio modo *per species* in ipsa sua separatione a corpore *sibi divinitus infusas;* tertio modo videndo substantias separatas, et in eis species rerum intuendo. Sed hoc ultimum non subiacet

(1) *S. Theol.*, I p., q. 89, a. 1.
(2) *De Anima*, a. 15.

eius arbitrio, sed magis arbitrio substantiae separatae, quae suam intelligentiam aperit loquendo, et claudit tacendo » (1).

IX. Esse corporis humani est corruptibile, quum sit compositum. Atqui istud esse est ipsum esse animae. Ergo. — *R. D. M.;* esse essentiae, *c.;* esse existentiae, *subd.;* si per istud esse intelligitur ipsa realitas essentiae seu essentia qua realis, *c.;* si intelligitur actus aliquis qui in essentia recipitur tamquam in potentia subiectiva *n.* — *Contrad. m....* Nimirum id quod est corruptibile est ipsa essentia realis hominis, quae est composita ex materia et anima. Qua de re si per *esse humanum* intelligitur ipsa essentia realis, haec non est ab anima sed a toto composito, quia etiam materia habet in se suam partem essentiae realis. Si autem per esse intelligitur actus, qui recipitur in essentia ut in potentia, ipse quum sit simplex nequit esse corruptibilis (2).

Thesis LXIX.

Anima humana non producitur per emanationem e Dei substantia, neque per traducem vel per generationem a parentibus, sed per immediatam Dei creationem.

359. **Praenotiones historicae.** — Circa hanc quaestionem multi exorti sunt errores, quorum praecipua radix reponenda est in falso vel erroneo conceptu, quem adversarii gerunt circa animae naturam. Sufficit praecipuos innuere, qui reducuntur ad *emanatismum, traducianismum et generationismum.*

Primus docet animam humanam effluere ab ipsa Dei substantia per veram emanationem transeuntem. Abnormis huius erroris fautores fuere inter veteres Pythagoras, Stoici, Manichaei et Neoplatonici; inter recentiores ii omnes, qui Pantheismo sunt addicti. — *Secundus* tuetur animam a parentibus derivari media generatione. Dispescitur autem duplex, *corporeus* et *spiritualis.* Nam quidam docent, animam ad modum formarum materialium ex materia generantis, tamquam a subiecto, educi. Alii vero asserunt, animam quasi *per traducem*, « tamquam lucerna de lucerna accendatur, ut sine detrimento alterius alter inde ignis existat » (3). Traducem aliqui incorporeum comminiscebantur ad modum materiae spiritualis. Huius erroris participes fuerunt Apollinaristae, Luciferiani, etc. — *Tertius*, tandem seu generationismus, cuius auctor est Frohschammer, sic statuit: « Substantia humanitatis est *idea divina humanitatis facta realis;* quae, in-

(1) *De Ver.*, q. 19, a. 1.

(2) Recole ea omnia quae diximus de duplici acceptione τοῦ esse in *Metaph. gener.*, et ita clare patebit utraque haec responsio.

(3) S. Aug., in Ep. 190 *ad Opt.*

quantum talis, potentiam habet et destinationem producendi innumerabiles eiusdem speciei personalitates, se evolvendo per virtutem creativam. Substantia geniti nunquam et nusquam praeexistebat; sed nascitur per actum generationis, per quam virtute creativa producitur. Ergo generatio est actus creativus humanae naturae, et creatio ex nihilo, mediante potentia creatrice secundaria, quam genus humanum a Deo recipit » (1).

360. **Prob. I p.** — Si anima derivaretur a divina substantia tamquam eius pars, iisdem gauderet perfectionibus ac divina substantia. Atqui hoc repugnat; anima enim est finita ac limitata, divina substantia est infinita; anima est mutabilis, illa immutabilis; anima indiget materia in suis operationibus, illa non... etc. Ergo. — Egregie S. Augustinus « Non est pars Dei anima. Si enim hoc esset, omni modo incommutabilis atque incorruptibilis esset. Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semetipsa inciperet quantum ad eius ipsius affectiones pertinet: quam vero aliter se habeat, non opus est extrinseco testimonio; quisquis seipsum advertit, agnoscit. Frustra autem dicitur ab eis, qui animam Dei partem esse volunt, hanc eius labem ac turpitudinem, quam videmus in nequissimis hominibus, hanc denique infirmitatem et aegritudinem, quam sentimus in omnibus hominibus, non ex ipsa illi esse, sed ex corpore: quid interest, unde aegrotet, quae si esset incommutabilis, undelibet aegrotare non posset? Nam quod vere incommutabile et incorruptibile est, nullius rei accessu commutari, vel corrumpi potest: alioquin non Achilles tantum sicut fabulae ferunt, sed omnis caro esset invulnerabilis, si nullus ei casus accideret. Non est itaque natura incommutabilis, quae aliquo modo, aliqua causa, aliqua parte mutabilis est; Deum autem nefas est, nisi vere summeque incommutabilem credere. Non est igitur anima pars Dei » (2).

Prob. II p. — Anima humana est spiritualis. Atqui quod est spirituale, nequit produci per traducem, neque per generationem a causa physica. Ergo. — *Pr. m.* — Quod pro-

(1) *De Or an. hum seu* « Defensio Generationismi ».
(2) Epist. 28, cap. 2, n. 8.

dicitur per traducem a causa physica non est nisi dependens a parte materiali suae causae, quae ab ea abscinditur et communicatur effectui. Atqui quod tale est, nequit ullo pacto esse spirituale. Ergo. — Item quod producitur per generationem a causa physica est intrinsece dependens a materia. Nam, ut scite arguit S. Th. (1), « impossibile est virtutem activam, quae est in materia, extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum. Manifestum est autem quod principium intellectivum in homine est principium transcendens materiam; habet enim operationem, in qua non communicat corpus. Et ideo impossibile est quod virtus, quae est in semine, sit productiva intellectivi principii. — Similiter etiam, quia virtus, quae est in semine, agit in virtute animae generantis, secundum quod anima generantis est actus corporis, utens corpore in sua operatione; in operatione autem intellectus non communicat corpus: ideo virtus intellectivi principii, prout intellectivum est, non potest a semine provenire. Et ideo Phil. (De gen. anim. l. II, c. 3) dicit: « Relinquitur intellectum solum de foris advenire ». — Similiter etiam anima intellectiva cum habeat operationem vitae sine corpore, est subsistens, et cum sit immaterialis substantia, non potest causari per generationem, sed solum per creationem a Deo. Ponere ergo animam intellectivam a generante causari, nihil est aliud quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore ».

Prob. III p. Omne ens in se subsistens nequit esse nisi terminus *qui* productionis, ideoque nequit produci ex transformatione alicuius subiecti praeexistentis: secus enim non est in se subsistens, sed dependens ab illo subiecto, quod transformatur, et quocum necessario componit. Atqui quod producitur ut terminus qui productionis, est terminus creationis. Creatio enim est productio rei sine praeiacente materia, ac proinde terminatur ad ens subsistens. Quod autem debeat a Deo creari ex eo patet, quod creatio est operatio solius Dei, ut alibi probabitur. Ergo.

(1) *S. Th.*, I p., q. 118, a. 2.

361. **Obiicies:** I. Anima est *spiraculum divinum.* Atqui spiraculum est emanatio spirantis. Ergo. — *R. D. M.;* sensu proprio ac materiali, *n.;* sensu metaphorico, quatenus est aliquid productum immediate a Deo in eius similitudinem, *c.* — *Contrad. m.*

II. Anima est participatio essentiae divinae. Atqui omne participatum est pars participantis. Ergo. — *R. D. M.;* tamquam subiectum quod participat accidens, vel tamquam inferius quod participat superius, *n.;* tamquam effectus qui participat causam. *c.* — *Contrad. m.*... Hic recolenda sunt ea, quae in metaph. gener. exposuimus de participatione τοῦ esse. Quare sufficit dicere cum S. Th. (1) « creaturae non dicuntur divinam bonitatem participare quasi partem essentiae suae, sed quia similitudine divinae bonitatis in *esse* constituuntur, secundum quam non perfecte divinam bonitatem imitantur, sed *ex parte* ».

III. Anima humana est etiam sensitiva et vegetativa. Atqui ista producitur per generationem. Ergo. — *R. D. M.;* est formaliter sensitiva ac vegetativa, *n.;* virtualiter, *c.* — *Contrad. m.*... Quare, quum anima sit formaliter intellectiva, producenda est eo modo, qui ipsi qua tali convenit. Atqui, uti vidimus, anima intellectiva nequit produci per generationem. Ergo.

IV. Anima humana est sub genere corporis. Atqui ista debet intrinsece pendere a corpore. Ergo. — *R. D. M.;* est directe sub genere corporis, *n.;* indirecte vel reductive, *subd.;* ratione sui, *n.;* ratione materiae cuius est forma, quamvis in se subsistens, *c.* — *Contrad. m.*... Ad rem S. Th. (2) « quod si anima sensibilis, quae est in brutis, et anima sensibilis, quae est in homine, collocarentur secundum se in genere vel specie, non essent unius generis, nisi forte logice loquendo secundum aliquam intentionem communem. Sed id quod est in genere et specie proprie, est compositum quod utrobique est corruptibile ».

V. Anima producitur in corpore. Atqui quod ita producitur non est terminus qui productionis. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. producitur uti dependens a corpore, *n.;* i. e. primo producitur in se, ita ut eadem actione coniungatur cum corpore ad existendum in specie completa, *c.* — *Contrad m.*... Anima in hoc distinguitur a puro spiritu, quatenus iste ita producatur in se, ut nullo modo alteri coniungatur. Anima humana vero producitur utique in se, quum sit in se subsistens, at simul coniungitur cum corpore, quocum constituit speciem completam, ac proinde *de se* est semper terminus *qui* productionis, saltem *secundum quid.*

VI. Unus effectus nequit produci a diversis causis. Atqui anima et corpus hominis constituunt unum ens. Ergo. — *R. D. M.* si illae causae non sunt ordinatae, *c.;* si sunt ordinatae, *n.* — *C. m.* Huic difficultati iam occurrerat S. Th. « Diversorum agentium actiones non terminari ad unum factum, intelligendum

(1) II S., D. 17, q. 1, a. 1 ad 6.
(2) *De Anima,* a. 11 ad 14.

est de diversis agentibus non ordinatis. Si enim ordinata sunt invicem, oportet eorum esse unum effectum. Nam causa agens prima agit in effectum causae secundae agentis vehementius, quam ipsa causa secunda. Unde videmus quod effectus, qui per instrumentum agitur a principali agente, magis proprie attribuitur principali agenti, quam instrumento. Contingit autem quandoque, quod actio principalis agentis pertingat ad aliquid in operato, ad quod non pertingit actio instrumenti. Sicut vis vegetativa ad speciem carnis perducit, ad quam non potest perducere calor ignis, qui est eius instrumentum; licet operetur disponendo ad eam, resolvendo et consumendo. Quum igitur omnis virtus naturae activa comparetur ad Deum, sicut instrumentum ad primum et principale agens, nihil prohibet in uno et eodem generato, quod est homo, actionem naturae ad aliquid hominis terminari et non ad totum, quod fit actione Dei. Corpus igitur hominis formatur simul et virtute Dei, quasi principalis agentis et primi, et etiam virtute seminis quasi agentis secundi; sed actio Dei producit animam humanam, quam virtus seminis producere non potest, sed disponit ad ipsam » (1).

VII. Parentes revera generant hominem. Atqui generatio habetur ratione formae non ratione materiae. Ergo. — *R. D. M.:* quatenus terminus generationis sit ipse homo, *c.:* quatenus producunt omnes partes generantis, *subd.:* directe, *n.:* saltem praedispositive, quatenus ponunt in materia dispositionem necessariam, quae omnino exigit formam extrinsece advenientem, *c.* — *Contrad. m.;* ita ut generans debeat sua actione ita transformare materiam, ut ponat in ea ultimam exigentiam formae, *c.:* ita ut ista forma debeat necessario educi e materia, *subd.:* si est forma materialis, *c.;* si est spiritualis, *n.* — Sed uti apparet, sive forma educatur e materia sive non, revera hoc non pertinet ad rationem generantis, cuius tantum est transformare materiam, ut in ea habeatur forma similis sibi, et ita exoriatur aliud vivens eiusdem naturae: generatio enim est *origo viventis a vivente ex principio coniuncto in similitudinem naturae* (2).

(1) *C. Gentes*, l. II, c. 89.

(2) Accipe explicationem P. Liberatore (*Psych.*, c. 2, a. 5, n. 115). « Reapse unum opus in generatione conficiendum assumitur, nimirum homo, licet pluribus concurrentibus causis, parentibus nimirum et Deo. Quae causae hoc ordine conveniunt inter se, ut parentes agant tamquam causae secundae, Deus est causa prima. Iamvero parentum virtus elaborat et perficit corpus usque ad punctum, in quo exigit informari anima rationali; ad quam non se extendit, propterea quod eius efficacitatem superat. At hic, ubi parentes deficiunt, prosequitur Deus producendo per solam suam actionem quod causae illae non possunt. Quare parentes non corpus sed hominem progenerare dicuntur; quia reapse ad compositum producendum operam conferunt. Sic qui hominem interficit, etsi non animam sed corpus perimat; tamen quia actione sua compositum humanum vita destituit, hominem dicitur interimere ».

362. **Coroll.** — *Ergo transformismus nequit extendi usque ad animam humanam.* — Videlicet a priori re spectata, dicendum est prorsus repugnare, quod anima humana habeatur per transformationem specierum animalium inferiorum. Nam etiam facta hypothesi, quod diversae rerum species habitae sint per transformationem unius ab alia, ad hominem quod spectat, hoc tantum dici posset, quod eius corpus habitum esset ex transformatione corporum animalium inferiorum. Anima vero nunquam ex tali transformatione exsurgeret, quippe quae nonnisi per creationem produci queat. Quare nunc evidentissime patet, quam frustra laborent ii omnes, qui eo consilio adnituntur argumenta invenire ad transformismum suadendum, ut possint spiritualitatem et immortalitatem animae denegare. Quam inanes sunt viae hominum, quando a veritate aberrant! (1).

363. **Scholion.** — *De sententia Rosminii.* — Singularis omnino est sententia Rosminii, qui ait, animam humanam, in quantum est sensitiva, a parentibus derivari, et postea per manifestationem ideae entis, seu inquantum idea entis ei manifestatur, evadere intellectivam. Haec sententia, ad rem quod attinet, incidit in traducianismum, ut ipse Rosminius fatetur (2), addit tamen aliquid, quod est prorsus inintelligibile, nisi etiam absurdum. Et sane quo pacto intelligi potest, animam sensitivam, ac proinde dependentem a materia in essendo et operando, evadere intellectivam, ideoque spiritualem et immortalem, ex eo quod ei manifestatur aliquod ens? Praeterea, uti recte prosequitur P. Liberatore (3), « in illa hypothesi plura consequerentur absurda. I. Anima humana esset spiritualis et immortalis non per intrinsecam naturam, sed per aliquid a se distinctum, nempe per ideam entis, quae obiectum foret intuitionis. II Etiam anima felis aut equi fieri posset spiritualis, si Deus ideam entis illis obiiceret. Quod in casu repugnantiam nullam includeret.

(1) Hic omnino praescindimus a quaestionibus theologicis, quae cum ista connectuntur, et ideo nullam facimus mentionem sententiae S. Augustini, qui videtur oppositum tueri, minime tamen innixus argumentis rationis, quae potius videntur ostendere, animam a Deo creandam esse. Sed quoniam non valebat componere hanc conclusionem cum thesi de existentia peccati originalis, ad hanc in tuto ponendam, a priori recedebat. Nunc autem theologi cum S. Th. utramque simul cohaerere bene demonstrant, atque adeo haec quoque difficultas dissoluta est.

(2) *Psych.*, vol. I, l. 4, c. 23. — Cfr. etiam eius profundam refutationem quam iam pridem fecerat *S. Thomas* in I p., q. 118, a. 2 « Sed hoc stare non potest... ».

(3) *Psych.*, c. 2, a. 5, n. 113.

Per se enim anima illorum brutorum sensitiva est, et, ut talis, animae humanae assimilatur. Quod autem nobis offertur idea entis, procedit iuxta auctorem a lege, quam Deus tulit. Quid igitur vetat ne Deus hanc aliam legem ferat, ut etiam animae alicui belluinae eadem idea representetur? III. Anima rationalis singulorum hominum non crearetur: non enim fieret a nihil », sed ex praevia anima sensitiva, cui nova tantum perfectio adiungeretur. Creatio autem singularum animarum in hominibus non modo philosophice, sed etiam theologice constat: cum evidenter doctrina sit Ecclesiae catholicae ».

364. **De tempore, quo anima humana creatur.** — Duplex sententia circa hanc quaestionem prolata est, iam ab antiquioribus temporibus: altera docet, auctore Platone cum sua schola, quem secutus est Origenes, animas iam pridem creatas fuisse, ac deinde temporis processu in corporibus tamquam in carcere detrusas esse, ad quasdam poenas luendas; altera vero, quam Arist. primo ac dein Patres atque scholastici omnes amplexati sunt, asserit, animam tunc creari, quum corpori infunditur. Haec sententia est etiam de fide catholica, quum prior omnino damnata sit. Sed haec eadem sententia dupliciter adhuc defendi solet. quidam enim asserunt, animam non infundi corporibus nisi post multos dies a foecundatione, quum nempe habeatur sufficiens aliquis organismus, alii autem, praesertim recentiores quamplurimi, contendunt, ipsam infundi statim ac cellula est foecundata in circumstantiis aptis ad generationem. Haec quaestio cum altera connectitur, quam in ultima parte thesecos XI, n. 67 sqq. solvimus, asserendo in ipsa cellula foecundata statim adesse animam vegetativam. Nunc proinde inquirendum manet, utrum illa anima vegetativa, quae iam adest in semine foecundato hominis, sit ipsa anima rationalis; vel alia inferior, quae, ista adveniente, corrumpitur.

Thesis LXX.

Certum est animam tunc creari quum corpori infunditur, probabilius tamen videtur infundi in primo instanti conceptionis.

365. **Prob. I p.** — Anima est essentialiter forma corporis, uti probandum erit in artic. seq., et unitur cum corpore ad constituendam unam speciem completam. Atqui ipsa nequit creari antequam corpori infundatur. Ergo. — *Pr. m.* — Nam ista anima aut creatur cum ordine transcendentali ad aliquod corpus informandum, aut sine hoc ordine. Atqui neutrum dici potest. Non primum, quia tunc crearetur in statu imperfecto, cum non haberet adhuc illud, quod essentialiter requirit; et hoc repugnat divinae sapientiae. Non alterum, quia tunc nequit esse forma substantialis corporis, cum adveniret ut aliquid accidentale. Ergo (1).

Praeterea, ut ait S. Th. l. cit. « Avicenna istum errorem reprobat satis efficaci ratione, supposita animae immaterialitate. Impossibile est enim diversitatem in numero sub eadem specie causari nisi ex diversitate materiae: quia ad diversitatem formalium principiorum sequitur diversitas specierum. Si ergo anima, ut dictum est, non habeat materiam ex qua sit, non possunt plures animae unius speciei esse diversae numero, nisi per diversitatem materiae in qua sunt. Unde si ante corpus creatae fuissent, oportuisset eas vel esse diversas species, et sic omnes specie differre ex diversitate formarum: aut quod esset una tantum numero, et ita rediret error tactus in praecedenti articulo ». Hoc argumentum plene cohaeret cum principiis iam statutis in Metaph. gen. et in Cosmol. circa multiplicationem individuorum in eadem specie.

(1) Ad rem *S. Th.* (II S., D. 17, q. 2, a. 2). — « quorundam antiquorum opinio fuit animas esse extra corpora a principio creatas: cuius erroris occasio fuit quod animam corpori uniri posuerunt quasi accidentaliter, sicut nautam navi, vel sicut hominem indumento, ut de Platone Gregorius Nyssenus narrat: unde dicebat, hominem esse animam corpore indutam: et ideo etiam, secundum Pythagoricos, de corpore in corpore transibat... ».

366. **Dices:** Deus requievit die septimo. Ergo tunc omnes animas iam creaverat. — *R. C. A.*: explicationem accipe a S. Th. ibid. « Ad primum ergo dicendum, quod pro tanto Deus dicitur ab opere septimo die cessasse, quia nihil postea fuit quod non aliquo modo in primis operibus praecesserit vel secundum materiam et rationem seminalem, sicut corpora quae de novo generantur, vel secundum similitudinem, sicut animae, quae de novo creantur. Sciendum autem, quod similitudo animae praecessit etiam in opere creationis aliquo modo, cum omnia simul creata legantur, ut Eccl. 18 dicitur: sed haec similitudo, fuit in natura communi, in qua anima et Angelus conveniunt, scilicet in intellectuali. Praecessit etiam in operibus sex dierum huius animae, quae nunc creatur, similitudo in specie, quia inter alia sex dierum opera etiam homo creatus est, rationali anima perfectus secundum alios sanctos; quamvis secundum August. (7 super Gen.), fuerit in illis sex diebus factus homo quantum ad materiam et rationem animalem ratione corporis; ratione vero animae, ipsa primi hominis anima fuerit in se facta ».

II. Anima post obitum existit sine corpore. Ergo poterat existere etiam ante. — *R. C. A.*; et *N. Cons.* seu *nego paritatem;* et rationem accipe ab eodem S. Th. ibid. « Ad quartum dicendum, sicut Avicenna dicit, anima quamvis non dependeat a corpore quantum ad suum esse vel quantum ad suum finem, dependet tamen quodammodo quantum ad suum principium. Cuius ratio est, quia cum universalia non habeant aliquod esse nisi in anima, oportet quod quidquid in esse naturae producitur, producatur secundum hoc quod individuatur. Cum ergo anima esse individuatum non possit habere nisi secundum quod coniungitur corpori ut forma eius, ut probatum est, oportet quod non incipiat esse nisi in corpore: sed tamen in corpore acquiritur sibi esse absolutum, non depressum vel obligatum ad corpus: et ideo etiam post destructionem corporis manet secundum suum esse individuata et distincta ab alia anima ».

367. **Prob. II p.** — Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Atqui nulla videtur esse necessitas adstruendi in foetu hominis animam vegetativam ac sensitivam, quae praecedat infusionem animae rationalis. Ergo dicendum videtur animam infundi in primo instanti conceptionis. — *Pr. m.* quia praecipuae rationes, quae afferri solent, eo spectant, ut ostendant requiri proportionatum organismum. Atqui satis ostendimus in th. XI, plane omnino sufficere partes dissimilares, quae inveniuntur in cellula foecundata, ad vitam vegetativam: vita autem sensitiva necesse non est quod reperiatur semper in actu secundo, quare nihil

prohibet, quominus inveniri possit in materia, quae nondum habet partes necessarias ad eius exercitium, sed tamen est in debita dispositione ad illas constituendas. Tandem anima rationalis operatur independenter a materia, et quum ipsa debeat recipere materiam a sensibus, sequitur quod nequit exercere suas facultates, quousque exercitium vitae sensitivae evolutum sit, et in hoc nullum est inconveniens, quum in infantibus hoc certe contingat. Ergo nihil videtur prohibere, quominus anima rationalis sit in semine in primo instanti conceptionis, quod saltem uti probabilius poterit affirmari (1).

Difficultates modo transmittimus; praecipuae enim iam solutae fuerunt in altera quaestione, in th. XI.

368. **Conclusio.** — Homo igitur merito dicitur esse in confinio rerum corporearum et spiritualium. Quum ipse corpore praeditus sit, ad ordinem rerum corporearum huius mundi adspectabilis manifesto pertinet. At in eo anima quoque adest vere spiritualis ac proinde etiam immortalis, qua attingit ordinem rerum spiritualium. Et ita in se utrumque copulat ordinem, propriam participando rationem entium utriusque ordinis, ac in se praesefert peculiarem illam imaginem ac similitudinem illius entis perfectissimi in summo spiritualitatis gradu positi, a quo creaturae omnes tum corporeae tum spirituales suam trahunt perfectionem et originem. Unde perperam perrumpere materialistae conantur annulum hunc unicum inter mundum visibilem et invisibilem, ut pessumdent mirabilem illam harmoniam, quam Deus sapientissimus in tota creaturarum universitate statuere intendit.

(1) Accedit deinde aliud argumentum extrinsecum, desumptum nempe ex *doctrina Scripturarum, ex dogmate Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis* et ex *pari Ecclesiae*. — Hoc argumentum breviter et clare proponitur a D. Ioseph Antonelli in opere « Medicina Pastoralis » nuper edito in usum confessariorum: vol. I, n. 138-141.

Ad haec accedit, quod Ecclesia, dum doctrina aristotelica, nullo solido physiologico vel rationali argumento fundata, vigebat de distinctione inanimati et animati foetus, leges et poenas decreverit contra abortum procurantes, et in antiquo iure servabatur dicta distinctio, comminando poenas multo maiores contra abortum procurantes, foetu animato. Constitutio vero Pii IX an. 1868, quae incipit *Apostolicae Sedis*, in qua, licet mens Pontificis esset excommunicationes limitandi, tamen in quaestione praesenti ampliatum invenimus antiquum ius, auferendo omnino illud discrimen inter foetum animatum et comminando absolute excommunicationem contra « *procurantes abortum, effectu sequuto* » quocumque tempore praegnationis abortus fieret.

Insuper etiam in codicibus civilibus, ablato antiquo discrimine animati et inanimati foetus, graves poenae infliguntur simpliciter procurantibus abortum.

At hinc nova adhuc quaestio occurrit, videlicet, quomodo haec duo principia, tam opposita inter se, ita tamen simul coniungi valeant, ut unum hominem efficiant unumque individuum. Ad eam vero rite solvendam, prius statuendum erit, utrum anima intellectiva eadem sit, quae operationes vitae vegetativae ac sensitivae exerat; et ita via aperitur ad inquirendum, quanam ratione hoc unicum totius activitatis principium unam in homine cum corpore naturam unumque individuum constituere valeat.

Haec ultima quaestio solvenda relinquitur in artic. seq. quo finis huic capiti imponitur.

ARTICULUS VI.

DE UNIONE ANIMAE CUM CORPORE.

369. **De unitate principii viventis in homine.** Haec quaestio agitari nequit, nisi ab iis, qui vitae principium, tamquam aliquid a materia distinctum, agnoscunt. Ea vero fundamentalis est, cum ex eius solutione pendeat recta explicatio quaestionis de unione animae cum corpore.

Praenotiones historicae. — Prior, qui ad eam solvendam manum admovit, fuit Plato, qui « posuit diversas animas esse in corpore uno, etiam secundum organa distinctas, quibus diversa opera vitae attribuebat, dicens, vim *nutritivam* esse in hepate, *concupiscibilem* in corde, *cognoscitivam* in cerebro. Quam quidem opinionem Aristoteles reprobat, *De Anima*, l. III, text. 41... » (1). Sententiam Platonis secuti sunt Galenus et Philo, qui aiebat: « Animadvertendum igitur tripartitam esse nostram animam, habereque partes, *rationalem*, *irascibilem*, et *concupiscibilem*, quarum rationalis regionem capitis inhabitat, irascibilis vero pectus, sicut concupiscibilis inguina » (2). In eandem concesserunt Avicebron, Averroes et nonnulli eorum sequaces, « qui dicunt, quod secundum ordinem generum et specierum sunt diversae formae substantiales sibi invicem advenientes, sicut est substantia, est corpus, est animatum, et est animal... » (3). Istis accesserunt aliam ob rationem Manichaei et Gnostici, qui, duo rerum principia agnoscentes sibi invicem opposita, bonum nempe et malum, et in homine duas animas adstruebant, intellectivam ac sensitivam, quae simul principium esset vegetationis (4). Cum istis concinit Ockam, qui ea ratione

1) S. *Theol.*, I p., q. 76, a. III.

2) Legis alleg., l. I, p. 43.

3) S. *Th.*, Qdl. XI, a. V.

4) Cfr. S.Aug., *De duabus anim. c. Manich.*, c. 12; et *De Civ. Dei*, l. 13, c. XI, n. 1.

motus quod *caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem*, inferebat, duas saltem in homine adesse animas, sensitivam et intellectivam (1). Horum doctrina appellata fuit *trichotomia*, quia ex tribus partibus hominem constare arguebat, anima intellectiva, sensitiva et corpore. Cartesiani vero unam animam vindicabant, sed quae esset pure intellectiva, vel ipsa cogitatio, et operationes vitae sensitivae ac vegetativae non nisi materiae motibus tribuebant (2).

Alii, quos inter Ioannes Clericus (Le Clerc 1657-1736) et deinceps Th. Jouffroy, (1794-1842) inter animam et corpus intercedere putant tertium quoddam principium, veluti « *mediatorem plasticum* », a quo operationes hominis physicae procedant. Haec opinio ortum habuit a theoria de *natura generatrice seu plastica*, iam antea a Cudwort excogitata. Ipse enim, quum in systemate mechanico et dynamico circa corporum originem oppositos detexerit scopulos, arbitratus est, eos non aliter vitare posse, quam adstruendo naturam quandam viventem a Deo creatam, quasi mediam inter se et materiam, quaeque eius obsequens mandatis, phaenomena ederet corporea, quae dedeceret Deum immediate producere. Ita isti in homine ponebant principium vitae animalis, quod, animae rationali obediens, phaenomena vitae vegetativae ac sensitivae in corpore gigneret.

Leibniz autem quum statuerit, substantias ex multis monadibus viventibus constare, infert, in homine membra corporis multis referta esse monadibus, quarum una aliis dominat easque in unum dirigit finem. « Quodlibet corpus vivum habet entelecheam unam dominantem, quae est anima in animali; sed membra huius corporis viventis plena sunt aliis viventibus, plantis, animalibus, quorum quodque iterum suam habet entelecheam sive animam dominantem » (3). Nostra vero aetate *tricotomiam* quoad rem saltem instaurarunt Güntheriani, qui tres in homine partes distinguebant, *spiritum*, *animam* et *corpus*. Spiritus πνεῦμα est substantia simplex, spiritualis et libera, in se completa, quae a puris spiritibus non est re diversa. Anima ψυχή est ipsa natura physica, seu vis qua corpus vivit et sentit. « Homo igitur secundum Güntherianos constat ex animali, ut ita dicam, vivente sentiente, vel ex suprema naturae physicae evolutione et ex spiritu humano seu natura angelica » (4).

(1) Eam docet in Quodl. II, q. X...; cfr. etiam Suarez, *Metaph.*, D. XV, s. X ,qui alios auctores citat.

(2) Cartesius enim, in *Princ. phil.*, p. I. n. 48, hoc statuerat principium. « Non autem plura quam duo summa genera rerum agnosco; unum est rerum intellectualium sive cogitativarum h. e. ad mentem sive substantiam cogitantem pertinentium; aliud rerum materialium, sive quae pertinent ad substantiam extensam h. e. corpus ».

(3) *Principia Philos.*, n. 771

(4) Cfr. Dr. Katschthaler, *Theol. dogm.*, l. I, p. 2, s. 3, a. 1.

370. **Vera sententia** eis opposita ea est quam Aristoteles praeformaverat, et constanter secuti sunt SS. Patres Ecclesiae et Scholastici omnes, imo eandem definitam invenimus, tum in Conc. Constant. IV a. 869), tum clarius in Conc. Viennensi (a. 1311). Nuper autem contra Günther et Baltzer Pius IX litteras apost. misit, ad Episc. Wratislav. die 30 apr. a. 1860, in quibus, relatis sententiis eorundem, addit: « Quod quidem non possumus non vehementer improbare, considerantes hanc sententiam, quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque Doctoribus plerisque, et probatissimis quidem maxime, cum Ecclesiae dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima, solaque vera interpretatio nec proinde sine errore in fide possit negari ». Haec doctrina, quae praeter corpus unam in homine agnoscit animam, vocata est *dichotomia*, quam omnes catholici tuentur .

Thesis LXXI.

In homine unum adest vitae principium anima nempe intellectiva, quae est simul sensitiva et vegetativa.

371. **Prob. I** *negative* (1). Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Atqui nulla adest necessitas adstruendi alias animas praeter intellectivam. Ergo. — *Pr. m.* cum S. Th. (2). Nam species rerum recte assimilantur « numeris, qui differunt specie secundum additionem vel subtractionem unitatis, et diversae animae speciebus figurarum, quarum una continet aliam, sicut pentagonum continet tetragonum, et excedit. Sic igitur anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum et nutritiva plantarum. Sicut ergo superficies, quae habet

(1) Hic afferri possent eadem argumenta, quibus ostendimus in Th. VIII: *Omne vivens est individuum per se unum;* unitas enim individui constituitur per unitatem formae substantialis.

(2) S. *Theol.* I p. q. 76, a. 3.

figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona, et per aliam pentagona, quia superflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur; ita nec per aliam animam Socrates est homo, et per aliam animal, sed per unam et eandem ».

II. *a priori* cum eodem S. Th. ibid. *ex unitate hominis*. « Quia animal non esset simpliciter unum, cuius essent animae plures; nihil enim est simpliciter unum nisi per formam unam, per quam habet res esse; ab eodem enim habet res quod sit ens, et quod sit una; et ideo quae denominantur a diversis formis, non sunt unum simpliciter, sicut homo albus. Si igitur homo ab alia forma haberet quod sit vivum, scilicet ab anima sensibili, et ab alia quod sit homo, scilicet ab anima rationali; sequeretur quod homo non esset unum simpliciter, sicut et Arist. argumentatur contra Plat. (*Met.*, l. III, text. 20), quod si alia esset idea animalis, et alia bipedis, non esset unum simpliciter animal bipes. Et propter hoc (*De Anima*, l. I, text. 90) contra ponentes diversas animas in corpore inquirit, quid contineat illas, id est, quid faciat ex eis unum. Et non potest dici, quod uniantur per corporis unitatem; quia magis anima continet corpus, et facit ipsum esse unum, quam e converso ».

III. *Ex unitate finis*. Tunc adest unum principium substantiale operationum vitalium, quando *a*) habetur *unus finis proximus proprius* entis, ab ipsa natura intentus; *b*) ad quem *naturaliter*, i. e. primo et per se, *tendunt omnes eius operationes*; *c*) quae ita ad invicem ordinentur, ut eius partes nequeant secundum suam naturam operari, nisi iuxta hunc ordinem in illum finem tendant. Atqui haec tria contingunt in operationibus vitalibus hominis. Ergo.

Pr. M. — Omnis finis exposcit correspondens principium actionis, intrinsecum rei, quae in ipsum tendit. Quare ibi *unum* adest intrinsecum principium actionis, ubi *unus* habetur finis, nempe *naturalis* ac *proximus*, et qui *primo* determinat substantiam illius entis. Atqui ipsum est quod vocatur *forma substantialis*. Ergo.

Pr. m. Omnes operationes vitae vegetativae in homine

naturaliter ordinantur ad vitam sensitivam, quippe quae ei ita serviunt ut, ipsis deficientibus, et ista exerceri nequeat; item vita sensitiva ordinatur ad intellectivam, cui praebet materiam ad intelligendum: vita autem intellectiva proprium constituit finem hominis, per quem suam consequitur felicitatem. Ergo in homine unus adest finis proximus cui omnes operationes naturaliter ac ordinate subiiciuntur, ita ut huiusmodi ordine peremplo, eius partes nequeant secundum naturam operari.

Et quamvis anima separata intelligere possit sine sensibus, hoc autem non habetur secundum suam naturalem exigentiam et omnino requiritur, quod Deus alia ratione provideat, ut innuimus in n. 358 VII et VIII. At certo anima, quandiu est in corpore, non potest intelligere nisi dependenter a sensibus, qui eis materiam cognitionis praestant. Ergo.

IV. *Ex testimonio conscientiae.* Omnes enim aperte experimur, nos unum eundemque esse, qui operationes vitae vegetativae, sensitivae et intellectivae elicimus; quod ex eo etiam confirmatur, ut ait S. Th. ibid., «quod una operatio animae, cum fuerit intensa, impedit aliam; quod nullo modo contingeret, nisi principium actionum esset per essentiam unum».

Nec valet instantia ex eo quod homo sentit, se esse idem subiectum extensum et cogitans, dum ista sunt duo distincta. Nam 1) extensio non est aliqua operatio, quam homo sentit prodire ab eodem subiecto cogitante. Sed tantum sentit homo aliquam sensationem, quae fit in subiecto extenso. Et 2) haec non sunt distincta, tamquam duo principia activa, sed ut principium activum et passivum. Ideoque iugens apparet discrimen inter distinctionem formarum in uno subiecto, quod experitur se esse unum, ac distinctionem formae activae a materia. Ratio autem, cur conscientia non valet distinguere corpus ab anima, ex eo est, quod corpus non agit, dum contra res a nobis cognoscuntur et inter se distinguuntur praecise inquantum agunt.

372. **Obiicies:** I. Si una adesset anima in homine, ea esset simul materialis et immaterialis, corruptibilis et incorruptibilis,

rationalis et irrationalis. Atqui hoc repugnat. Ergo — *R. D. M.:...* esset talis, quoad potentias et operationes, *c.;* quoad essentiam, *subd.;* si ipsa esset *formaliter sensitiva* et formaliter intellectiva, *c.;* si ipsa est *virtualiter tantum* sensitiva et formaliter intellectiva, *n.* — *Contrad. m....* Ad solutionem huius difficultatis et aliarum similium, haec prae oculis habenda sunt. Anima constituitur in sui ratione per ultimam seu specificam perfectionem, qua a ceteris distinguitur. Quare quum specifica perfectio animae humanae in eo sit, quod intelligat ac ratiocinetur, quae necessario praesupponit eam esse spiritualem ac immortalem, huiusmodi perfectiones constituunt propriam rationem animae humanae, quae proinde est *formaliter* rationalis, immaterialis et incorruptibilis. Si autem ipsa perfectiones continet communes formis materialibus, hinc non sequitur eam esse materialem, sed tantum eam in se amplecti perfectiones formarum inferiorum, manendo semper in suo gradu superiori; nisi forte eius potentiae inferiores, quum indigeant concursu materiae ad operandum, materiales dici possint. Ideo S. Th. ait: «quod anima sensibilis in homine secundum substantiam est incorruptibilis, cum eius substantia sit substantia animae rationalis; licet forte potentiae sensitivae, quae sunt actus corporis, non remaneant post corpus, ut quibusdam videtur» (1).

II. Repugnat quod anima spiritualis operetur dependenter a materia. Atqui hoc accideret in hac sententia. Ergo. — *R. D. M.:...* in iis operationibus, quae respuunt concursum materiae, *c.;* in omnibus omnino operationibus, *n.* — *Contrad. m....* Illae operationes, quae necessario respuunt dependentiam a materia, nunquam exerceri possunt independenter ab ea, atque adeo spirituales evadere. At nihil prohibet, quominus anima spiritualis operationes exerceat etiam dependentes a materia.

III. Nequit una eademque anima ad opposita dirigi. Atqui anima sensitiva et rationalis in homine ad opposita diriguntur. Ergo. — *R. D. M.:...* i. e. nequit habere duos oppositos fines proprios, *c.;* nequit quandoque appetere duo opposita obiecta, *subd.;* si isti duo appetitus nequeunt ad invicem ordinari, *c.;* si possunt, imo naturaliter deberent ad invicem ordinari, *n.* — *Contrad. m....* Et sane appetitus sensitivus et intellectivus nunquam ordinantur ad duos oppositos fines proprios, quum obiectum sensuum subordinetur obiecto intellectus. Sed contingere potest, quod aliquando appetitus sensitivus ita vehementer in suum obiectum tendat, ut impediat, quominus appetitus intellectivus suum prosequatur, ut innuimus in n. 348. Hinc quaedam exoritur oppositio, cui tamen faciliter occurrere potest ipse appetitus intellectivus, coercendo sensus, ne nimis excedant, atque

(1) *De Anima*, art. XI, ad 13.

adeo ut eius imperio subdantur, quod certe impossibile foret, si non esset una eademque, utroque appetitu pollens (1).

IV. Operationes oppositae procedunt a principiis formalibus oppositis. Atqui operationes sensitivae et intellectivae sunt oppositae. Ergo. — *R. D. M.;*... a principiis formalibus sive *substantialibus* sive *accidentalibus* oppositis, *c.;* tantum substantialibus, *subd.;* si procedunt a principiis subsistentibus diversis, *c.;* si procedunt ab uno subsistente, *n.* — *Contrad. m.*... quae procedunt ab uno subsistente, *c.;* a diversis, *n.* Operatio procedit remote a principio substantiali et proxime a forma accidentali, ut ab eius instrumento. Quare si una forma substantialis diversis pollet facultatibus, quae ad diversas ordinantur operationes, tunc istae ab uno principio subsistente profluere possunt, praesertim si eaedem ita sunt oppositae, ut ad invicem subordinari valeant. Cfr. quae diximus in n. 45.

V. Genus sumitur a materia et differentia a forma, quae realiter distinguuntur. Atqui in homine anima sensitiva est genus, et anima intellectiva est differentia. Ergo. — *R. D.* 1m *p. M.;* i. e. a materia physica et a forma reali, *n.;* ab aliqua perfectione, quae se habet uti perficiens, atque adeo vocatur forma, et ab alia, quae vocatur materia, *c.* — *Contrad.* 2m *p. M.:* Materia et forma physica distinguuntur realiter, *c.;* quae spectantur tamquam materia et forma in ordine logico, *n.* — *C. m.*... In logica satis ostendimus naturam generis et differentiae, et vidimus, non distingui inter se nisi tantum ratione. Iuvat tamen hic addere responsionem S. Th. (2). « Ab una et eadem forma materia recipit diversos gradus perfectionis; et secundum quod materia perficitur inferiori gradu perfectionis, remanet adhuc materialis dispositio ad ulterioris perfectionis gradum, et sic secundum quod corpus perficitur in esse sensibili ab anima humana remanet adhuc ut materiale respectu ulterioris perfectionis; et secundum hoc animal quod est genus, sumitur a materia, et rationale quod est differentia, sumitur a forma ».

VI. Si anima intellectiva eadem esset sensitiva ac vegetativa, omnes suas operationes attingere deberet. Atqui falsum conseq. Ergo. — *R. D. M.:* si istae ei fiunt praesentes in ratione obiecti, quod eam determinat ad actum cognitionis, *c.;* secus, *n.* — *Contrad. m.* Iam monstravimus in Th. XXVII facultatem

(1) Ad idem redit quod ait S. Th. in *Qdl. XI*, a. V, ad 2. « Non est inconveniens, aliquid *idem existens secundum diversas vires* vel *partes moveri ad opposita*: et ideo licet substantia animae humanae sit eadem sensitivae et intellectivae, tamen potest secundum diversas partes et vires moveri ad opposita, ut scilicet sensus moveatur ad ea, quae sibi sunt propria, et ratio ad ea, ad quae ordinatur ». Et clarius in ipso art.: « Quod autem specialiter anima sensitiva et intellectiva sint unius essentiae, signum est, quia nisi vires animae radicarentur in una essentia, nunquam una impediretur ab alia, nec etiam virtus unius redundaret in aliam ».

(2) *De Anima*, art. XI, ad 18m.

nostram cognoscitivam passivam esse, quae indiget actione obiecti eam determinantis ad actum. Quare operationes illae, quae in nobis accidunt, sed nullum influxum in facultatem exercent, non possunt ab ea attingi, ubi sunt operationes vitae vegetativae.

VII. Homo est formaliter sensitivus. Atqui ipse debet constitui talis per animam formaliter sensitivam, quae realiter distinguitur a rationali. Ergo. — *R. D. M.;* tamquam in suo ultimo et specifico gradu perfectionis, *n.;* in gradu generico, cui tamen accedit alter gradus perfectior specificus, *c.* — *Contrad.* 1^m *p. m.;* si ipse esset gradus specificus, *c.;* si est genericus, *subd.;* per animam dicentem totam perfectionem sensitivam modo exclusivo, *n.;* ita ut includat etiam perfectionem intellectivam atque adeo specifice sit intellectiva, *c.* — Res existunt per formas specificas, quae in propriis materiis individuantur, non autem per formas genericas. Quare si illa res existit in ordine vitae sensitivae, tamquam in suo ultimo gradu specifico, tunc ipsa praeter rationem communem et genericam, aliam includit, ut est in brutis animantibus, quam nos ignoramus, et vocamus *irrationalem*, eamque dicimus *formaliter sensitivam*. Si vero, ut in homine, altior adest gradus, nempe intellectivus, tunc constituitur per animam *sensitivam* et *intellectivam*, quaeque proinde formaliter *intellectiva* appellatur. Utrum vero ipsa vocari possit *formaliter sensitiva*, est quaestio de nomine (1).

373. De modo unionis animae cum corpore.

In tuto posita veritate de unitate animae, prorsum est inquirere, quomodo ipsa ita cum corpore communicet, ut diversas suas operationes exerat (2). Haec communicatio a recentioribus vocari solet *commercium* vel *harmonia* animam inter ac corpus existens. Isti enim potius spectant ef-

(1) Accipe interim quod ait P. Urraburu, in *Psych.* l. 2, D. 9, c. I, n. 191 « Simpliciter loquendo, magis mihi placet ut anima rationalis dicatur virtute continere sensitivam et vegetativam, et esse virtualiter talem. Et ratio est, quia in huiusmodi locutionibus, quando explicatione aliqua non temperantur, non videtur intendi simpliciter asserere rationali animae veram virtutem sentiendi et vegetandi, sed instituere comparationem cum gradu peculiari perfectionis animarum inferiorum. Atque hunc modum loquendi adhibent S. Thomas, Toletus, Valentia et alii. Probe tamen nota, continentiam virtualem posse diversimode sumi. Nam primo una forma vel res aliam dicitur continere, quia virtute pollet illam producendi, sicut v. g., sol producit calorem: secundo, quia una forma potest perficere subiectum perfectiori et eminentiori modo, quae virtute contineri in prima dicitur: tertio, quia potest eosdem effectus formales et operationes causare, ac alia inferior, quam virtualiter continet. Et in hoc tertio sensu dicitur anima rationalis continere virtualiter sensitivam et vegetativam ».

(2) Huiusmodi quaestio valde difficilis est, ita ut S. Augustinus in *De Civ. Dei*, l. 21, c. 10, « Modus, quo corporibus adhaerent spiritus et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest

fectum huius unionis, quam ejusdem rationem formalem. Ratio huius commercii ita explicatur a Wolff (1): « In omni systemate de commercio mentis cum corpore supponendum, perceptiones rerum sensibilium in anima et motus voluntarios in corpore eo modo oriri, ac si anima et corpus in se mutuo influerent, hoc est, ac si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore, et corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilium in anima ». Iamvero idem auctor advertit, hoc commercium supponere harmoniam mentis et corporis.

Quare nos ut ordinate procedamus et veritatem hac in re nobis comparare possimus, prius statuimus, quid sit hoc compositum, quod ex anima et corpore constat, et homo vocatur, ac dein, quomodo ipsum exurgat.

Thesis LXXII.

Anima ita unitur corpori ut cum eo unam constituat substantiam individuam, quae homo appellatur.

374. **Probatur.** — Tunc duo componentia unam individuam constituunt substantiam, quando uniuntur tamquam potentia et actus; et unum exoritur principium substantiale completum operationum. Atqui anima hac ratione componit cum corpore in homine. Ergo — Maior patet ex Metaph. gener. Th. XXV. — *Pr. m.* — Anima humana certe est actus, qui corpus perficit, cui activitatem communicat in ordine

(1) *Psychol. rationalis*, s. III, c. I, n. 577. — Et in n. 540 ostendit quod revera « *datur harmonia mentis et corporis*. Etenim anima vi ipsius legis sensationum sibi repraesentat hoc universum pro situ corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quae in organis sensoriis contingunt, per ipsam essentiam atque naturam suam, consequenter cum motus ab obiectis sensibilibus impressus nervis sensoriis ad cerebrum usque propagetur, per ideas materiales, ideis sensualibus in cerebro semper coëxistentes. Per mutationes igitur in organis sensoriis atque ideas imprimis materiales explicari potest, cur perceptiones rerum sensibilium praesentium tales iam potius sint, quam aliae, praeterea quoque anima status mundi praeteritos sibi repraesentat ope phantasmatum, adeoque per ideas ab imaginatione productas. Quamobrem cum phantasmatis respondeant ideae materiales in cerebro, neque inter ideas materiales, quae ideis sensualibus et phantasmatis respondent, alia intercedat differentia, quam quae in diversa motus celeritate consistit, unde nonnisi diversa claritas idearum

vitae vegetativae ac sensitivae; corpus ideo est eius potentia. Item corpus et anima unum constituunt completum principium substantiale operationum saltem vitae vegetativae ac sensitivae. Nam principium vegetationis non est solum corpus, sed compositum, uti vidimus in th. XI (1). Pariter sensatio, (v. Th. XXXV), fit cum intrinseca dependentia a materia, ita ut totum compositum concurrat ad sensationem eliciendam. Atqui nequeunt duo principia concurrere in unam actionem, nisi constituant unam substantiam, quae est integrum principium actionis. Ergo.

Confirmatur cum S. Th. (2) « Impossibile est quod eorum, quae sunt diversa secundum esse, sit operatio una. Dico operationem unam, non ex parte eius in quod terminatur actio, sed secundum quod egreditur ab agente. Multi enim trahentes navim, unam actionem faciunt ex parte operati, quod est unum, sed tamen ex parte trahentium sunt multae actiones, quia sunt diversi impulsus ad trahendum. Cum enim actio consequatur formam et virtutem, oportet quorum sunt diversae formae et virtutes, esse et actiones diversas. Quamvis autem animae sit aliqua operatio propria, in qua non communicat corpus, sicut intelligere; sunt tamen aliquae operationes communes sibi et corpori, ut timere, irasci et sentire, et huiusmodi. Haec enim accidunt secundum aliquam transmutationem alicuius determinatae partis corporis. Ex quo patet quod simul sunt animae et corporis operationes. Oportet igitur ex anima et corpore unum fieri, et quod non sint secundum esse diversa ».

in anima pendet; phantasmata seu ideae rerum absentium, non minus per ideas materiales in cerebro explicabiles sunt, quam ideae sensuales, seu perceptiones rerum praesentium. Atque adeo patet quoad perceptiones dari harmoniam animae ac corporis ». Idem probat quoad memoriam sensitivam et appetitum animae.

Non omnia, quae hic Wolf exponit, probanda sunt, uti mox videbimus. Ea tamen transcripsimus, ut appareat tum eius sententia, quae pluribus communis est, tum veritas existentiae unionis animae cum corpore, quae clare nobis ostenditur in illo commercio, quod est necessarius effectus ipsius. Ita quum deinceps huiusmodi unio explicanda erit, toti in eo erimus ut investigetur modus, quo ipsa peragitur.

(1) Recole quae diximus ostendendo principium formale vitae non esse ens simplex materiae assistens. Iamvero hoc dicendum foret, si materia non intrinsece concurreret ad operationes vitae vegetativae.

(2) *C. Gentes*, l. II, c. 52.

Praeterea natura in actu primo idem est ac substantia spectata, prout est principium operationis, quare quae unam constituunt naturam, unam quoque substantiam efformant. Atqui anima et corpus unam novam naturam constituunt hominis. Ergo. — Minor patet ex arg. superiori. Maior evidens est ex iis quae in Cosmol. disseruimus, praestat tamen eam iterum illustrare hoc alio argumento.

Substantias rerum cognoscimus et inter se distinguimus per earum operationes ac vires, ut ostendimus in Metaph. gener. Th. XXXI. Atqui, si, quae constituunt unam naturam, non constituerent unam substantiam, nunquam possibile foret, ex operationibus argui rationes proprias ipsarum substantiarum. Tunc enim semper opponi posset, ex illis operationibus deduci diversas naturas, non diversas substantias. Ergo aut erit dicendum, nos ignorare proprias rationes substantiarum, quod est oppido falsum, aut omnino retinendum, naturam ita cum substantia converti, ut nova natura necessario novam arguat substantiam.

375. **Obiicies:** I. Anima in se est substantia completa. Atqui ista nequit constituere cum corpore unam substantiam. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. non ita dependet a materia, ut nequeat existere sine ipsa, *c.;* i. e. ita est in se completa ut nullo modo exigat corpus, cum quo ultimum ac plenum sui complementum adipiscatur, *n.* — *Contrad. m....* Quoniam substantia et natura sunt unum et idem, ea dicitur substantia in se prorsus completa, quae in se est sufficiens ac completum principium operationum omnium, ad quas ordinatur. Quare quum anima humana corpore indigeat ad quasdam saltem operationes rite exercendas, consequitur ipsam naturaliter ordinari ad componendum cum corpore, quocum unam completam naturam et substantiam constituit. Ad rem S. Th. « Non quaelibet substantia particularis est hypostasis vel persona, sed quae habet *completam naturam speciei*, unde manus vel pes non potest dici hypostasis vel persona, et similiter nec anima, quum sit *pars speciei humanae* » (1).

II. Ex duabus substantiis nequit fieri una substantia. Atqui corpus et anima sunt duae substantiae. Ergo. — *R. D. M.;* ex duabus substantiis completis, *c.;* incompletis, *n.* — *Contrad. m....* « Non enim corpus et anima, ait S. Th., sunt duae substantiae actu existentes, sed ex eis duobus fit una substantia actu exi-

(1) I p., q. 75, a. 4, ad 2m. — Hoc autem non opponitur immortalitati uti vidimus in n. 358, V, et clarius deinceps explicabitur.

stens; corpus enim hominis non est idem actu praesente anima et absente, sed anima facit ipsum actu esse » (1) nempe in ratione *corporis humani.*

III. Omnis substantia vel est corpus vel spiritus. Atqui substantia hominis neutrum esset. Ergo. — *R. D. M.:...* si corpus spectatur uti *genus*, *c.;* si uti pars alicuius speciei, *n.* — *Contrad. m.;...* non est corpus uti genus, *n.;* uti pars speciei, *c.* — Illa divisio substantiae est in duo suprema genera, quae sub se diversas continent species, et ita homo est species, quae continetur sub genere corporis. Audias iterum S. Th. (2). « Cum ratio corporis in hoc consistat quod sit talis naturae, ut in eo possint designari tres dimensiones, si nomine corporis significetur res huiusmodi, ut in ea possint designari tres dimensiones sub hac conditione ut superveniat alia perfectio, quae compleat ipsam in ratione nobiliori, sicut est anima, sic est corpus pars animalis; et sic non praedicatur de animali. Si vero nomine corporis significetur res habens talem naturam ex quacumque forma ipsam perficiente, ut possint in ea designari tres dimensiones, tunc corpus est genus, et significat totum, quia quaecumque forma sumatur specialis, non erit extra hoc per quod ratio corporis conditionabatur; sed tamen indistincte, eo quod non determinetur, utrum ex tali vel tali forma dictam rationem habeat ».

IV. Quae constituunt unam substantiam, nequeunt existere nisi invicem dependenter. Atqui anima potest existere independenter a corpore. Ergo. — *R. D. M.:...* si esse ipsius substantiae primo et per se competit composito, *c.;* si primo competit formae substantiali et secundario ipsi composito, *n.* — *C. m.* — Et sane omnis substantia existit et determinatur in sua specie per formam. Forma autem quandoque ita determinat substantiam ad existendum, ut necessario dependeat a materia. Et tunc esse primo competit composito et deinde formae, quatenus id, quod per se existit, est compositum, et ratione compositi existit forma. Si vero forma non necessario a materia pendet, tunc id, quod primo et per se existit, est forma, et ratione formae existit compositum, inquantum ipsa ad sui complementum sibi assumit materiam, uti praecise contingit in anima humana.

V. Anima in suis operationibus a corpore impeditur. Atqui nulla pars substantiae ab altera impeditur. Ergo. — *R. D. M.* per se, *n.;* per accidens, *subd.;* impeditur ab ipso corpore, *n.;* ab ipsa anima quae, quum sit intenta quibusdam operationibus, quas exercet dependenter ab anima, impeditur ne alias exerceat, *c.* — Quare si argumentum aliquid evinceret, ostenderet potius dependentiam animae a corpore ratione unionis utriusque.

VI. Substantia superior nequit coniungi cum inferiori, ut ab ea perficiatur. Atqui anima est substantia corpore superior. Er-

(1) *C. Gentes*, l. II, c. 69.
(2) In I Sent. D. 25, q. I, a. 1.

go. — *R. D. M.* Substantia superior existens in specie completa, *c.;* existens in specie incompleta, *n.* — *Contrad. m.*... Quare anima non est substantia omnino superior, sed est veluti vinculum nectens ordinem rerum sensibilium cum insensibilibus ac spiritualibus. Egregie S. Th. (1). « Hoc autem modo mirabilis rerum connexio considerari potest. Semper enim invenitur infimum supremi generis contingere supremum inferioris generis; sicut quaedam infima in genere animalium parum excedunt vitam plantarum, sicut ostrea quae sunt immobilia et solum tactum habent et terrae in modum plantarum affiguntur; unde et beatus Dionysius dicit (De divinis nomin, c. 7) quod divina sapientia coniungit fines superiorum principiis inferiorum. Est igitur accipere aliquid in genere corporum, scilicet corpus humanum, aequaliter complexionatum, quod attingit ad infimum superioris generis, scilicet ad animam humanam, quae tenet ultimum gradum in genere intellectualium substantiarum; ut ex modo intelligendi percipi potest. Et inde est quod anima intellectualis dicitur esse quasi quidam horizon et confinium corporeorum et incorporeorum, in quantum est substantia incorporea, corporis tamen forma. Non autem minus est aliquid unum ex substantia intellectuali et materia corporali, quam ex forma ignis et eius materia, sed forte magis; quia quanto forma magis vincit materiam, tanto ex ea et materia magis efficitur unum ».

VII. Anima est in corpore tamquam in carcere. Atqui hoc opponitur unitati substantiali. Ergo. — *R. D. M.*:.. stricte dicto, *n.;* metaphorice dicto, et ratione suae naturae, *c.* — *Contrad. m.* Certum est, quod ait S. Th. (2): « Non est in detrimentum animae quod corpori uniatur; sed hoc est ad perfectionem suae naturae. Sed quod corpus sit ei carcer, et eam inficiat, hoc est ex merito praevaricationis primae », nempe in praesenti ordine divinae providentiae, at idem contigisset etiam in statu naturae purae. — Quo sensu tamen corpus dici possit animae carcer, rite est intelligendum. Quandiu anima est in corpore, nequit Deum ipsum intueri, eoque frui, in quo stat eius felicitas; et hac ratione ipsa dicitur *esse in carcere, peregrinari a Domino*, et alia id genus. Sed hoc idem in eius bonum vertitur, quum in causa sit, cur suam felicitatem valeat mereri imo et augere suis bonis operibus. Adhuc quum ipsa natura animae exigat corpus ad plenum sui complementum, si forte anima ratione corporis impeditur, quominus actu suam felicitatem consequatur, hoc est iuxta ipsam eius naturam. Deus enim ita creavit hominem, ut prius sit in via, deinde in termino, ut prius mereatur felicitatem, deinceps ea fruatur, ut prius laboret ac dein coronam recipiat, *nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Ex hac eadem natura fluit, quod anima, exercendo in corpore suas operationes sensiti-

(1) *C. Gentes*, l. II, c. 68.
(2) *De Anima*, a. 2, ad 14.

vas ac vegetativas, defatigetur, aegrotetur, imo saepe abripiatur ab obiectis propriis utriusque vitae, et impediatur, si non etiam obliviscatur tendere in obiectum proprium vitae intellectivae, hinc anima ingemiscit ac tristatur, nisi etiam depereat ac suam amittat felicitatem. Haec autem propria sunt naturae humanae, quae unitatem eius substantialem potius confirmant, quam minuunt (1).

VIII. *Instas.* Haec natura videtur contradictionem involvere. Atqui absonum est dicere Deum talem creasse naturam. Ergo. — *R. N. M.;* vel si placet, *D. M.;* ratione sui, *n.;* ratione deordinationis quam homo ipse ob sui pravitatem in eadem ponit, *c.* — Voluntas hominis dominium habet in facultates inferiores, ut eas dirigat in finem suum. Quod si homo nolit hoc praestare et deordinationi subiiciatur, hoc in eius culpam erit vertendum. Contra ea si homo revera sub imperio rectae rationis ac voluntatis omnes facultates in suum obiectum dirigit, tunc ipse recta pergit in suam felicitatem.

Thesis LXXIII.

Ergo anima unitur corpori tamquam forma substantialis, seu anima est vere, per se, essentialiter et immediata corporis forma.

376. **Status quaestionis.** — Quid sibi vult *forma substantialis*, iam satis explicatum est in Cosmol.; verba tamen, quae hic apponuntur, desumpta sunt a Conc. Viennensi sub Clemente V habito, et eo spectant, ut accurate determinent sensum proprium formae substantialis, prout animae humanae tribuitur, sensum, quem omnes catholici agnoscere tenentur, nisi a fide desciscere velint.

Dicitur: *vere*, quatenus anima est vera forma *informans* et non tantum *assistens*: — *per se* i. e. non per accidens, sed natura sua est forma corporis: ut rejiciatur eorum error, qui eam putabant in corpore detrusam in poenam peccatorum, quamvis tamen ita sit *per se* corporis forma, ut non semper ipsum necessario informare debeat, quum possit, corrupto corpore, adhuc existere sine ipso, ut vi-

(1) Cfr. testimonium S. Th., *De Verit.*, q. 26, a. 10, in quo exponit mutuum influxum animam inter et corpus existentem, qui praecise ex eo fluit quod anima sit forma corporis.

Eandem doctrinam continet id, quod S. Th cum S. August. docet exponens, quo pacto in Beatis ex animae gloria redundent in corpus gloriosae dotes.

dimus in n. 358, V: — *essentialiter*, i. e. de ipsa animae essentia est, ut corpori uniatur, cum quo unam integram naturam unumque principium completum operationum, ideoque unam essentiam completam constituat, quae est propria hominis essentia: — *immediata* i. e. nullo mediante, scilicet neque mediante alia anima, neque mediante aliqua sua potentia, neque mediante aliqua sua actione, sed immediate, id est, per se ipsam, per suam substantiam corpus informat.

« Anima, inquit D. Thomas (1), immediate corpori unitur: nec oportet ponere aliquod medium quasi animam corpori uniens: vel phantasmata, sicut dicit Averrhoes: vel potentias ipsius, sicut quidam dicunt: vel etiam spiritum corporalem, sicut alii dixerunt. Ostensum est enim quod anima unitur corpori ut forma eius: forma autem unitur materiae absque omni medio: per se enim competit formae quod sit actus corporis, et non per aliquid aliud » (2).

377. **Prob.** — I. cum S. Th. « Illud, quo primo aliquid operatur, est forma eius, cui operatio attribuitur. Sicut quo primo sanatur corpus, est sanitas, et quo primo scit anima, est scientia: unde sanitas est forma corporis, et scientia est forma quodammodo animae. Et huius ratio est, quia nihil agit nisi secundum quod est actu. Unde quo aliquid est actu, eo agit. Manifestum est autem quod primum quo corpus vivit, est anima. Et cum vita manifestetur secundum diversas operationes in diversis gradibus viventium, id, quo primo operamur unumquodque horum operum vitae, est anima. Anima enim est primum quo nutrimur, et sentimus, et movemur secundum locum, et similiter quo primo intelligimus. Hoc ergo principium quo primo intelligimus,

(1) *C. Gentes*, l. 2, c. 71.

(2) Adverte tamen, modo nos praescindere a quaestione agitata inter catholicos philosophos: utrum nempe anima ita sit immediata corporis forma, ut uniatur ipsi materiae primae, necne. Et merito omnino; semper enim placet distinguere certiora a minus certis. Nam procul dubio verba Concilii Viennensis possunt rite explicari in utraque sententia, ut ostendit cl. P. Palmieri in *Anthrop.*, Th. XIV; et vel ex eo tantum deducitur, quod ea aetate plures doctores catholici scotisticam sententiam profitebantur, et indubium ratumque est, Concilium noluisse quaestionem inter hos doctores disputatam dirimere, sed solummodo insurgentes haereses configere.

sive dicatur intellectus, sive anima intellectiva, est forma corporis. Et haec est demonstratio Aristotelis (*De Anima*, L. II, text. 24) » (1).

II. Praeterea anima simul cum corpore unam constituit substantiam. Atqui hoc haberi non posset, si anima non uniretur corpori ut forma eius. Ergo. — *Pr. m.* Anima enim, si non est forma informans corpus, cui per se et essentialiter unitur, dicenda erit forma assistens. Atqui ista iam esset substantia in se completa, et item corpus altera quoque esset substantia in se completa, quae amico foedere secum coirent. Insuper duo principia nequeunt in unam substantiam convenire, nisi ad invicem communicando propriam entitatem, alteram ut perfectibilem, alteram ut perficientem, ita enim dumtaxat potest ex eis efflorescere unum subsistens. Atqui istud principium perficiens est forma alterius, quae per se et essentialiter eidem unitur, uti patet terminos intelligenti. Ergo.

III. Intelligere ac velle sunt certe actiones solius animae, quae tamen toti homini tribuuntur, sicut sentire ac moveri, quod fit per corpus. Atqui hoc conti igere non posset, nisi anima per se et essentialiter corpori uniretur. Tunc enim anima non constitueret unum ens cum corpore, quod sensibus usurpatur, sed essent duae partes distinctae ac subsistentes iuxtapositae, sicut duo lapides, qui in pariete extant, ac proinde actio unius nunquam posset alteri attribui, neque dici posset: Socrates, quem alii sensibus aspiciunt, intelligit. « Quia licet, ut ait S. Th. ibid., actio partis attribuatur toti, ut actio oculi homini: nunquam tamen attribuitur alii parti, nisi forte per accidens: non enim dicimus quod manus videat, propter hoc quod oculus videt ». Ergo ad salvandam unitatem subiecti omnium actionum hominis dicendum est, in eo animam per se et essentialiter uniri corpori uti formam.

378. **Obiicies:** I. Quod habet esse in materia est materiale. Atqui anima nequit esse materialis. Ergo. — *R. D. M.*; quod habet esse prorsus a materia dependens..., *c.*; quod superexcedit

(1) *S. Th.*, I p., q. 76, a. 1.

eius capacitatem..., *n.* — *Contrad. m.*... Neque valet instare, quod quicquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Ut enim advertit S. Th. « Cum dicitur unumquodque esse in alio secundum modum eius in quo est, intelligitur quantum ad *capacitatis ipsius modum*, non quantum *ad naturam eius*... Manifestum est enim quod aqua non habet naturam amphorae, unde nec oportet quod anima habeat ipsam naturam corporis » (1).

II. Quod est in materia individuatur per eam. Atqui ipsum nequit existere sine materia. Ergo. — *R. D. M.;*... quasi materia aliquid intrinsece poneret in forma, *n.;* inquantum forma coaptatur huic materiae, *subd.;* ita ut haec coaptatio habeatur vel per actualem vel per transcendentalem habitudinem formae ad materiam, *c.;* tantum per actualem, *it. d.*; si habet esse dependenter a composito, *c.;* si habet esse prius in se et dein in composito, *n.* — *Contrad. m.;* quod individuatur per solam actualem habitudinem ad materiam, *c.;* quod actuatur etiam per transcendentalem habitudinem ad eam, *n.* — Recole quae exposuimus in Metaph. gen. praesertim in th. XXXIV.

III. Anima est aliquid simplex. Atqui istud vel est totum in materia, vel nihil. Ergo. — *R. D. M.;*... simplex ad modum puncti, *n.;* inquantum est extra genus quantitatis, *c.* — *Contrad. m.*... Nam forma simplex est in materia, inquantum ei communicat suam essentiam ac virtutem. Atqui non repugnat, quod ei aliquam tantum communicet virtutem et non aliam, quam exerceat independenter a materia, quia habet suum esse a materia independens. Ergo.

IV. Forma et materia sunt in eodem genere. Atqui forma spiritualis et corpus non sunt in eodem genere. Ergo. — *R. D. M.;*... formaliter, *n.;* reductive, *c.* — *D. m.;* forma quae est species completa, *c.;* quae est in specie incompleta, *n.* — In genere alicuius praedicamenti non ponuntur formaliter nisi entia completa, sed eorum principia incompleta nonnisi reductive in eo collocantur. Ideo S. Th. « Formam et materiam in eodem genere contineri non sic verum est, quasi utrumque sit species unius generis, sed quia sunt principia unius speciei. Sic igitur substantia intellectualis et corpus, seorsum existentia (quando nempe sunt entia completa) essent diversorum generum species; prout uniuntur, sunt unius generis ut principia » (2).

V. Forma debet proportionari materiae. Atqui anima spiritualis ei non proportionatur. Ergo. — *R. D. M.;*... in ratione actus et potentiae, *c.;* in virtute essendi, *n.* — *Contrad. m.*... Ad rem S. Th. (3). « Corpus humanum est materia proportionata animae humanae; comparatur enim ad eam ut potentia ad actum, nec tamen oportet quod ei adaequatur *in virtute essendi;* quia anima

(1) *De Anima*, a. 10 ad 14.
(2) *C. Gentes*, l. II, c. 69.
(3) *De Anima*, a. 1, ad 5.

humana non est forma a materia totaliter comprehensa; quod patet ex hoc quod aliqua eius operatio est supra materiam ».

VI. Nequit anima esse actus corporis, nisi unio ei aliquid conferat, prout rationalis est. Atqui nihil confert. Ergo. — *R. D. M.;...* nisi conferat virtutem eius qua rationalis, *n.;* nisi conferat aliquid aliud quod cedat in bonum animae, qua rationalis, *c.* — *Contrad. m....* Certum est, unionem formae cum materia cedere semper in bonum ipsius formae secundum propriam sui rationem. Ergo unio animae cum corpore debet etiam esse in bonum animae, qua rationalis. At hinc immerito deducitur quod anima debeat conferre corpori ipsam virtutem, qua est rationalis, ut in eo perficiatur. Sed sufficit quod conferat aliam virtutem, puta sensitivam, quae adiuvat animam qua rationalem, in suis operationibus. Hinc etiam sequuntur in corpore quaedam operationes, quae saltem remote sunt ab anima qua rationali, ut *loqui, ridere...* et omnes actus liberi, a voluntate imperati. Recte S. Th. (1). « Anima unitur corpori propter intelligere, quod est propria et principalis eius operatio; et ideo requirit quod corpus unitum animae rationali sit optime dispositum ad serviendum animae in his, quae sunt necessaria ad intelligendum ».

VII. Anima nequit magis pendere a materia, quam eius virtus intellectiva. Atqui ista nequit esse actus corporis. Ergo multo minus ipsa anima. — *R. D. M.;...* praecise secundum illam rationem, secundum quam ab ea fluit virtus intellectiva, *c.;* secundum omnem omnino rationem, *subd.;* si etiam anima esset forma accidentalis, *c.;* si est forma subsistens, *n.* — *Contrad. m.;...* quia est forma tum spiritualis tum accidentalis, *c.;* tantum quia est forma spiritualis, *n.* — Forma accidentalis tota dependet a subiecto, in quo inest, quum sit eius virtus instrumentalis. Quare si est in subiecto materiali, et ipsa est materialis; si contra est spiritualis, nequit esse actus corporis: uti iam explicavimus in n. 265, VII. Forma vero subsistens non necessario pendet a materia, cuius est actus, quum possit eam ita actuare, ut suam subsistentiam et independentiam a materia quoad aliquam virtutem in se retineat, et ita manet spiritualis.

VIII. Quod advenit rei habenti suum esse, advenit accidentaliter. Atqui corpus advenit animae habenti suum esse. Ergo. — *R. D. M.;* si advenit uti forma, *c.;* si uti materia, *subd.;* si illa res est in specie completa, *c.;* si est in specie incompleta et indiget materia ad sui complementum, *n.* — *Contrad. m.* — Audias iterum S. Th. (2), « Licet habeat anima esse completum, non tamen sequitur quod corpus ei accidentaliter uniatur, tum quia illud idem esse, quod est animae, communicat corpori, ut sit unum esse totius compositi, tum etiam quia etsi possit per se

(1) *De Anima*, a. 8, ad 15.
(2) *De Anima*, a. 1, ad 1.

subsistere, *non tamen habet speciem completam*, sed corpus advenit ei ad complementum speciei ».

379. **Scholion. I. De Forma corporeitatis.** - Nunc alia occurrit quaestio, ut innuimus; utrum nempe anima uniatur ipsi materiae primae, vel materiae actualae a forma corporeitatis. Iamvero iam probavimus in Th. XI et XLVII animam tum vegetativam tum sensitivam immediate actuare materiam primam, et pariter in Cosmol. ostendimus formam substantialem stricliori sensu eam esse, quae actuat ipsam materiam primam, hinc evidenter sequitur animam quoque humanam immediate actuare materiam primam, ac proinde nullam dari formam corporeitatis.

Praestat tamen quasdam solvere difficultates, desumptas ex eo, quod anima *sit spiritualis*, et ex forma *cadaverica*.

Aiunt enim, quod in hac sententia; *a*) anima fit pars corporis; *b*) ipsa evadit materialis; *c*) quod esse animae non distingueretur substantialiter ab esse corporis. Atqui haec omnia repugnant animae spirituali. Ergo. - - Quare ita directe singulis respondemus: *a dist.*: est pars corporis inspecti prout est species aliqua, *n.*: prout est genus, *c.*: et hoc non repugnat, uti vidimus in n. 375, III. Hanc rem bene explicat Suarez (1). « Nam esse actum, seu formam corporeitatis, non est esse ipsam corpoream seu extensam, sed est *esse formam constituentem cum materia unam substantiam compositam capacem quantitatis*. Unde idem omnino est esse formam corporeitatis quod esse formam substantialem materiae: quia ex hoc praecise quod sit actus substantialis materiae constituitur ex utroque substantia integra, materialis, et corporea. Cum ergo rationalis anima, etiamsi sit indivisibilis, vera forma sit substantialis corporis, habet quidquid necessarium est ut sit forma corporeitatis. Ex quo etiam concludi potest, continere etiam sufficienter gradus intermedios, vegetativum scilicet et sensitivum, ita ut *formaliter eos conferre possit composito*, quia non potest conferre extremos gradus sine his mediis ».

(1) *Metph.*, D. XV, sect. 8, n. 27. — Cfr. etiam explicationem quam affert P. Remer *in* V. II, P. III, C. IV, n. 384, IV - Edit. II.

b) *dist.;* i. e. prorsus dependens a materia, *n.;* aliquo modo ab ea dependens, *c.;* sed neque hoc repugnat; nam proprie loquendo non esset appellanda materialis, ut advertit S. Th. 1) « non autem oportet substantiam intellectualem esse formam materialem, quamvis eius esse sit in materia: non enim est in materia sicut materiae immersa vel a materia totaliter comprehensa, sed alio modo ». Et revera sicut non repugnat animam pendere a materia quoad operationes vegetativas ac sensitivas, neque repugnat quod ei praestet esse et operari in ratione corporis.

c) *dist.:* esse existentiae animae non distingueretur ab esse corporis, *transeat:* (hoc enim explicabitur in schol. seq.) esse essentiae non distingueretur, *n.* — Nam nomine corporis vel intelligitur materia prima, et haec certe distinguitur substantialiter ab anima; vel materia actuata in ratione corporis, et tunc iam includit ipsam animam ut formam corporeitatis, quae distingueretur *ratione cum fundamento in re* ab anima, ut principium vitae: et hoc iterum non videtur repugnare. Nam verum quidem est, corpus esse in continuo fluxu, et plurimas eius cellulas iugiter corrumpi ac generari. Sed tunc priores desinunt actuari ab anima, et novae quae generantur, actuantur ab illa eadem anima, et ita evadunt partes eiusdem substantiae viventis.

De forma cadaverica — dicimus eam non esse formam substantialem, sed tantum accidentalem, sicut figura organismi, quae manet in corpore demortuo. Nam quando corrumpitur corpus mixtum, non una habetur forma, sed plures iuxta naturam partium, quae concurrebant ad illud constituendum, uti iam explicavimus in cosmol. Th. XVII; quae iterum tendunt ad sui corruptionem, quousque vel ad ultima elementa, vel saltem ad illa corpora deveniant, quae possunt existere sine vita, uti sunt e. gr. ossa (2).

(1) *C. Gentes*, l. II, c. 69.

(2) Cfr. S. Thomam hanc rem dilucide explicantem in opusc. *De Pluralitate formarum*, p. III. — At iuvat aliquid adnotare de *Anima I. Christi D. N.:* quamvis haec quaestio nonnisi ad Theologos spectet.

Et primo adverte nihil haberi directe hac de re a Deo revelatum. Adsunt tamen duae aliae veritates revelatae cum ista quodammodo connexae; altera est de praesentia corporis Christi sub speciebus panis: altera de corpore I. Chr.

380. **Corollarium. — Anima est forma substantialis, quae unitur ipsi materiae primae.** — Nam certum est principium illud, quod nos semper prae oculis habemus, nempe, non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Atqui nulla adest necessitas adstruendi in materia formam corporeitatis, quia anima humana, utpote forma superior, potest praestare quidquid praestat forma inferior et aliquid amplius, nec ullo modo repugnat, quod ipsa munus exerceat formae quoque corporeae. Ergo. — Praeterea haec sententia melius cohaeret cum toto systemate de constitutione corporum, cum ratione formae substantialis, et melius explicat unitatem substantiae.

381. **Scholion. II. Utrum anima suum esse corpori comunicet.** — Haec quaestio intime connectitur cum altera, quae agitatur in Metaph. gen. de distinctione essentiam inter et esse. Confer proinde quae ibid. fuse exposuimus in C. III, a. III.

Quare dicimus: 1) *Si esse sumitur pro statu reali, corpus habet suum esse distinctum ab esse animae.* — Et sane certissimum est, quod in homine corpus constat in se reali entitate intrinseca, realiter distincta ab intrinseca entitate animae. Atqui illa realis entitas intrinseca materiae ea est, quae vocatur *esse materiae*, quia in hac acceptione *esse* vel *existentia* nil aliud importat, nisi realem entitatem actu

in triduo mortis. Iamvero ex istis duae habentur veritates, quae difficultatem pati videntur in doctrina S. Th.

Iamvero ad priorem ita respondet S. Thomas in opusc. *De Pluralitate formarum.* — «In sacramento altaris panis convertitur in corpus Christi, in quo corpore includitur anima secundum aliam sui rationem, prout scilicet constituitur in esse corporeo. Unde concedendum est, quod fiat conversio panis in corpus, quod ab anima constituitur in esse corporeo; non tamen esse verum absolute loquendo, quod conversio panis fiat in animam Christi, quia significatur sic quod conversio fiat in animam Christi, secundum ulteriores perfectiones, scilicet sentiendi et intelligendi. Sic enim proprie dicitur anima et distinguitur secundum rationem a corpore. Non enim forma hominis dicitur anima secundum quod anima constituitur in Esse substantiali et corporeo... Hoc autem ostendi potest, si consideremus conversionem alimenti in corpus humanum, quae est transmutatio naturalis. Non enim potest dici, quod illa conversio fiat in corpus sic, quod excludatur anima secundum omnem sui rationem. Et hoc dupliciter probari potest. Prius quidem, quia non solum est verum dicere, quod alimentum convertatur in corpus hominis, sed etiam convertatur in carnem et sanguinem... Caro autem et huiusmodi partes in sui significatione in

existentem, vel in abstracto, *statum realem* illius entitatis. Ergo. — Hinc consequitur, posse quidem asseri, quod anima communicet suum esse corpori, et corpus trahatur ad esse animae vel *in communionem illius esse* completi, ut ait S. Th. (1); quatenus anima est forma corporis, cui communicat suam entitatem vel *suum esse*, et confert rationem corporis humani, atque adeo ipsum trahit ad se, seu ad *suum esse*, ut constituat unum compositum.

Dices : I. Si daretur in homine, praeter existentiam animae, distincta etiam existentia corporis, corpus non posset vivere per animam, quia non haberet motum ab intrinseco, sed solum ab extrinseco. Atqui falsum consequens. Ergo. — *R. D. M.;*... si haec duo non communicarent ad invicem suam entitatem, *c.;* si communicant, *n.* — Ut corpus vivat per animam, hoc unum requiritur et sufficit ut anima ipsum informet, ei communicando suam entitatem. Dum contra quum Angelus Raphael corpus sibi assumpsit, nullo modo ipsum informabat, quod ab extrinseco tantum movebat.

II. *Instas.* Corpus vivum concipi nequit, nisi anima intrinsece actuet materiam et habeatur una substantia ex utroque principio consurgens Sed hoc est impossibile, si duplex adest existentia, quia tunc habentur duo subsistentia ad invicem consociata, aut si vis ad invicem subordinata. — *Resp. C. M.;* et *N. m.* et *rationem additam*, vel si placet, *dist. rat. addit.*, si *esse* sumitur tamquam actus, qui advenit essentiae completae, *c.;* si tamquam entitas realis seu existens, *n.* Tunc enim, uti vidimus, si istae entitates reales (et *hoc sensu* suam habentes existentiam)

cludunt animam secundum alias eius rationes. Non enim caro esset caro per animam, ut dicitur caro aequivoce de carne viva et mortua. Quando igitur convertitur alimentum in carnem, quum caro sit caro per animam, sequitur quod in illo, in quod fit conversio, includitur anima secundum aliam sui rationem ».

Quoad alteram vero res difficilior videtur; nihilominus posset ita responderi. Corpus in ratione hypostasis manet semper idem, ob unionem cum Verbo, quae semper manet, etiam in morte, cum corpore et anima. In ratione naturae corpus, etiam recipiens novam formam, non mutatur, quia haec non est forma permanens, determinatam constituens naturam, sed transiens, cuius munus nullum aliud est nisi conservare corpus in esse in triduo mortis; unde dici nequit, Verbum assumpsisse novam naturam. Nec item repugnat, quod adveniente iterum anima, illa forma corrumpatur, eo quod Verbum quod semel assumpsit nunquam amisit. Hoc enim valet tantum de iis, quae Verbum assumpsit ut aliquid permanens, sicut neque repugnavit, quod cellulae quae in dies corrumpuntur in omni vivente, corrumperentur etiam in natura humana Christi. Ergo.

(1) Cfr. *S. Th.*, p. III, q. II, a. 6 ad 2um; *De spir. creat.*, a. II ad 3um.

ad invicem referuntur tamquam potentia et actus, non sunt duo subsistentia ad invicem consociata, sed duae partes unius subsistentis.

III. *Urges.* In hoc casu nullus remanet substantialis actus, in quo anima et corpus communicent; et anima, unita vel non unita, haberet eundem essendi modum, sicut angelus, sive assumat corpus, sive non... Ergo. — *Resp. N. supposit.* — Semper enim praesupponitur, quod ad habendam unionem substantialem, requiritur aliquis actus simplex, qui partes componentes veluti uniat et ad unitatem redigat. Atqui hoc suppositum a multis denegatur, ab adversariis gratuito assumitur. Ergo.

IV. Nemo tribuit homini duas substantiales existentias, neque concipit mortem tamquam divortium inter duos existentes. Ergo. — *R. D. Ass.;...* duas *completas*, *c.;* neque duas *incompletas*, *n.* — Imo omnes concipiunt hominem, uti compositum duabus substantiis incompletis realibus, proprias habentibus entitates reales ideoque existentes. Et mors est destructio istius compositi: praecise per separationem, vel si placet, per *divortium* inter has duas partes substantiales reales.

Concludamus igitur, quod revera nullum adest argumentum, quod propositioni a nobis statutae opponatur, quae proinde sarta intactaque manet. Sed tamen addimus:

2) *Si esse sumitur ut actus, qui advenit essentiae completae, non repugnat dicere quod anima communicat suum esse corpori.* - Anima intellectiva est subsistens, ideoque suum habet esse, quod hac in hypothesi esset actus quidam receptus in essentia tamquam in potentia; materia autem est pars essentiae incompleta et perfectibilis, quae proinde nullum habet esse. Ergo quando anima unitur huic materiae, suum esse ei communicat, inquantum ille actus actuat non solum animam, sed animam simul et corpus ab ea informatum, et efficit ut utrumque constituat unum subsistens.

Difficultates contra hoc assertum merito omittuntur, quia ortum ducunt ex principio opposito.

Conclusio. — Quare ita concludimus: quoniam non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quousque non appareat vera necessitas admittendi actum illum essendi, qui recipiendus esset in essentia tamquam in potentia, adhuc improbanda non videtur altera sententia, quae considerat actum essendi tamquam statum essentiae realem, iuxta priorem explicationem.

382. **De falsis sententiis.** — Vindicata vera doctrina de unione animae cum corpore, facile erit falsas sententias reiicere, tres praecipue recenseri solent, quibus alia, a Rosminio adinventa, addenda erit, nempe; *influxus physici* seu *causalitatis; causarum occasionalium* seu *assistentiae; harmoniae praestabilitae* ac *perceptionis immanentis sensus fundamentalis* Rosminii.

1) Systema **influxus physici** conatur explicare unionem seu commercium animam inter et corpus per mutuum influxum realem seu per *causalitatem*, vel per actionem qua corpus in animam et anima in corpus influit; et ita exurgit tum mutua relatio inter eorum operationes, tum existentia quarundam operationum, quae essent veluti resultantia ex utrisque. Inter recentes praesertim defenditur a Lockianis (1): Ad hanc posset faciliter revocari sententia Platonis aientis, animam uniri corpori tamquam motorem mobili.

2° Systema **causarum occasionalium** vel assistentiae iam pro rato habet creaturas nullos gignere effectus, sed Deum dumtaxat, secundum diversas occasiones ad praesentiam rerum, diversos producere effectus. Qua de re ita explicat animae cum corpore unionem, uti refert Wolf. l. c. n. 599. « Deus hasce constituit leges: 1° Quoties eadem in cerebro oritur idea materialis, toties in anima eadem oriri debet idea sensualis per mutationem in organo sensorio factam, seu idea materialis in cerebro explicabilis et quamprimum idea materialis in cerebro existit, idea quo-

(1) Revera tamen iuxta hanc sententiam, causalitas physica, quae inter animam et corpus intercedit, est propria causae efficientis, ut idem Wolf testatur l. c. n. 559. « Non recedimus hic a recepto vocabuli *influxus* significatu. Ita enim Goclenius noster in Lexico philosophico: « Influere, inquit, proprie liquidorum est, ut aqua, vinum influunt. Metaphorice est immittere quasi influxu, seu influendo dare seu communicare, seu per influxum causare, *effective* sese impertire ». Unde elucet hoc systema prorsus differre a sententia aristotelico-scholastica, quam et nos tuiti sumus, ac proinde falsum est quod idem auctor n. 563 asserit: « *Aristotelico scholastici sunt influxionistae.* — Nemo enim, addit, nescit Aristotelicos et scholasticos causam in genere definire per principium per se influens esse in aliud substantive ». Sed Arist. quatruplex agnoscebat causarum genus efficientis, formalis, materialis ac finalis, et nunquam tribuebat unioni animae et corporis rationem causae efficientis. Ac proinde falsum est quod scholastici animae tribuunt « *actionem* in corpus, et animam considerant tamquam motuum *causam efficientem* », sed tantum causam *formalem*. Ac proinde argumentum, quod idem auctor affert in n. 564, desumptum ex eo, quod nequit demonstrari existentia huiusmodi *actionis* animae in corpus, nullo omnino modo est contra systema aristotelico scholasticum. Sed si quis appellare vellet influxum physicum hanc causalitatem *formalem* ac *materialem*, quam anima et corpus exercent per *meram communicationem* propriae entitatis, tunc rediret ad nostram sententiam, sed magnus haberetur vocabulorum abusus.

que sensualis in anima eidem coexistere debet. Quoties animae eadem est motus cuiusdam per organorum constitutionem possibilis volitio, toties quoque idem in corpore oriri debet motus et quamprimum ista volitio in anima existit, eidem quoque motus in corpore coexistere debet. In systemate causarum occasionalium modificationes animae et corporis a nuda Dei voluntate pendent, Deus autem animam in gratiam corporis et corpus in gratiam animae ita modificat, ut harmonia animae ac corporis subsistat, consequenter ut perceptiones animae per mutationes in corpore contingentes et motus voluntarii in corpore per volitiones et nolitiones animae sint explicabiles, scilicet ut ex iis, quae in corpore contingunt, intelligatur, cur tales iam sint animae perceptiones, ex volitionibus autem ac nolitionibus, cur tales iam in corpore fiant motus voluntarii ».

Hoc systema prius a Malebranche (1) concinnatum fuit, qui eo quod Deus sit unica causa omnium motuum et operationum, earum quoque, quae in corpore et anima fiunt, concludebat; ergo consensus inter certos motus corporis certasque operationes animae nonnisi a Deo repetendus est. Huic opinioni accedunt Clauberg, Geulinx, Cordemoy, De la Forge, Silvain Regis et alii recentiores, de ea recte ait Leibniz : « Miratus sum frequenter hominibus tam eruditis sententias tam parum philosophicas, tamque primis rationis effatis contrarias probari potuisse » (2).

3) Systema **harmoniae praestabilitae** laudem, iam prius a Leibniz praeformatum ac dein a Wolf expolitum, in eo convenit cum priore quod nullam agnoscit mutuam causalitatem animae in corpus et vicisim, quod est veluti eius principium fundamentale, sed in ceteris omnino discrepat. Ita proponitur ab eodem Wolf, n. 613. « *In Systemate harmoniae praestabilitae anima vi sibi propria producit omnes suas perceptiones et appetitiones continua serie.* Nimirum anima vi sibi essentiali et naturali continuo producit ideam totius universi, etiam in somno, quae easdem prorsus mutationes subit, quas mundus adspectabilis subit. Quoniam tamen impossibile est ut integram simul intueatur, adeoque clare percipiat singula in eadem contenta, ut eorum sibi sit conscia, consequenter appercipiat, et hinc certas observare tenetur leges; lex vero sensationum essentiales animae continet determinationes et lex imaginationis rationem aliquam in lege sensationis habere debet : ideo anima in appercipiendo per essentiam suam sequitur legem sensationis et legem imagitanionis. Et in n. 617 concludit. Igitur supponitur possibile esse cor-

(1) Ita e. g. in op. *Recherche de la vérité*, l. 6, p. 2, c. 3, n. 6. « Je nie que ma volonté soit la cause du mouvement de mon bras: car je ne vois aucun rapport entre des choses si différentes. Je vois même très clairement, qu'il ne peut y avoir de rapport entre la volonté que j'ai de remuer le bras et entre l'agitation de quelques petits corps, dont ne je sais ni le mouvement ni la figure ».

(2) *Theod.*, p. II, n. 340.

pus, in quo series quaedam motuum per impressiones obiectorum externorum in organa sensoria conservari potest, ut singuli continuo consentiant singulis perceptionibus atque appetitionibus et aversationibus animae, eodem prorsus ordine sese invicem consequentes, quo animae modificationes sese excipiunt ».

4) *Doctrina* autem *Rosminii perceptionis sensus fundamentalis* hisce continetur propositionibus : I. *Unio animae sensitivae cum corpore fit sensatione* : II. *Unio animae rationalis cum corpore fit perceptione immanenti sensationis animalis* (1).

Non vacat haec systemata singillatim refutare, quum omnia eodem vitio peccare videantur, asserimus igitur :

Thesis LXXIV.

Systemata influxus physici, assistentiae, harmoniae praestabilitae et perceptionis sensationis unionem animae cum corpore non explicant, sed destruunt et multos in se continent errores.

383. **Prob. I p.** — generali argumento. — Illa systemata unionem animae cum corpore non explicant, quae nullam statuunt unionem substantialem, nec agnoscunt unitatem principii operativi vitae vegetativae ac sensitivae. Atqui quoad utrumque peccant omnia haec systemata. Ergo ipsa unionem animae cum corpore non explicant.

Maior patet ex thesibus antec. ; minor ex eo elucet, quod omnia haec systemata iam praesupponunt animam et corpus tamquam duas substantias, suas exercentes operationes, ideoque completas, et investigare aduituntur, quomodo ipsae ad invicem consociari valeant, ut harmonice una simul procedant, et sese adiuvent. Atqui simplex harmonica consociatio nullam constituit substantialem unionem nullamque unitatem principii elicientis operationes, quae sint utrique communes. Ergo.

(1) *Psychol.*, vol. I, l. 2, c. 1 et 2. Hanc doctrinam ita explicat eius discipulus Pestalozza : (*La mente di Antonio Rosmini*, p. 86) : « L'anima sensitiva si unisce al corpo, sentendolo ; il sentirlo è un animarlo ». Deinceps ut ostendat, quomodo anima etiam qua rationalis corpori uniatur, asserit, animam per rationem percipere absolute illud idem, quod sensus percipit ut modificationem sentientis. « Ecco dunque spiegata la natura di quel nesso che stringe in un sol individuo l'anima razionale col corpo umano. Quel nesso consiste in una primitiva, naturale e continua percezione del sentimento fondamentale, animale ». Ibid., p. 93.

Prob. II p. - imo *eam destruunt*. Destruitur unio substantialis inter duo componentia, quando in eis auferitur ratio potentiae et actus seu perfectibilis ac perficientis, quae necessario ad invicem referri debent, ut unum constituant ens subsistens. Atqui iuxta haec systemata corpus et anima huiusmodi rationem non important, quum ambo sint substantiae in se completae, quae accidentaliter tantum perficiuntur, sicut duo homines, qui societatem simul ineunt ad communem finem adipiscendum. Ergo ipsa unionem substantialem destruunt.

Errores vero, qui in eis reperiuntur, melius patebunt, discurrendo per singula. Et sane.

384. 1) **Influxus Physicus** requirit quod corpus physice agat in animam et anima in corpus, et tamquam vinculum ea coniungens exhibetur huiusmodi mutua actio. Atqui primum prorsus repugnat, quum anima sit spiritualis et corpus nequeat physice in eam agere: *Tangere enim et tangi*, ut notat Lucretius, *nisi corpus, nulla potest res;* illud assertum igitur defendi nequit, nisi ab iis, qui animam materialem faciunt. Alterum vero non ponit nisi accidentalem unionem; mutua enim actio non est nisi accidens.

Tandem haec unio revocari potest ad eam, quam Plato adstruebat, sicut inter motorem et mobilem, sessorem et equum, nautam et navim; ac proinde etiam in hoc systemate ipsum intelligere, quod procedit a sola anima, non posset tribui toti. « Primo quidem, ut recte arguit S. Th. (1), quia intellectus non movet corpus nisi per appetitum, cuius motus praesupponit operationem intellectus. Non ergo quia movetur Socrates ab intellectu ideo intelligit; sed potius e converso quia intelligit, ideo ab intellectu movetur Socrates. Secundo quia cum Socrates sit quoddam individuum in natura, cuius essentia est una, composita ex materia et forma eius; sequitur quod sit praeter essentiam eius, et sic intellectus comparabitur ad totum Socratem sicut motor ad motum. Intelligere autem est actio quiescens in agente, non autem transiens in alterum, sicut calefactio. Non ergo intel-

1. S. *Th.*, p. I, q. 76, a. 1.

ligere potest attribui Socrati, quia est actio moloris eius, sequitur quod attribuatur ei sicut instrumento ».

Quare in hoc systemate non inquiritur vera et intrinseca ratio huius commercii existentis animam inter et corpus, uti etiam nos exposuimus; sed hoc ipsum, quod est effectus unionis animae cum corpore, exhibetur tamquam ipsa formalis ratio unionis. Quo etiam fit ut ille influxus in sui propria ratione perperam omnino explicetur. Hinc elucet, quid respondendum sit eorum argumentis, quae ostendunt quidem haberi aliquem mutuum influxum, minime vero ipsum constituere unionem animae cum corpore.

2) **Systema adsistentiae vel causarum occasionalium** veram unionem animae et corporis omnino e medio tollit, sed omnia Deo tribuit, qui occasione quorundam motuum, quos in anima gignit, alios eis respondentes in corpore quoque producit et vicissim. Atqui haec sententia est penitus absurda, quippe quae, *a*) denegat activitatem creaturis; *b*) consequenter libertatem hominis et imputabilitatem possumdat, *c*) ideoque omnem moralitatem humanarum actionum destruit; *d*) ac tandem Deum facit auctorem bonorum et malorum omnium. Ergo... — Unde apparet eorum argumenta nihil omnino conficere, ex eo praesertim quod innituntur in denegatione activitatis creaturarum (1).

3) **Harmonia praestabilita.** — Hoc systema statuit animam et corpus esse duo principia distincta operationum, quae ad invicem consentiunt. Atqui nulla habetur vera unio ex hoc, quod operationes unius substantiae motionibus alterius consentiant. Ergo (2).

(1) Accipe argumentum cl. Sanseverino (*Anthr.*, c. II, a. III, n. 41), « leges naturales, quibus actiones animae motusque corporis reguntur, non raro perturbari, res adeo explorata est, ut in dubitationem vocari nequeat. Ii qui veram realemque unionem inter animam et corpus agnoscunt, perturbationem illarum legum ex eo explicant quod anima et corpus, cum unam substantiam constituant, ad se invicem pendent, verum occasionalistae, scite advertente Leibnitio (in *Theod.*, p. I, n. 61) perturbationem legum naturalium, quibus anima et corpus regunt, nonnisi a Deo repetere possunt. Siquidem in eorum sententia nec actiones animae a motibus corporis nec motus corporis ab actionibus animae ullo modo pendent sed Deus singulas actiones animae singulosque motus corporis immediate efficit ». Atqui haec omnia multis scatent erroribus. Ergo.

(2) Cfr. etiam P. Liberatore, *Psychol.*, p. III, a. I, n. 130.

4) **Rosminii sententia** in multos offendit errores. Perceptio enim immanens sensationis, qua fieret unio, est operatio quaedam, quae non est nisi accidens. Ergo unio esset accidentalis. Praeterea sensatio est in ordine intentionali, non autem physico: ergo etiam unio, quae ex ea sequeretur, non esset physica sed intentionalis, quod plane absurdum est. Tandem anima humana non esset forma substantialis corporis, ut ipse Rosmini fatetur (1).

385. **De Multiplicatione animarum.** - In tuto posita doctrina de anima, tamquam corporis forma, via explanata reperitur, ad aliam veritatem vindicandam: animam nempe numerice multiplicari pro singulis corporibus, quibus infunditur. Fuit quorundam veterum opinio, uti refert S. Th. (2), aientium, in omnibus hominibus dari unum eundemque intellectum possibilem, qui diversimode intelligeret iuxta diversa phantasmata, quae in diversis hominum corporibus reperiuntur. Nostra autem aetate favorem sibi arripuit sententia *monismi* universalis et *theosophismi*, in qua una tantum substantia agnoscitur, quae diversimode sese manifestat in diversis corporum phaenomenis. Haec sententia iam refutata fuit sive in log., sive in Metaph. gen., in quaest. de princ. indiv.: praestat eam magis directe explodere etiam quoad animam humanam.

Thesis LXXV.

Anima humana numerice multiplicatur pro singulis corporibus quibus infunditur, ratio vero huius multiplicationis repetenda est ex ordine transcendentali cuiusque animae ad suum corpus.

386. **Prob. I p.** — quae est communis inter scholasticos. Omnes homines sunt numerice multiplicati et inter

(1) « La forma sostanziale del corpo, ipse ait in *Psicol.*, n. 2, l. I, c. XI, n. 849, è più tosto un effetto dell'anima e il termine interno della sua operazione; e però *non è l'anima stessa che sia forma sostanziale del corpo* ». Imo potius dicendum foret, ipsum obiectum esse animae formam, ut idem concedit, paulo post n. 581: « Il sentito può dirsi forma sostanziale dell'anima ». Atqui iuxta veram doctrinam etiam ab Ecclesia statutam, ipsa anima dicenda est forma corporis. Ergo.

(2) S. *Theol.*, p. I, q. 76, a. 2; *De Anima*, a. 3.

se distincti, uti testatur tum propria cuiusque conscientia, tum sensus hominum communis, tum ipsa vita socialis hominum, quae distinguit homines ab eorum actionibus, quae singulis et diversis hominibus tribuuntur, quum actiones sint suppositorum. Atqui homines intantum multiplicantur et distinguuntur, inquantum animae una cum corporibus multiplicantur, quia per animam ipsi constituuntur homines, et evadunt principia suarum operationum. Ergo.

Prob. II p. — Et primo in memoriam revocanda sunt, quae de principio individuationis in Metaph. gen. cap. IV a. IV disseruimus. Quare iuxta principia ibidem statuta ratio intrinseca, cur anima sit *haec*, seu *individua*, ex eo repetitur, quia ordinatur ed informandum hoc corpus, quod individuatur ratione exigentiae determinatae quantitatis. — Demonstratio eadem est, ac in Metaph. gen. exposita fuit. — Nam anima humana cuiusque hominis intrinsece distinguitur ab anima alterius per perfectionem, quae in uno est in altero non. Haec autem perfectio vel habetur ratione formae in se, vel ratione materiae i. e. *coaptationis formae ad hanc determinatam materiam*. Atqui nequit esse ratione formae in se, secus haberetur distinctio specifica non numerica; quia omnis distinctio, quae inducitur ratione formae, est specifica, ut saepe repetit S. Th., nam secus non explicatur discrimen inter distinctionem specificam et numericam. Ergo illa perfectio debet haberi ratione materiae, i. e. ratione ordinis transcendentalis animae ad suum corpus. Dicitur *transcendentalis* et non *actualis*, quia ille ordo est intrinsecus et essentialis animae et in ea manet, etiam quando ipsa a materia separata existit.

387. **Obiicies.** — Formae subsistentes nequeunt multiplicari numerice. Atqui anima est forma subsistens. Ergo. — *R. D. M.*; si non sunt formae corporum, *c.*; si sunt formae,*n.* — *Contrad. m....* « Licet anima intellectiva, ait S. Th., non habeat materiam ex qua sit, sicut nec angelus; *tamen est forma materiae alicuius*, quod angelo non convenit. Et ideo secundum divisionem materiae sunt multae animae unius speciei; multi autem angeli unius speciei omnino esse non possunt » (1).

(1) S. *Th.*, p. I, q. 76, a. II, ad 1.

II. Materia est eadem in omnibus hominibus. Atqui ubi eadem est materia, eadem quoque forma est agnoscenda. Ergo. — *R. D. M.;* materia secundum absolutam sui considerationem..., *c.;* materia realis et sua quantitate signata, *subd.:* est eadem generice, *c.;* numerice, *n.* — *Contrad. m.;* ubi est eadem materia sub omni respectu, *c.;* ubi est eadem tantum generice, *n.* Distinctio patet ex iis, quae in Metaph. gener. explanavimus. Ad rem S. Th. « Formam... et materiam semper oportet esse ad invicem proportionatas et quasi naturaliter coaptatas, quia proprius actus in propria materia fit; unde semper oportet quod materia et forma consequantur se invicem in multitudine et unitate » (1).

III. Materia est indifferens ad omnes formas. Atqui ista nequit individuare formam. Ergo. — *R. D. M.* Materia in se..., *c.;* materia realis quantitate signata et posita sub aliqua dispositione determinata, *n.* — *Contrad. m...* Quare eo ipso quod materia quantitate signata ponitur a causa extrinseca, a qua transformatur ac ponitur sub privatione huius formae, ea suam amittit indifferentiam, et exigit tantummodo hanc formam, quam ideo in se recipiendo individuat.

IV. Si anima individuatur per materiam, quando ab ea separatur, non erit amplius individua. Atqui falsum consequens. Ergo. — *R. D. M.;* si individuatur per actualem adhaesionem, *c.;* si tantum per transcendentalem, *n.* — *C. m.*, et *D. C.* eodem modo. « Unumquodque hoc modo habet unitatem quo habet esse; et per consequens idem est iudicium de multiplicatione rei et esse ipsius. Manifestum est autem quod anima intellectualis secundum suum esse unitur corpori ut forma; et tamen, destructo corpore, remanet anima intellectualis in suo esse; et eadem ratione multitudo animarum est secundum multitudinem corporum; et tamen destructis corporibus remanent animae in suo esse multiplicatae » (2).

V. Intellectus cognoscit universalia. Atqui non posset ea cognoscere, si anima intellectiva esset singularis et numerice multiplicata Ergo. — *R. C. M.*, et *N. m.* Nam, ut S. Th. (3) « individuatio intelligentis aut speciei per quam intelligit, non excludit intelligentiam universalium; alioquin, cum intellectus separati sint quaedam substantiae subsistentes et per consequens particulares, non possent universalia intelligere. Sed materialitas cognoscentis et speciei, per quam cognoscitur, universalis cognitionem impedit ».

388. **Coroll.** I. *Ergo a priori reiicienda est existentia animarum praevia ad informationem corporis* (4).

(1) *C. Gentes*, L. II, c. 81.

(2) *S. Th.*, I p., q. 76, a. II, ad 1.

(3) Ibid., ad 3m.

(4) Quidam, ut ait S. Thomas. (*C. Gentes*, L. II, c. 83), « aeternitatem mundi ponentes, dixerunt animam humanam, sicut est incorruptibilis, ita etiam

Hanc opinionem a priori admitti non posse, facile eruitur ex thesi praecedenti. Nihil enim produci et existere potest, nisi sit individuum. Atqui anima individuatur per ordinem ad determinatum corpus. Ergo produci nequit sine huiusmodi ordine. Atqui absonum est dicere, quod anima producatur cum intrinseco ac determinato ordine ad corpus, quod nondum existit. — Praeterea, ut arguit S. Th. (1) : « Manifestum est, quod Deus primas res instituit in perfecto statu suae naturae secundum quod uniuscuiusque rei species exigebat. Anima autem, quum sit pars humanae naturae non habet naturalem perfectionem nisi secundum quod est corpori unita. Unde non fuisset conveniens animam sine corpore creari ».

At hinc non sequitur repugnare existentiam animae etiam post separationem a corpore. Nam quamvis ipsa indigeat corpore ut individuetur in sui productione, individuatione tamen semel habita, eam semper servat etiam post separationem, atque adeo existere pergit.

389. II. *Ergo repugnat metempsychosis*, seu transmigratio animarum ex uno in aliud corpus. Omnis enim anima individua dicit semper ordinem ad hoc determinatum corpus. Quare, ut posset ex uno in aliud transmigrare, deberet amittere hunc ordinem et alium acquirere. Atqui hoc impossibile est; quia tunc deberet ipsa natura huius animae mutari, quum ille ordo sit ei essentialis. Sed anima cum sit spiritualis, nequit essentialiter mutari. Ergo

Ad rem S. Thomas (2) : « Licet corpus non sit de essentia animae, tamen anima secundum suam essentiam habet habitudinem ad corpus, inquantum hoc est ei essentiale, quod sit corporis forma. Sicut ergo de ratione animae est quod sit forma corporis, ita de ratione huius animae est, quod habeat habitudinem ad hoc corpus ».

et ab aeterno fuisse, unde qui posuerunt animas humanas in sua multitudine esse immortales, scilicet Platonici, posuerunt easdem ab aeterno fuisse, et nunc quidem corporibus uniri, nunc autem a corporibus absolvi, vicissitudine secundum determinata annorum curricula observata... Quidam vero catholicam fidem profitentes,... animas quidem aeternas non posuerunt, sed eas cum mundo sive potius ante mundum visibilem creatas esse, et tamen eas de novo corporibus alligari. Quam quidem positionem, primus inter christianae fidei professores Origenes (περὶ Ἀρχῆς l. I, c. 7...) posuisse invenitur, et post eum plures ipsum sequentes, quae quidem opinio usque hodie apud haereticos manet, quorum Manichaei eas etiam aeternas asserunt cum Platone, et eas de corpore ad corpus transire ».

(1) *S. Theol.*, I p., q. 90, a. 40.

(2) *De Sp. creat.*, a. XI, ad 4m.

Thesis LXXVI.

Ergo identitas hominis servatur non per conscientiae identicam unitatem, sed per identitatem animae, quae nunquam in se mutatur, et semper actuat corpus ei proprium.

390. **Status quaestionis.** - In hac thesi iam supponitur, hominem identicum manere per totum vitae decursum, quod tamquam ratum exploratumque apud omnes homines apertissime habetur. At quoniam ipse multis vicissitudinibus ac mutationibus obnoxius est, tum in animi affectionibus, tum praesertim in corpore, merito quaeritur: quomodo tamen ipse semper idem manet?

Praeterea hic refellitur opinio Lokii, Clerici et Güntherii, falso innixa principio, qui hominis personalitatem in actu conscientiae reponebant; quibus alii accesserunt, qui eam saltem in virtuali conscientia sitam esse censebant. Hinc inferebant, identitatem hominis oriri ex conscientiae identitate. Haec sententia a recentioribus instauratur, qui cum Cartesio animam identificant cum cogitatione: cogitatio autem secum fert conscientiam, in ista ergo habetur natura ac personalitas animae.

Kant asserebat nos non cognoscere ipsa *noumena* rerum, sed solum *phaenomena*. Sed praecipuum phaenomenon, quod in homine contingit, est conscientia sui. Ergo per eam tantum absolvi potest cognitio de natura humanae personae eiusque identitatis. Ideoque nos nullum aliud personalitatis eiusque identitatis argumentum habere valemus praeter conscientiae identitatem. — Sententiam vero nostram omnes scholastici unanimiter tuentur.

391. **Prob. I p.** — Per illud servatur hominis identitas, per quod eius individua natura primo in se constituitur; identitas enim est perseverantia in eodem esse prius habito. Atqui individua hominis natura nullo modo constituitur per conscientiam sui. Ergo nec eius identitas per identicam istius unitatem. – Minor, iam probata in Metaph. gener., iterum confirmatur. Et sane: *a*) homo constituitur in sua individua reali entitate a nativitate, imo ab ipsa con-

ceptione et animae infusione. Atqui tunc nulla habetur conscientia sui; nec proinde ulla identitas cum conscientia posteriori assignari potest. Ergo. — *b*) Praeterea haec conscientia debet esse aliquid reale, nisi in idealismum hegelianum incidere velimus. Ergo vel habet esse in se, vel in alio. Si primum, tunc erit substantia, quae proinde eadem semper manet, et distingui necessario debet ab omnibus passionibus, affectionibus, imo ab ipsis cogitationibus, quae in dies mutantur, et ita habetur sententia, quam nos in altera parte tuemur. Sin alterum, tunc inquirendum est hoc subiectum, in quo ipsa inest, quodque nostram constituit personalitatem. — *c*) Tandem ista conscientia vel dicitur *actualis*, vel *virtualis*; atqui prior dici nequit; secus infantuli, amentes, dormientes, qui ea proculdubio privantur, non essent personae. Altera autem nequit esse nisi ipsa substantia, virtute gaudens huiusmodi conscientiam habendi. Ergo.

Quare, in ista sententia rite explicata, videtur confundi id, quod est effectus personae, cum intrinseco constitutivo eiusdem (1). Ideoque addi potest, quod conscientia, quamvis non sit constitutivum personae eiusque identitatis, est tamen luculentum testimonium ipsius.

Nunc autem directe contra Cartesianos et Kantianos ita arguimus. — Ista conscientia est certe aliquod phaenomenon reale, ipsis fatentibus adversariis. Ipsum autem servari debet identicum, per totam cuiusque hominis vitam, ideoque distinguitur ab omnibus phaenomenis, quae in eo iugiter mutantur. Atqui phaenomenon reale manens identicum subiectum omnium phaenomenorum, quae in eo contingunt, est noumenon. Phaenomenon enim, formaliter

(1) In eundem defectum incidere videtur etiam William James in examine phaenomenorum τοῦ *ego*, ac proinde perperam concludit: « Les état de conscience suffisent à tous les besoins de la Psychologie. C'est à la métaphysique et à la théologie à prouver l'existence de l'âme; en psychologie, ce principe substantiel d'unité constitue une hypothèse superflue ». *Précis de Psychol.*, traduit par Baudin et Bertier — Paris, 1910, chap. XII, p. 262, confer integrum caput. — Quanto accuratius ac melius explicavit rem *S. Th.*, p. III, q. 13, a. 1 ad 4: « *Esse* et *operari* est personae a natura, aliter tamen et aliter. Nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personae; et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini et ideo unitas personae requirit unitatem ipsius esse completi et personalis... Sed operatio est quidam effectus personae secundum aliquam formam ».

tale, est aliquid transiens, imo est *simplex apparere* alicui. Ergo illa conscientia debet esse aliquod noumenon, distinctum a phaenomenis (1).

392. **Prob. II p.** — Omne ens servatur in sua identica unitate per illud principium, per quod primo determinatur in esse. Atqui determinatur in esse per formam, forma enim est principium essendi: et tamdiu in sua identica ratione perseverat, quamdiu hoc esse retinet, seu quamdiu forma non mutatur, et ideo omne ens sicut custodit suum esse ita custodit suam unitatem. Si autem haec forma alicui materiae unitur ad unam completam substantiam constituendam, ista tamdiu eadem manet, quamdiu eadem forma eandem actuat materiam sibi propriam. Ergo etiam homo suam servat identicam unitatem per identitatem animae, quae suum actuat corpus.

Praeterea persona humana est substantia composita. Ergo eius identitas adest, semper ac manet talis substantia composita. Ista autem habetur ex eo quod anima, quae semper eadem est, quum sit simplex ac spiritualis, semper actuat corpus sibi proprium. Dicimus *corpus sibi proprium*, inquantum ipsum idem manet secundum eam rationem, qua corpus vivum idem manere potest: nempe inquantum *a*) ab eadem forma actuatur; *b*) non totum simul mutetur sed sensim sine sensu materia innovetur, quum novae cellulae pedetentim prioribus succedant.

393. **Coroll. I.** *Ergo identitas hominis ex spiritu praecipue repetenda est.* — Ipse enim eandem semper entitatem importat: materia autem post non multum temporis totaliter mutata est. Ideo etiam haec est ratio, cur omnes recte ac merito existiment eosdem esse homines, qui nunc

(1) Iterum igitur apparet falsitas principiorum horum philosophorum, qui ex eis inferre coguntur falsa consectaria circa hominis personalitatem, quam tandem destruunt, et ad purum idealismum viam sternunt.

Item falsa dicenda est sententia, a Fichte prolata, qui nullam tribuit ipsi *Ego* realem rationem. En propria eius verba: « Das Ich als solches ist weder ein reales, noch viel weniger Princip eines realen, sondern lediglich das Product eines psychologischen Processes..... es ist eine leere Form des Selbstbewusstseins ». *Phychologie*, Vorrede.

in termino sine corpore sunt, et olim in corpore hanc mortalem duxerunt vitam.

II. *Ergo novum habetur argumentum ad demonstrandam existentiam animae spiritualis.* — Et sane certum ac indubium est, hominem identicam servare unitatem per totum vitae curriculum. Haec autem necessario expostulat entitatem aliquam substantialem, quae eadem in se maneat, quamquam obnoxia est diversis phaenomenis, quae in ea contingunt, et sese iugiter excipiunt. Atqui haec entitas nequit esse corpus, quod indesinenter innovatur. Ergo alia est in homine agnoscenda entitas, ab eo distincta, in se subsistens, quae anima spiritualis nuncupatur (1). — Ideoque immerito James noluit agnoscere vim huius argumenti.

394. **Obiicies:** I. Illud constituit personam, quod est causa, cur ei operationes tribuantur. Atqui haec causa est conscientia. Ergo. — *R. D. M.;* quod est causa prima et ontologica, *c.;* quod est causa logica, seu cur nos cognoscamus ipsas ei esse tribuendas, *n.* — *Contrad. m.;* conscientia est causa prima et ontologica, *n.;* est causa, cur ipsae dicantur ei imputabiles in ordine morali, *c.* — Certum est effatum illud commune: *actiones sunt suppositorum*, quatenus nonnisi a suppositis procedere queunt, et illis tantum attribuuntur. Ergo illud, quod constituit suppositum, est causa in ordine ontologico, cur ei operationes attribui valent. Atqui istud in homine non est conscientia, tum quia homini multae tribuuntur operationes, quae fiunt independenter a conscientia, tum praesertim quia conscientia nunquam est prima ratio ontologica, cur ab eo operationes eliciantur. Sed quandoque conscientia est ratio, cur operationes ei imputantur in ordine morali, quod praesupponit existentiam personae in se constitutae.

II. Persona denotat dignitatem qua homo ceteris rebus praestat. Atqui haec dignitas exoritur praecise ex conscientia. Ergo. *R. D. M.;*.. inquantum est subsistens in natura rationali, *c.*, inquantum exercet operationes ei respondentes, *subd.;* quatenus istae sint effectus suae personalitatis, *c.;* quatenus eam formaliter constituant, *n.* — *Contrad. m.;*... tamquam quidam effectus partialis, *c.;* tamquam constitutivum primum personae, *n.* —

(1) Hoc coroll. nullo modo opponitur thesi anteced., in qua asserebatur ratio multiplicationis potius esse repetenda ex materia, cui anima infunditur. Nam, uti ibid. explicavimus, anima individuatur per ordinem ad suum corpus; hac autem individuatione semel habita, eam semper in se retinet, dummodo illud corpus idem maneat ea ratione, qua idem manere potest corpus vivum. Atqui corpus vivum hoc habet sibi proprium, quod pedetentim et iugiter mutetur. Ergo cum ipso eadem semper manet anima.

Omne quod subsistit in intellectuali natura rationem habet personae. Et eius dignitas in eo est, quod denotat aliquod subsistens seu suppositum in hac natura longe perfectiori prae ceteris sensibilibus. Unde sequitur quod conscientia, quum sit proprietas huius naturae, erit etiam effectus vel signum eius dignitatis, non autem primum constitutivum (1).

III. Homo constituitur subsistens eo quod conscius sui est. Ergo. — *R. D. A.;* constituitur in ordine ontologico..., *n.;* in ordine logico, inquantum cognoscit se esse subsistens, per conscientiam sui, *c.*...

IV. Identitas personae immunis esse debet ab omni mutatione. Atqui hoc tantum in anima eiusque conscientia contingit. Ergo. — *R. D. M.* Identitas personae perfectissimae et prorsus immaterialis, uti est Deus et quodammodo angeli, *c.;* personae imperfectae quae aliqua ratione cum materia communicat, *subd.;* immunis ab omni mutatione extrinseca seu accidentali, *n.;* ab intrinseca, *it. dist.;* quoad suum elementum formale, *c.;* etiam quoad elementum materiale, *it. subd.:* ita ut ipsum non possit totaliter simul mutari, *c.;* neque possit paullatim ac sensim sine sensu mutari, (uti superius explanavimus) *n.* — *Contrad. m.*:... in conscientia actuali, *n.;* in conscientia virtuali vel melius in ipsa anima eam habente, *subd.;* ita ut ipsa semper ordinem dicat oportet ad suum corpus, *c.;* sine tali ordine, *n.* — Confer explicationes in antecessum propositas.

V. Quod ab alio pendet, mutatur simul cum eo. Atqui principium formale pendet a materiali. Ergo. — *R. D. M.;* quod ab eo intrinsece pendet, *c.*, quod extrinsece tantum dependet *subd.*, si dependet in esse et in fieri..., *c.;* si tantum in fieri..., *n.* — *Contrad. m.;* pendet intrinsece, *n.;* extrinsece, *subd.;* in fieri, *c.;* etiam in esse, *n.* Et haec quoque distinctio superius explanata fuit.

VI. Identitas personae a recentioribus post Loke et Hume (2) explicatur per successionem phaenomenorum, quae conscientia testatur in nobis contingere, et quandam relationem continuita-

(1) Audias etiam S. *Th.* « Sicut substantia individua proprium habet quod per se existat, ita proprium habet quod per se agat... Hoc autem quod est per se agere excellentiori modo convenit substantiis rationalis naturae quam aliis. Nam solae substantiae rationales habent dominium sui actus, ita quod in iis est agere et non agere; aliae vero substantiae magis aguntur quam agant » *De Pot.* q. IX, a. 1 ad 3.

(2) Inter alia haec habet Loke in opere *Essai sur l'entend. humain*, l. II, p. 23: « On imagine que ces qualités (quas in nobis experimur) ne peuvent subsister *sine re substante,* sans quelque chose qui leur sert de support, et ce rapport supposé et inconnu on l'appelle une substance ». — Hume autem in opere « A treatise of humane nature » fuse suam mentem evolvit, et quamquam ipse agnoscit existentiam alicuius corporis seu substantiae, putat tamen ipsam in se constitui per solam relationem continuitatis phaenomenorum, quae sese excipiunt.

tis inter se praeferre. Atqui in hoc consistit unitas conscientiae. Ergo. — *R. D. M.;* et ita exhibetur id quod intrinsece constituit personae identitatem, *n.;* id quod est quoddam eius signum ac testimonium, *c.* — Quare est semper eadem confusio, qua iugiter adversarii laborant; ideoque iuvat iterum contra eos ita argumentari. Ista identitas personae, quam conscientia testatur, potest terminos amplecti valde distantes, c. g. per 40 vel 50 vitae annos. Ergo si ipsa constitueretur per relationem continuitatis, necesse esset actu existere istos terminos, inter quos relatio viget; quia relatio eatenus est realis, quatenus sunt simul reales termini, qui ad invicem referuntur. Atqui certe isti termini actu non sunt simul, dum contra nos actu conscii sumus, eamdem esse personam per totum hunc vitae decursum. — Praeterea ista identitas ens aliquod permanens necessario exposcit. Atqui relatio continuitatis inter passiones, quae in nobis contingunt, est aliquid fluens. Ergo.

VII. *Instas* cum Richet (*Essai de psychologie générale*). Conscientia actualis refert ipsum *Ego transiens*, quod in se minimam habet durationem, ipsum autem colligatur mediante memoria cum ipso *Ego* cuiusque momenti antecedentis; atqui ista series diversorum momentorum conscientiae constituit unitatem ipsius Ego. Ergo idem ac prius. — *R. D. M.;* ita ut simul referat realem existentiam simplicis et identicae entitatis in momento praesenti et praeterito, *c.;* ita ut hanc entitatem non referat, *n.* — *Contrad. m.;* si entitas aliqua agnoscitur, in qua haec diversa momenta contingunt, *c.;* si ipsa denegatur, *n.* — Et sane si quis eam denegaret, tunc veram identitatem nostrae personalitatis everteret, eamque similem redderet simplici motui, qui nullam dicit realem unitatem inter diversa momenta seu instantia, sed in uno tantum existit instanti. Et illud ligamen quod inter ista momenta per solam memoriam ponitur, non est nisi ordinis intentionalis. Ideoque non haberetur nisi sola identitas idealis. Unde etiam Taine, qui in eandem incidit sententiam, aperte asserit nostram personalitatis identitatem in se non esse nisi substantiam *vacuam*, nempe *nihil*, eamque cum Loke et Hume reducit ad unionem phaenomenorum, quae in nobis contingunt; quae omnia, uti ostendimus, absurda sunt. Sed hic iterum apparet confusio inter constitutivum personae eiusque identitatis, ac effectus et operationes eius.

Imo, possumus addere, si quid adversarii callerent S. Scripturam, et ipsi repetere possent cum S. Iacobo (c. 4, n. 15) « *Quae est vita vestra? vapor est ad modicum parens* » vel cum Iob (c. 14, n. 2) homo « *fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet* ». At quis non advertit, hic sermonem non esse de ipsa substantia et persona hominis in se inspecta, quippe quae non est *vapor* nec *fugit*, sed de effectibus, vel de operationibus eius, seu, non de vita in actu primo, sed de vita in actu secundo. Quam distinctionem si quis semper prae oculis non habet, facili-

ter in istos incidit errores, qui cum ipso sensu hominum communi pugnant (1).

395. **Scholion. De specifica hominis unitate.** Ex tota quaestione sive de anima humana, sive de unione animae cum corpore in homine necnon de animae humanae individuatione, magis adhuc confirmatur unitas specifica omnium hominum (v. n. 140). Et sane in omnibus hominibus apparet existentia alicuius formae spiritualis intellectu ac voluntate praeditae, quae in diversis hominibus multiplicatur ratione materiae, cui unitur. Atqui ubi eadem forma specifica habetur in pluribus multiplicata, ibi adest unitas specifica cum multiplicatione numerica.

Praeterea, ut vidimus in n. 128 species physiologice inspecta ita definiri potest: « *collectio individuorum virentium, quae easdem vires eundemque typum servant per generationem unius ab alio* ». Atqui certe omnes homines eundem servant typum, et nonnisi accidentalem differentiam praeseferunt quoad colorem, cranium, aliaque faciei lineamenta, vel corporis conformationem, et quoad ipsas quoque intellectuales perfectiones, quae faciliter ad stirpium diversitatem reducuntur. Et quod maius est, omnes possunt per generationem unius ab alio produci etiam in diversis istis stirpibus: quod certe indubium argumentum est unitatis specificae individuorum (2). Imo in ipsis stirpibus haud facile est determinare distinctionem et proprios cuiusque characteres (3); quum proprietates unius in aliis quoque reperiantur. Ergo.

396. **Corollarium. — Ergo homo specifice omnino differt a brutis animantibus** imo est in ordine prorsus diverso ab eis, sicut animalia sunt in diverso ordine ac vegetalia, et vegetalia in diverso ordine ac mineralia. — Nam

(1) Et tamen mirum est, quomodo haec sententia tam faciles nacta sit patronos, et tam vulgariter defendatur in philosophiae cursibus. Cfr. e. g. ut alios omittam, Marchesini: *Elementi di psicol. ad uso dei Licei*, p. 60.

(2) Ergo falsum est quod ait Voltaire, qui comparat diversitatem hominum cum diversitate plantarum et animalium. Cfr. *Traité de Métaphysique*, chap. I, *Œuvres*, tome 1, pag. 4.

(3) Cfr. quae habet A. Hovelacque, *Les races humaines*, in-12°. Paris, 1882, p. 7-8.

homo gaudet vita intellectiva, quae essentialiter differt a vita sensitiva: bruta vero animantia ea privantur. — Homo proinde ingiter progreditur in rerum scientiis, ut ostendit etiam in artibus ac praesertim in operibus architecturae, picturae, musices, in scientiis physicis, in machinis artificialibus...: bruta vero animantia nullum exhibent progressum. — Homo tandem libero gaudet arbitrio, cum suis consectariis vitae moralis: bruta autem non. Ergo (1).

II. *Ergo maiorem continet difficultatem evolutio corporis hominis a materia brutorum.* — Etenim, uti innuimus in n. 125, evolutio materiae viventium alicuius regni ex regno inferiori maiorem praesefert difficultatem, quam evolutio materiae viventium eiusdem regni, ob maiorem distantiam, quam diversa regna inter se retinent. Atqui distantia speciei humanae a regno brutorum est adhuc maior. Ergo.

Quinimmo, si rem a posteriori inspicimus, iuxta ea, quae docent recentiores scientiarum cultores de corporis origine, hanc sententiam uti certam tueri possumus.

397. **Assertum. — Ex inquisitionibus recentiorum praesertim ex palaeontologia deductis semper evidentius apparet corpus humanum nullo modo per evolutionem**

(1) S. Thomas, in *S. Theol.* I p., q. 91, a. 3, alias enumerat differentias, ex ipsa corporis structura desumptas, quas vacat transcribere: « Tactus est perfectior in homine quam in aliquo alio animali. Et propter hoc oportuit quod homo haberet temperatissimam complexionem inter omnia animalia. Praecedit etiam homo inter alia animalia, quantum ad vires sensitivas interiores... Necessarium fuit, quod homo inter omnia animalia respectu sui corporis haberet maximum cerebrum ,ut liberius in eo perficerentur operationes virium sensitivarum, quae sunt necessariae ad intellectus operationem... Alia animalia habent tegumenta et arma naturalia ad sui protectionem. Loco horum homo habet rationem et manus, quibus potest sibi parare arma et tegumenta, et alia vitae necessaria infinitis modis; unde et manus dicitur organum organorum... Praeterea, homo habet staturam rectam, quia sensus sunt dati homini non solum ad vitae necessaria procuranda, sicut aliis animalibus, sed etiam ad cognoscendum. Unde cum cetera animalia non delectentur in sensibilibus nisi per ordinem ad cibos et venerea, solus homo delectatur in ipsa pulchritudine sensibilium secundum se ipsam. Et ideo quia sensus praecipue vigent in facie, alia animalia habent faciem pronam ad terram, quasi ad cibum quaerendum et providendum sibi de victu; homo vero habet faciem erectam, ut per sensus, et praecipue per visum, qui est subtilior et plures differentias rerum ostendit, libere possit ex omni parte sensibilia cognoscere, et coelestia et terrena, ut ex omnibus intelligibilem colligat veritatem ». Atqui inde colligitur finem proximum ipsius humani corporis esse inservire ad vitam rationalem et operationes ipsius. Ergo.

ortum fuisse. — Et primo argumenta, quae petuntur *ex organica structura*, et late evolvit Wiedersheim (1), cui concinit Haeckel, nullum habent valorem, quum praeter eam, quam phantasia adstruit, nullam ostendunt affinitatem organicam inter hominem et bruta animantia, ut profunde ostendunt Hamann (2) et J. Ranke (3). Item nihil evincunt argumenta *biologica, seu biogenetica* a Fritz Müller praeformata et ab Haeckel expolita, ut alibi satis ostendimus in Th. XXIV, et n. 135. Quoad argumenta palaeontologica, advertendum est, quod modo omnibus zoologis semper clarius apparet, impossibile omnino esse, quod corpus humanum ex aliquo bruto animali evolutum fuerit; quare defensores evolutionismi cum Klaatsch ex Heidelberg et Mauritio Alsberg (4) hanc aliam adstruunt hypothesim, quod homo nempe et symia ab aliquo typo primitivo ortum ducant, per duas series phylogeneticas cuique proprias. Hinc recurrendum est ad aetatem praehistoricam, quum Klaatsch reponat hunc typum hypotheticum in periodo tertiaria vel protertiaria. Iamvero, ut clare exponit P. Wasmann, palaeontologia non modo nullum ostendit vestigium huius typi primitivi, sed potius positive ostendit ipsum nunquam fuisse, quia ut Zittel demonstrat, reperiuntur 18 genera ex symiis fossilibus in stratis telluris usque ad finem periodi diluvii, quae nullam omnino affinitatem habent cum homine (5); quare conatus adversariorum frustranei omnino evaserunt. Ita e. g. Pithecanthropus erectus, a Dubois in Giava inventus, tam-

(1) In opere cui titulus *Der Bau des Menschen als Zeugnis für seine Vergangenheit* a. 1902.

(2) *Entwicklungslehre u. Darwinismus* a. 1892, p. 108 et sqq.

(3) In opere cui titulus *Der Mensch*: iuvat tamen audire quae P. Gemelli in op. cit. *nota* p. 422 asserit: « E' opportuno ripetere che la disteologia, ossia la scienza degli organi rudimentali, è stata completamente impugnata da tutte le ricerche più recenti. Per attenerci solo agli organi rudimentali dell'uomo non ve n'ha alcuno, del quale si possa dire con certezza che è un organo in via di regressione, e senza alcuna funzione. D'altra parte è da osservarsi che, se veramente gli organi rudimentali fossero tali, non vi sarebbe alcuna ragione per la quale essi devono mantenersi costantemente nella medesima forma. A questo risultato giunsero le recenti ricerche sull'embriologia e sulla istologia di alcuni di questi organi ».

(4) *Die Abstammung des Menschen u. die Bedingungen seiner Entwicklung.* Kassel a. 1902 p. 77, 78.

(5) Unde ipse concludit in l. c. p. 296 « der ganze hypothetische Stammbaum des Menschen weist keine einzige fossile Gattung, keine einzige fossile Art auf ».

quam vestigium illius typi primitivi, nihil prorsus evincit, et ideo reiectus fuit a Virchow (1), a Riccardo Hertwig (2), a Macmanara (3) et aliis. Item alius typus ex Neandertal, a Schwalbe propositus, tamquam medius inter hominem et symiam, communiter reiicitur a Rauff (4), a Virchow, et aliis, tum quia nemo ipsum in proprio situ inspexit, tum quia, ut ostendit Virchow, etiam nunc in Phrysia, plures homines cranium praeseferunt eiusdem structurae cum typo illo ex Neandertal, qui proinde dicendus est pertinere ad veram naturam humanam (5). Quare etiam nos concludimus cum professore N. Branco, qui est director instituti geologiae ac palaeontologiae in Universitate Berolinensi, et in oratione, ultimo habita in 3 conventu pro zoologia Berolini die 16 aug. 1901, ita conclusit: « Palaeontologia nullum cognoscit parentem ipsius hominis, nempe in alio typo primitivo » (6).

(1) Cfr. *Pithecanthropus erectus auf dem III internationalen Zoologen-kongress* (Natur u. Offenbarung), LII (1896) 109-112.

(2) *Lehrbuch der Zoologie* 1903, p. 6.

(3) *Kraniologischer Beweis für die Stellung des Menschen in der Natur* (Archiv für Antropologie XXVII, 1903, 349-360).

(4) *Uber die Altersbestimmung des Neandertalmenschen u. die geologischen Grundlagen dafür* (Werhande d. Naturhist. Werei) Bonn 1903, 11-90.

(5) Cfr. etiam quae habet P. Gemelli in nota ad p. 448.

(6) Praestat hic transcribere praecipuas conclusiones, quas iste professor statuit, et P. Wasmann, qui aderat huic conventui, stenographice scripsit. Utimur iterum versione italica: in istis ipse refutat oppositas propositiones, quas Haeckel exposuit in 4o conventu habito in Cambridge die 26 augusti a. 1898. « L'uomo ci si presenta nella storia della terra come un vero *Homo novus*, non già come una derivazione delle forme degli esseri viventi prima di lui. Mentre i mammiferi attuali per la maggior parte mostrano lunghe serie di fossili a loro antenati appartenenti al periodo terziario, l'uomo invece apparve immediatamente e d'un tratto nel periodo diluviale; nè noi conosciamo alcun essere a lui antenato appartenente al terziario. Sino ad oggi non si sono trovati resti dell'uomo terziario e le tracce della sua attività, che si credeva di aver riscontrato nel periodo terziario, sono di natura molto dubbia; noi invece troviamo copiosi resti appartenenti all'uomo diluviale. Ma è da osservarsi che l'uomo diluviale apparve sulla terra come un *Homo sapiens* perfetto. La maggior parte di questi uomini antichissimi possedeva un cranio del quale ognuno di noi potrebbe andar superbo; essi non avevano nè le lunghe braccia simili a quelle delle scimmie. L'uomo diluviale era in ogni suo particolare vero uomo.... Di più Branco alla questione: Quale fu l'antenato dell'uomo? Ci diede la seguente risposta veramente scientifica. La paleontologia a questo proposito non ci sa dir nulla, essa non conosce nessun antenato dell'uomo. In questo giudizio è riposta l'essenza di tutto il discorso di Branco » p. 447.

398. **De Sede Animae humanae.** — Nunc tandem aliquid breviter innuendum de sede animae humanae in corpore, circa quam non pauci exorti sunt errores, ex eo praesertim, quod non semper prae oculis habita est propria ratio essendi in aliquo, quae ei uti formae, convenit. Quapropter recolenda sunt quae exposuimus in Cosm. nn. 202-205 de diversa ratione essendi in loco; et hic in Th. XII de diversa formarum *simplicitate*.

Adversarii, istis neglectis principiis, mire discrepant inter se. Veterum sententias Plutarchus nobis enarrat (1). « Inesse hanc aiunt Plato et Democritus in toto capite, Strato in superciliorum intercapedine, Erasistratus circa membranam cerebri, quam *epicranida* nominat. Herophilus in cavo seu fundo cerebri. Parmenides in toto pectore. Epicurus et Stoici in universo corde, aut cordis spiritu. Diogenes in arteriosa cordis cavea. Empedocles in sanguinis substantia. Alii in collo cordis. Alii in membrana cor ambiente. Alii in septo transverso. Pythagoras vitalem animae partem circa cor, rationem et mentem circa caput ».

Sed recentiori aetate Cartesius conatus est ostendere animam non esse nisi in cerebro; hac ratione praesertim deceptus, quod animam putavit esse ad modum puncti (2); cum multi recentiores secuti sunt. Nos autem sententiam, defendimus, quam Patres et scholastici unanimiter tuentur.

Thesis LXXVII.

Anima est tota in toto corpore et tota in singulis partibus totalitate essentiae sed non totalitate virtutis.

399. Adverte cum S. Th. (3): « cum dicimus totam animam esse in qualibet parte corporis, intelligimus per *totam*, perfectionem naturae suae et non aliquam totalitatem partium. Totum enim et perfectum est idem ». Item praesupponimus, quae tum de diversa ratione essendi in loco, tum de

(1) *De Placit. Philos.*, l. 4, c. 5.
(2) Cfr. quae ipse habet in opere *Les Passions de l'Âme*, 1re partie, article 31.
(3) *S. Th.*, I. S. Dist. 8, q. V, a. 3, ad 1.

natura formae, tum de distinctione essentiae animae ab eius virtutibus, alibi explanavimus.

Prob. I p. — Anima est forma substantialis corporis. Atqui forma substantialis est tota in tota materia, quam actuat, si enim in aliqua parte non esset, non posset eam actuare. Ergo. — Ad rem S. Th. (1). « Si anima uniretur corpori solum ut motor, posset dici quod non esset in qualibet parte corporis, sed in una tantum, per quam alias moveret. Sed quia anima unitur corpori ut forma, necesse est quod sit in toto et in qualibet parte corporis : non enim est forma corporis accidentalis sed substantialis. Substantialis autem forma non solum est perfectio totius, sed cuiuslibet partis. Cum enim totum consistat ex partibus, forma totius, quae non dat *esse* singulis partibus, est forma quae est compositio et ordo, sicut forma domus, et talis forma est accidentalis ».

Praeterea anima est principium vitae in toto corpore, quatenus omnibus eius partibus communicat activitatem, quae immanenter agit ac sese nutrit et auget. Atqui hoc fieri non posset, si ipsa non adesset toti corpori. Ergo.

Tandem quaevis corporis pars vita gaudet sensitiva, quae ei ab anima communicatur. Atqui ipsa nequit ab anima communicari, nisi corporis partes ab eadem actuentur (2) uti ostendimus in th. X, pro vita vegetativa. Ergo.

Insuper etiamsi diceretur vita sensitiva perfici in cerebro, (quod tamen nos negamus), idem asserendum esset. Tunc enim nervi omnes, qui ab externis sensoriis ad cerebrum impressiones sensiles deferrent, peculiari quadam activitate gaudere deberent ut impressiones communicarent ex

(1) S. *Theol.*, I p., q. 76, a. 8.

(2) Egregie S. Augustinus « Anima non modo universae moli corporis sui sed etiam unicuique particulae illius tota simul adest. Partis enim corporis passionem tota sentit, nec in toto tamen corpore. Cum enim quid dolet in pede, advertit oculus, loquitur lingua, admovetur manus. Quod non fieret, nisi id quod animae in eius partibus est, et in pede sentiret; nec sentire quod ibi factum est, absens posset. Non enim nuntio aliquo credibile est fieri non sentiente quod nuntiat; quia pressio quae fit non per continuationem molis currit, ut ceteras animi partes, quae alibi sunt, latere non sinat; sed illud tota sentit anima, quod in particula fit pedis; et ibi tantum sentit, ubi fit. Tota igitur singulis partibus adest, quae tota simul sentit in singulis ». *De Immortalitate animae*, c XVI.

una molecula in alteram, in quo vera adest activitas. Atqui haec activitas necessario ab anima ipsa sensitiva procedere debet, quum ad illam vitam pertineat, et secus haberi non posset arcta illa subordinatio, ad impressiones deferendas ab omnibus externis corporis partibus ad cerebrum. Ergo.

Prob. II p. — Anima est forma simplex, non ad modum puncti, sed qualenus est extra genus quantitatis. Atqui huiusmodi forma est eodem modo tota totalitate essentiae in tota materia et tota in qualibet eius parte, inquantum in omnibus singulis partibus semper eandem importet essentiam. Ita e. g. eadem semper essentia albedinis, aquae, ferri... habetur sive in magna corporis massa, sive in minima eius parte. Ergo.

Prob. III p. — Anima pluribus gaudet virtutibus, quarum quaedam sunt prorsus a materia independentes, aliae vero peculiarem requirunt organismum, quo suam exerunt activitatem. Atqui priores non sunt in materia, aliae vero non reperiuntur nisi in organismo sibi proprio, quo indigent ad agendum. Ergo. « Quia anima, ait S. Th. l. c., totalitatem quantitativam non habet nec per se nec per accidens; sufficit dicere quod anima tota est in qualibet parte corporis secundum totalitatem perfectionis et essentiae, non autem secundum quamlibet suam potentiam est in qualibet parte corporis, sed secundum visum est in oculo, secundum auditum est in aure et sic de aliis ».

400. **Coroll.** I. *Ergo unaquaeque pars hominis nequit dici homo*, — sicut contra unaquaeque pars aquae, ferri... dicitur aqua, ferrum... Homo enim importat non modo totam essentiam, sed etiam complexum omnium virtutum, quibus ipse gaudet. Atqui, uti mox vidimus, non singulae hominis partes omnes eius virtutes retinent. Ergo.

II. *Ergo anima quoad suam virtutem principalius residet in cerebro et in corde.* — Et sane, principium vitae principalius residet quoad virtutem, in iis partibus, quibus maiorem virtutem communicat. Atqui iis partibus communicat maiorem virtutem, ubi maior adest activitas vitae tum vegetativae tum sensitivae, uti sunt cerebrum et cor; illud quidem vitae sensitivae, alterum vitae vegetativae. Ergo anima quoad virtutem in corde et in cerebro principalius residet. Ad rem S. Th. (1). « Unicuique formae

(1) *C. Gentes*, l. II, 72.

aptatur materia secundum suam congruentiam. Quanto autem aliqua forma est nobilior et simplicior, tanto est maioris virtutis. Unde anima, quae est nobilissima inter formas inferiores, etsi simplex sit in substantia, est tamen multiplex in potentia et multarum operationum. Unde indiget diversis organis ad suas operationes complendas; quorum diversae animae potentiae proprii actus esse dicuntur, sicut visus oculi, auditus aurium, et sic de aliis. Propter quod animalia perfecta habent maximam diversitatem in organis, plantae vero minimam. Hac igitur occasione a quibusdam philosophis dictum est, animam esse in aliqua parte corporis, sicut ab ipso Aristotele, in libro de causis, motus animalis dicitur esse in corde ». Et sic anima dicitur uniri corpori non solum ut forma, quatenus dat esse corpori; sed etiam ut motor, quatenus, unita corpori ut forma, movet deinceps corpus per vires communicatas corpori, et ultimo per voluntatem, quae est facultas anorganica, corpori non communicata, sed residens in sola anima.

III. *Ergo virtus intellectiva in nulla corporis parte invenitur, sed in sola inest anima subsistente.* — Nec ulla est contradictio in hoc, quod anima est in corpore secundum totam suam essentiam, et nihilominus in ea inveniatur aliqua virtus, quae non sit etiam in corpore. Animam enim esse in corpore secundum suam essentiam, idem est ac actuare corpus quocum subsistit. At cum ipsa sit etiam in se subsistens independenter a corpore, plane potest in se aliquam retinere virtutem, quae agit independenter a corpore, quia virtus agendi est propria entis subsistentis, quatenus anima per illam ita agit, ut non indigeat concursu corporis. Quapropter sicut non repugnat, quod anima ita actuat corpus, ut maneat semper ab eo independens quoad esse, ita non repugnat, quod ipsa existens in corpore, independens quoque sit quoad aliquam operandi virtutem. Ac proinde concludimus cum S. Th. (1). « Anima comparatur ad corpus ut eius forma a qua totum corpus et quaelibet pars eius habet esse, sicut a forma substantiali. Et tamen potentias eius non omnes partes corporis participant; imo sunt aliquae potentiae, quibus non est possibile perfici aliquid corporeum, sicut potentiae intellectivae. Aliae autem sunt, quae possunt esse perfectiones corporis, quum non quaelibet pars corporis sit eiusdem harmoniae et commixtionis.... et ideo non eandem perfectionem recipit ab anima auris et oculus, quum tamen quaelibet pars recipiat esse ».

401. **Obiicies :** I. Anima est simplex. Atqui simplex nequit extendi per diversas partes. Ergo... — *R. D. M.;* anima est simplex ad modum puncti, *n.;* inquantum est extra genus quantitatis, *c.* — *Contrad. m.;* quod est simplex ad modum puncti, *c.;* quod est extra genus quantitatis, *subd.;* nequit extendi formali-

(1) In I. S., D. 8, q. 5, a. 3.

ter, *c.;* neque *virtualiter*, nempe actuando diversas partes materiae, *n.* Et tunc revera non recte dicitur extendi per corporis partes, sed potius *eas actuare*, vel eis *suam virtutem applicare.*

II. Si anima esset in toto corpore, cresceret cum corpore, et retraheretur, si pars quaedam deciditur. Atqui hoc repugnat quoad animam. Ergo. — *R. D.* 1am *p. M.;*... cresceret sensu proprio, *n.;* sensu improprio et metaphorico, quatenus actuat maiorem corporis molem, *c.* — *D.* 2am *p. M.;* retraheretur quasi per motum localem, *n.;* inquantum non communicat suam virtutem illi parti abscissae, quia illa pars *desinit perfici* ab anima, *c.* — *Contrad. m.;* quoad utramque partem. Ad rem S. Th. (1). « Augmentum non fit sine motu locali,unde augmentato puero, sicut aliqua pars corporis incipit esse *per se* ubi prius non erat, ita anima *per accidens* et per transmutationem suam, inquantum per accidens movetur, moto corpore ». Unde elicitur, in anima nonnisi metaphorice et improprie dici posse, quod habeatur augmentum vel motus localis, ratione nempe corporis. Sed in se nec augetur nec movetur; sicut lux *per se* non augetur nec movetur ex eo quod maiori vel minori communicetur materiae. Item ut etiam S. Th. advertit (2): « Praecisa parte, non sequitur quod auferatur anima vel quod ad aliam partem transmutetur: nisi poneretur quod in illa sola parte anima esset: sed sequitur quod illa pars *desinit perfici* ab anima totius ». Sicut quando claditur ostium alicuius cubiculi, non sol retrahitur, sed cubiculum desinit illuminari ab eo.

III. Si anima esset tota in singulis partibus, unaquaeque pars esset homo. Atqui falsum consequens. Ergo. — *R. D. M.:* si esset tota quoad essentiam et virtutem, *c.;* si tantum quoad essentiam, *n.* — *C. m.*... Haec difficultas iam antea praeoccupata fuit, n. 400.

IV. Extra aliquod totum nihil eius invenitur. Atqui anima dicitur esse tota e. g. in capite. Ergo extra caput nihil animae invenitur, ac proinde nequit esse tota in singulis partibus. — *R. D. M.:* extra totum quantitativum, *c.;* extra totum essentiale *subd.*, nihil eius invenitur diversum ab ipso, *c.;* quod sit idem ac ipsum, *it. d.;* si spectatur tota illa materia a qua ipsum limitatur ac individuatur, *c.;* si una tantum pars, a qua non limitatur, *n.* — *Contrad. m.;* tamquam totum essentiale, quod ab eo non limitatur, *c.;* quod ab eo limitatur, *n.* Ad rem S. Th. (3). « Cum autem sit in una parte corporis, eo modo quo dictum est (nempe tamquam forma ac totum essentiale quod ab ea non limitatur), nihil animae est extra animam, quae est in hac parte corporis; non tamen sequitur quod animae nihil sit (simpliciter, quod nempe idem non sit ac illa anima) extra hanc partem corporis, sed quod nihil sit extra totum corpus, quod principaliter perficit ».

(1) *Spir. cr.* 4. a. 5. ad 12.
(2) Ibid., ad 15.
(3) *De Anima*, a. X, ad 3.

V. Nihil potest simul quiescere ac moveri. Atqui si anima esset in singulis partibus, posset simul quiescere et moveri. Ergo. — *R. D. M.;* nihil potest *per se* simul quiescere et moveri, *c.;* nec *per accidens* ad motum alterius, *n.* — « Non autem inconveniens est, ait S. Th. (1), si aliquid movetur et quiescit simul *per accidens* (nempe ratione alterius quod proprie movetur et quiescit); sicut non est inconveniens quod aliquid moveatur per accidens contrariis motibus, ut puta si quis in navi deferretur contra cursum navis ».

402. **Conclusio Generalis.** — Psychologiae studium est procul dubio, inter ceteras philosophiae partes, iucundius, utilius ac maioris quoque momenti. In ea enim investigantur et nobis aperiuntur novae ac perfectiores rerum causae, quae multo clarius nobis ostendunt existentiam principiorum, quae a materia distinguuntur. Vita enim etiam in suo infimo gradu, in actibus vegetativis nempe, tantam exhibet activitatem, ut manifesto demonstret principium activitatis a materia distinctum ac perfectius principiis corporum anorganicorum. Et hinc repetenda est praecipua ratio, cur transformismus materialis et atheus repugnat; imo transformismus mitigatus, quamvis metaphysice non repugnet, de facto tamen nunquam extitit, quia physice repugnat.

Cum vero ad perfectiorem vitae gradum devenimus, qui in ipsa cognitione exercetur, tunc revera novus rerum incipit ordo. In hac vita cognoscens nova ratione perficitur; praeter formam naturalem, qua in suo esse constituitur, alias adhuc recipere potest secundum esse intentionale, et ita cum aliis rebus extra existentibus communicat.

Sed in hac eadem vita duplex gradus iterum dispescitur, vel enim cognoscens res attingit cum intrinseco concursu materiae, ut accidit in sensibus, vel sine huiusmodi concursu, uti in intellectu contingit. Nam intellectus cognoscit universalia, immaterialia, abstracta, obiecta nempe quae a materia intrinsece non pendent; ergo et ipse intellectus debet cognoscere independenter a materia. Sensus vero, quum nequeat cognoscere nisi obiectum materiale et concretum, ac dependenter a physica organi impressione, ab eo intrinsece pendent, sicut ipsa anima sensitiva.

(2) *De Anima*, a. X, ad 12.

Ultimus proinde perfectionis viventium gradus reperitur in vita intellectiva, quae in homine tantum adest, ipsumque ponit in ordine prorsus superiori inter res huius mundi adspectabilis. Iamvero propria ratio huius vitae elucet in eius operationibus, quae ex obiecto, circa quod versantur, dignoscuntur. Primo igitur statuendum erat, quodnam est obiectum proprium huius vitae, et vidimus ipsum esse essentiam abstractam a rebus sensibilibus, ideoque universalem et immaterialem. Hinc deduximus, facultatem ipsam intellectivam esse spiritualem. Sed quum omnem cognitionem proprius sequatur appetitus, hinc etiam existentia ac natura appetitus intellectivi seu voluntatis nota nobis erat, et inspeximus, obiectum eius proprium esse bonum in genere, in quo ipsa quiescit atque suam consequitur felicitatem. Ipsum proinde necessario appetitur; contra vero bona alia creata, quae sunt limitata, nec totam amplectuntur rationem boni, non necessitant voluntatem, quae proinde circa ea indifferentiae gaudet libertate. Haec autem in eo consistit, quod homo ita appetit aliquod bonum particulare, ut possit etiam non appetere, ac proinde eligere valet inter diversa bona particularia. Libertas autem eligendi malum seu peccandi non est nisi defectus libertatis.

Ex natura harum facultatum facile deduci poterat ipsius animae substantialis natura: videlicet, ea esse debet simplex, a materia realiter distincta ac spiritualis, ideoque naturaliter immortalis, cum omne simplex subsistens nequeat dissolvi in partes, quibus caret. Hinc eruitur, animam non posse generari dependenter a materia, sed dumtaxat produci immediate per Dei creationem, a quo simul creatur et corpori infunditur. Ac tandem investigandum erat, quomodo huiusmodi anima cum corpore coniungi valet, ut unum hominem constituat. Et primo vidimus, hanc animam spiritualem eandem esse, quae est principium non modo vitae intellectivae sed sensitivae ac vegetativae simul, et hac ratione unum constituit cum corpore adaequatum et primum principium operationum, seu unam naturam, et unam substantiam. Hinc sequitur, animam corpori uniri per immediatam communicationem propriae entitatis cum entitate materiae, seu est

vera *forma substantialis*. Unde consequitur animam individuari ac multiplicari pro diversis corporibus, quibus infunditur, et coaptationem cuiusque animae ad suum proprium corpus esse de intrinseca et essentiali ratione ipsius; quamobrem praevia animarum productio et metempsychosis est omnino reiicienda. Haec autem anima est in corpore secundum totam essentiam, eodem modo ac omnis forma simplex est in materia; sed non secundum totam virtutem, quum virtus intellectiva sit a materia prorsus independens.

Ita perspecta nobis manet propria hominis ratio, qui est unum ens subsistens duplici constans principio apprime distincto, quod hominem constituit in sui ratione a ceteris omnino diversum, eiusque identicam unitatem per totum vitae cursum sartam tectamque servat. Conscientia vero, quae est eius facultas, nobis adstat tantum uti testimonium illius entitatis simplicis ac subsistentis.

Unde ultimo colligitur, non posse naturam originemque hominis ullo pacto aperire eos omnes, qui, altero principio spreto vel denegato, toti in eo sunt, ut originem corporis investigent et explicent. Quapropter conatus omnes transformistarum et imprimis ipsius Haeckel frustranei omnino sunt et erunt; et quoad ipsam corporis originem palaeontologia omnino ostendit ipsum primo apparuisse in terra cum organismo, quem nunc habet, quin aliqua evolutio praecedere potuisset. Homo igitur est in ordine prorsus distincto a ceteris animantibus terrae, et originem omnino propriam sibi vindicat, cui finis immediatus et ultimus respondet etiam omnino proprius. Et quum anima sit spiritualis et immortalis, pergit adhuc vivere post sui a corpore separationem in altera vita, in qua suum consequitur finem.

Quocirca haec immortalitas ea est, quae tot problemata huius vitae penitus solvit, quae plenam legibus sanctionem affert, quae dat *unicuique suum*, quae proinde sicut desideratur incessanter a bonis, ita ab impiis abhorretur, qui eam vellent perimere; sed *desiderium peccatorum peribit*.

A. M. D. G.

INDEX ALPHABETICUS NOMINUM ET RERUM

Abstractio 365, 391, effciens et formalis 398-401, 409-412.
Acosmimus 280, 282, 424.
Actio immanens 16, quid 20.
Aegidius Rom. 295.
Aestimativa 325, 328, 329.
Agassiz 110, 182, 189, 200, 208.
Affectiones voluntatis 504, 506.
Albertoni 140.
Albertus M. 80, 295, 296, 317, 329, 331, 451.
Alemanni 449.
Alexander Aphrodisiensis 397.
Allmann 144, 200.
Alsberg 572.
Altmann 200.
Analysis 8, 437, gignit iudicia, 438-441.
Analysis spectralis 301.
Anatomia 6, 347-349.
Anaxagoras 109.
Anaximander 145.
Anima 1 princip. vitae 5, est vera forma subst. 86-88, in semine foec. 90-96 definit. 96-99, divisibilis in plant. 100-103 in brutis 357-360; in hom. est spirit. 513-515, 644, immort. 515-522, creatur a Deo 522-527 cum infund. corp. 529-531, est una 535-539, vera forma 622-630, dat esse corpori 546-550, num. multiplic. 570-572, tota in toto corp. et in sing. part. 574, 578
Animistae 75, 86
Anorganicum 27-33.
Anselmus (S.) 218, 451.
Anthropologia 12.
Antonelli 531.
Apollinaristae 522.
Apperceptio 465, 472.
Appetitus 33, 40, 48 quid naturalis 341, sensitivus 342-346, eius organ. 346-350, intell. . volunt.
Apprehensio 457-458, iudicativa 458-459.
Archaeopteryx lithographica, 183, 187.
Archiplasson 148.
Arduin 194.
Aristoteles passim.
Arrhenius 150.
Assimilatio 75.
Augmentum vitale 103-106.
Augustinus (S.) 109, 111, 126, 134, 159, 164, 167, 320, 332, 338 339, 445, 523, 576.
Ausonio Franchi 225.
Avenarius 283, 416, 424.
Averroes, 397.
Avicebron 532.
Avicenna 130, 397, 464, 467, 529

Baco a Verulamio 40, 281.
Baden Powell 146.
Bain 4, 267, 381.
Balbiani 139.
Balmes 270.
Baltzer 535.
Barrande 181, 187, 188.
Basilius (S.) 463.
Bathybius 144.
Benedikt 196.

Bernard Claudius 38, 56, 82, 109 131, 278, 349.
Bergson 279.
Berkeley 123, 281, 390, 424.
Bernies 406, 410-412.
Bethelot 131.
Berzelius 81, 84.
Bethe 337.
Bichat 67, 79, 126.
Biel Gabriel 226, 233.
Binet 4.
Biochimica 77, 85.
Bischoff 20.
Blainville 179, 182.
Blanchard 148.
Blastophorus 73.
Blumenbach 207, 208.
Bokornes 109.
Bonaventura (S.) 230, 451.
Bonnet 146.
Bonum, obiect. vol. 471-472 eius finis 477-481, morale 492.
Brachmanes 353.
Branco N. 572.
Brass 201, 202.
Broca 181, 190.
Broussais 381.
Bruta animantia non sunt automata 336-338, cognoscunt 338-341, appetunt 342-345, non intelligunt. 352-357.
Büchner 126, 127, 131, 237, 381, 417, 489.
Buffon 56, 100, 146, 177, 178, 207
Bunge 136.
Burcke 79, 143.
Burmeister 110.

Cabanis 381, 417.
Caietanus 44, 100, eius doctrina circa spec. intent. 240-242, 295, 377, 403.
Calcium 110.
Calor quid 294, 297, 303.
Calvinus 489.
Canestrini 177, 179, 186.
Capilli 56.
Capreolus 317.
Carazzi 202.
Carbonium 110, 149.
Carnoy 49.
Carruthers 189.
Cartesiani 227, 229, 256, 281, 532.
Cartesius 3, 22, 76, 78, 213, 224, 270, 281, 390, 419, 461, 462, 474, 483, 489, 534.
Causarum occasional. systema 555, 559.
Cellula 49, definitur et explicatur 71-74, tantum ex cellula 139-140.
Cerebrum 74, requiritur ad sensation 275-278, est organ. sens. intern. 334, 335 centrum vitae sensit. 345-349, 576.
Chauffard 131.
Civiltà Cattolica 52, 60, 304.
Chimicae vires 36, 38, non sufficiunt ad vitam 80-05.
Chromosoma 124.
Cicero 1, 30, 172.
Clauberg 556.
Claus 185, 191.
Clemens V, S. P. 546.
Cogitativa quid 375.
Cognitio quid 213-220, essentia 249, incipit a sens. 370-391.
Cognoscens 219, 266, essentia 251-254.
Color formalis et fundament. 291, 292, 296, 301, 303.
Colonia cellularum 49-52.
Comte 8, 417, 418.
Conceptus 389 compositi 428, ex experientia 428-431, ex analysi 431-434.
Concilium Viennense 535, 546.
Concupiscibilis 505.
Condillac 78, 320.
Conimbricenses 86, 314.
Conscientia psych. 463-465, 473-476.
Conservatio energiae 496.
Contejean 182, 190.

Continuum late 58, seu heterogeneum 59, stricte 62.
Cope 150.
Cor 345, centrum vitae veget. 346, manifestat appetit. 347-350, 576.
Cordemoy 556.
Corpus organic 29-31.
Cosmos 112, 113.
Coste 192, 194.
Cousin 299.
Croce B. 283.
Cudwert 534.
Cuvier 68, 78, 146, 148, 177, 182, 185, 207.

D'Alembert 417.
Dantes Aligherius 123, 481.
Darwin 4, 146, eius doctr. 147, 148, 197, reiicitur 199.
Darwinismus 146, reiicitur 199.
De Baer 180, 187, 193, 222.
De Backer 300.
De Bunge 79.
D'Holbach 381, 417.
De La Forge 556.
Delage 182, 199.
De La Mettrie 267, 381, 417.
De La Vaissière 7.
De Maillet 182.
De Nadaillac 179.
Democritus 176, 280, 417, 574.
Denys Cochin 81, 121.
Depèret 150, 183, 194.
De San 300.
De Sinety 285.
Determinismus 489.
De Vries 150.
Dichotomia 535.
Dictio 447, v. verbum.
Diderot 417.
Diogenes 76, 483.
Dissimilaris 27-29.
Dolor 314.
D'Omalius d'Albes 146.
Domet de Vorges 284, 387.
Donat 150.
Donau 78.
D'Orbigny 146, 185.
Dressel 77.
Driesch 79, 110, 150.
Drobisch 489.
Dubois-Reymond 8, 77, 109, 200 382, 417, 491, 496.
Dühring 381.
Dupuy 131.
Durandus 276.
Durkeim 497.

Ebbinghaus 3, 5, 425.
Ehrenberg 131, 143.
Eimer 150.
Emanatismus 522.
Embriologia 191.
Emery 356.
Empedocles 76, 109, 126, 221, 483.
Empiristae 8, 417.
Endosmosis 112.
Endothelium 74.
Ens obiectum adaequatum intell. 365, 367, 370.
Epiblastum 73.
Epicurus 266, 280, 353, 416, 483.
Epithelium 74.
Erasistratus 483.
Evolutio specier. quotupl. modo haberi potest 160-168.
Experientia 8, 428.

Fabre, 355.
Facultas cognosc. est passiva 221-225, quomodo determinatur ab obiecto 226-229.
Faivre 148.
Fames 314.
Farges 100, 162, 165, 168, 174, 278, 284, 293.
Fauna 185, 195.
Fechner 4, 8, 109, 126, 128, 267, 268, 425.
Felicitas 478.
Ferrariensis 403.
Ferrum 110.
Feuerbach 267.
Feuling 284.

Fichte 4, 213, 282, 424, 474, 489, 566, 644.
Fick 283.
Finis necessitas 480.
Fischer 229.
Fissipara gener. 115, 121.
Fleischmann 183.
Flora 185, 195.
Florel 356.
Flos 74, 75.
Flourens 110, 131, 148, 207.
Flügel 353.
Foecundatio 75, 86, 119.
Fontaine 279.
Fontana 71.
Forma substantialis 80, 86-89, 251, 357, 359, 546, corporeit. 550, cadaverica 551.
Frank 77.
Fredault 307.
Freke 146.
Fremy 137.
Frey 71.
Froschammer 522.

Galenus 532.
Gall 385, 417.
Galluppi 320.
Gardaire 337.
Gassendi P. 335.
Gaudry 165, 189.
Gemelli 85, 140, 150, 202, 203, 573.
Gemmipara 115, 123.
Generatio 103-106, diversi modi 115, 110, *spontanea* quid 131, 139, *revicitur* 132-145.
Generationismus 522.
Geoffroy Isidorus 177.
Gentile Io. 283.
Geologia 184, 187, 189.
Gerdy 308.
Giordano Bruno 30.
Glogau 353.
Gnostici 534.
Gomez de Percira 336.
Gosselet 189.
Grand'Eury 189.
Gratiolet 136.
Grégoire 78.
Gregorianum 283.
Gregorius Ariminensis 271.
Gründer 285, 289, 291.
Guenther 195, 468, 535, 564.
Guibert 137, 143, 145, 171.
Gutberlet 256, 285.

Haeckel 4, 52, 126, 132, 145, eius doctrina 148, 150, refutatur 154, 155, 187, 200, 202.
Haereditatis phaenom. 122, 126.
Haldemann 146.
Hamänn 201, 572.
Harmonia praestabilita 559.
Hartmann 129, 197.
Harvey 130, 139, 200.
Haté 191.
Hebert 148.
Hegel 4, 8, 23, 78, 213, 221, 282, 424.
Helmoltz 8, 136, 283.
Helvetius 381, 417.
Henricus Gandavensis 271.
Heraclitus 76.
Herbart 8, 234, 424, 489.
Herophilus 574.
Herrera 144.
Hertwig O. 79, 115, 131, 140, 193.
Hertwig R. 140, 149, 573.
Hesse-Döflein 77, 131, 337.
Histologia 6, 73.
His William 193, 201.
Hobbes 266, 281.
Hofbach 267.
Höffding 7, 267.
Homerus 2.
Homo 363, eius anima 513-522, est una 535-539, compon. cum corp. 540-546, uti forma 546-550, eius identitas, tò Ego 562-570, unitas specif. 570, differt a brut. 571, non est productus per transform. 572.
Hovelaque 570.
Hubert 146.

Hugon O. P. 164.
Hume 23, 78, 281.
Huss 489.
Hy 166.
Hydrae 153.
Hydrogenium 110.
Hylozoismus 30.
Hypoblastum 73.
Hyxley 139, 144, 148, 267.

Iacobi 48.
Iacobus de Forolivio 87.
Iansenius 489.
Ichthyornis 226.
Ideae innatae 390, 419, 423, v. Conceptus.
Idealismus subiectivus 225, 281.
Idealistae 8, 217, 281, 283, 306, 419.
Illuminatio intellectus 397, 399, 403, 409.
Immacul. Conceptio B. V. M. 531.
Immanentia 390, 426.
Immortalitas 515, 522.
Indifferentia activa 486.
Inductio gignit iudicia 436, 437.
Influxus physicus 555, 558.
Instinctus quid 327, 339, 496.
Intellectio quid 447-450, disting. a verb. 450-456, in quonam actu 456-460.
Intellectus 363, obiectum 364, 370, est spirit 381-386, differt a sensu 386-388, determinatur a rebus 391-397.
» *agens* 398, munera 397-400, requiritur 409, quomodo agit 402-414, disting. a possib. 414, practicus 470.
Intentionalis similitudo 214-216, 247.
Ioannes a S. Thoma 370, 371, 403, 404.
Ioannes Damascenus (S.) 451, 463.
Irascibilis 505.
Isoll 425.

Iudicia ex exper. 428-431, sunt synth. 431-434, praecedunt anal. 434, caeca 460, non eliciuntur a vol. 461.

Jager-Gustavus 182.
Janet Paulus 96.
James William 566.
Joly 130.
Jouffroy Th. 533.

Kant 213, 266, 281, falsitas meth. 435, 437, 439, 473, 565.
Kassovitz 150.
Keyserling 146.
Klaatsch ex Heidelberg 572.
Kleutgen 218.
Koken 183, 184.
Kölliker 150, 197.
Krause 71.
Küchenmeister 139.

Laas 283.
Lahousse 300, 301.
Lamark 4, 68, 146, 158, 416.
Lamy 307.
Landois 109.
Landry 308.
Laurent de Jussieu 177.
Le Clerc 642, 533.
Lecomte 187, 195.
Le Dantec 200.
Le Grand 337.
Leibniz 221, 270, 419, 465, 469, 474, 489, 494, 533.
Leo XIII. S. P. 93, 509.
Leroy 192, 196.
Leucippus 76.
Leueckart 139.
Lex biogenetica 191, 195.
Liberatore 21, 66, 526.
Libertas quid 485, quotupl. 487, existit 489-499, sub influxu appetitus sens. 499-504, peccandi 508, falsa 509.
Liebmann 283.
Liebig 109, 131.
Lindner 489.

Linneus 168, 177, 179.
Littlefield 143.
Littré 140, 417, 555, 564, 568.
Locke 23, 78, 281, 285.
Locomotiva facultas 351.
Loeventhal 382.
Loew 109.
Lombroso 489.
Lossada 107, 130.
Lotze 8, 424.
Lublock 191.
Luciani 83.
Luciferiani 522.
Lucretius Carus 145, 266, 416.
Lucta pro existentia 147, 199.
Lumen quid 295-296, 301, lumen infell. ag. 298-406.
Lutherus 489.
Lympha 56, 112.

Mach 417.
Macmanara 573.
Maggi 200.
Magnesium 110.
Magnum sympathicum 346
Malebranche 58, 224, 281, 390, 461, 462, 556.
Malum 550.
Manichaei 109, 522, 532, 563.
Mantegazza 131.
Manzoni 298.
Materialismus 148, 262, 266, 390, 416.
Mattew Fabricius 146.
Matthissi 285.
Maurus Silvester 223, 254.
Mechanicistae 31, 77.
Medicina 7.
Melanchton 1.
Melchior Canus 519.
Memoria 328, sensitiva 330, intellectiva 466-468.
Mendive 318.
Mercier (Card.) 277, 279, 285, 286, 349.
Metempsychosis 2, repugn. 563.
Methodus recta 7, falsa 8
Meunier 197.
Meynert 256.
Michelet 251.
Mignon 145.
Mill St. 8, 417.
Milne-Edwards 49, 79, 87, 131, 144, 174, 193.
Mivart 195.
Molecula 71.
Moleschott 131, 267, 381, 417.
Monera 148.
Monismus 34, 148, 560.
Monocellularis 73.
Morgan 352.
Morphologia 6, 195.
Morton 208.
Mousset 130.
Müller 8, 109, 191, 207, 283, 572.
Myers 5.

Nägeli 150.
Naudin 146.
Natrium 120.
Necessitas intrinseca 478, a coactione 479, finis 480.
Neoplatonici 270, 280, 424.
Neoscholastici 286.
Nervi animales 275.
Neumeister 77.
Nitrogenium 110.
Novatores 389.
Nucleus 71, ex nucleo 140.
Nutritio 37, 103, 112.

Obiectum sensuum quomodo est in rebus 286-306.
Ockam 226, 235, 534.
Ontologi 8, 227, 390, 400, 426.
Organicistae 75.
Organismus 16, 26, 27, 49.
Origenes 525, 563.
Ornithocephalus 187.
Ostler 285.
Ovum 115, 118, 122.
Oxigenium 110.
Owen 146, 207.

Palaeontologia contra transformism. 184-191, 572, 573.

Palmieri 82, 88, 208, 217, 547.
Pampsýchismus 30, 126, 129.
Pantheistae 8, 31, 152, 156.
Paracelsus 78.
Passio animalis 504, quot 506, eius bonitas 507.
Pasteur 130, 139, 143.
Paulsen 126, 425, 489.
Payen 130, 142.
Payot 497.
Perrier 55, 182, 185, 193.
Persona 565, 567.
Pesch 111, 148, 164, 213, 265, 277, 289, 413 451.
Pestalozza 557.
Pfaff 184, 201.
Phantasia 320, 325.
Philo 532.
Phosphor 110.
Physicochimica 77, 85.
Phisiologi 87, 170, 174, 177.
Phisiologia 7, 268.
Pignataro 167.
Pithecanthropus 200, 572.
Pius IX, S. P. 531, 535.
Planta functiones 74, 100, quid 108, vivit 110-114, anima educitur e pot. mat. 114-122, non sentit 126-128.
Plasticitas viventium 196-198.
Plato 5, 14, 40, 109, 139, 246, 397, 419, 422, 488, 532, 574.
Platonîci 239, 340.
Plotinus 281.
Pluricellularis 49, 54.
Plutarchus 145, 353, 574.
Pneumogastricus 346.
Pollen 115, 117, 122.
Polyphiletica evolutio 150.
Positivismus 389, 416, 417.
Potentiae specificantur per actus 44-47.
Pouchet 130, 142, 143.
Prichard 207.
Principium causalit., identitatis 441, 443.
Prochordata 187.
Promammalia 187.
Pronucleus 124.
Proost 131, 143.
Protagoras 281.
Protammion 187.
Protoplasma 71, 193.
Protopterus 186.
Protornis 187.
Protovertebrata 187.
Psychologia 1, experiment. 3, 7, quid 5, object. 6, method. 7, fontes 8, principia 10, praestantia 11.
Pythagoras 30, 522, 574.
Pythagorici 2, 353.

Qualitas sensibilis est in rebus 286-293, et formaliter 303, eius natura 294-303.
Quatrefages (de) 79, 135, 141, 146, 149, 176, 178, 182, 198.
Quetelet 497.
Quidditas abstracta 370-374 determinata 442.

Rafinesque 146.
Ranke 207.
Ratio 468, 469.
Rauff 573.
Ray 176.
Reale 71.
Redi Franciscus 130, 139.
Reid 288.
Reinke J. 79, 110, 122, 127, 136, 150, 184.
Remer 550.
Robinet 120, 126.
Ribot 4, 7, 206, 417.
Richard 178.
Richerand 68, 126.
Richet 569.
Reminiscentia 331, 332.
Rosminius 256, sensus fundam 319, de orig. conc. 390, 419, 421, 422, de unione animae cum corp. 555.
Roux 144.
Rubius 80.
Rutimayer 201.

Sachs 109.
Saint-Hilaire Geoffroy 150, 177.
Saisset 259.
Salis-Seewis 45, 53, 55, 57, 60, 145, 303.
Sanctio legis 492, 518.
Sanguis habet animam 56.
Sanseverino 227.
Schaafhausen 146.
Schelling 4, 282.
Schiffini 257, 258, 452.
Schlater 200.
Schleiden 109.
Schmid 140.
Schneider 77.
Schopenauer, 33, 68, 120, 283, 382, 424, 474, 489.
Shultze 71.
Schuppe 283, 424.
Schwalbe 573.
Schwammerdan 130.
Schwan 71, 200.
Scotistae 276, 401.
Scotus 86, 246, 317, 376, 451.
Selectio naturalis 115, 148, 197, 199.
Semen 74, 87, 91, 115, necessarium ad generation 129, 138.
Semper Carolus 201.
Sensatio est cognitio 255, 262, determinatur, ab obiecto 262-266 est vera actio 266-270, fit in organis 270-279.
Sensus quid 255 eius obiect. 258 260, quomodo immutatur 262-270.
Siebeck 2, 3.
Singulare 375, cognoscitur indirecte 376-381.
Sitis 314.
Socrates 2, 488.
Somnium 323, 324.
Somnus 323.
Sonus 295, 296, 300, 302.
Spallanzani 130.
Species intentionalis 226, 229-232, eius natura 236-242, impressa 243, 245, 248, expressa 244, 444, 448.
Species humana est una 207-209.
Species physiologica 176, non mutatur 198-205, systematica potest mutari 204-206.
Spencer 4, 69, 146, eius systema 150., 151, refutatur 155, 156, 267, 436, 479.
Spinoza 3, 78, 489.
Spirituale 381.
Spongiaria animalia 52.
Stahl 67, 78.
Stebel 139.
Steinmann 150.
Stirps 178.
Stoici 522, 574.
Strassburger 140, 200.
Strato 574.
Strauss 208.
Suarez 6, 11, 14, 32, 92, 204, 226 261, 290, 295, 296, 393, 397-400 415.
Subiectivismus v. *idealistae*.
Synderesis 463, 470, 479.
Swammerdam 71, 130.

Taine 267, 269, 417.
Textum organismi multiplex 74.
Theophrastus 280.
Theosophismus 638.
Thomas (S.) Aquinas, passim.
Thomistae 376, 403, 454.
Thompson 136, 139.
Toletus 1, 446, 451, 539.
Tolland 436.
Tongiorgi 67, 88, 319, 400, 469.
Toulouse 3.
Tournefort 146, 176.
Traditionalismus 390, 424, 426.
Traducianismus 522.
Transformismus 145, alheus refellitur 152-160, moderatus 150, metaphysice non repugnat 168-171, sed physice 171-173 opponitur experientiae

174-198, 572-575, repugnat quoad anim. 527.
Trécul 112, 131, 137.
Trichotomia 533, 534.
Tyndall 131, 139, 143, 381.

Unger 109.
Universale prius cognosc. 374.
Urraburu 59, 62, 69, 95, 156, 169 296, 403, 616.

Vacant 338.
Valentia 539.
Valentini 78.
Van Beneden 139.
Van Helmont 78, 142.
Vanini 30.
Verbum quid 444-448, quomodo fit 448-450, quomodo distinguitur 450-456.
Vervoon 132.
Virchow 32, 52, 71, 109, 131, 140 200, 207, 227, 381, 573.
Virginitas 106.
Vita quid 14, in actu secundo 22, 23, in actu primo 24, 48, definitio 66-69, origo 139-145.
Vita vegetativa 39, 70, operationes 103-106, potentiae 106.
Vitalismus 78.
Vivens 1, quid 15-20, specifice differt 34-38, proprietates 35-38 diversi gradus 39-44, est unum non colonia cell. 49 56.
Vogt 148, 149, 285, 381, 417.
Volkmann 8, 10, 465, 474, 489.
Voltaire 570.
Voluntarium 475.
Voluntas 474 obiect. adaeq. 475 477, 485, ut natura 484, movet facultat. 458, est libera 485-499, spiritual. 510-512.
Von Ulxcüll 337.

Waagen 183.
Wagner 101.
Wahle 417.
Wallace 140.
Wasmann 18, 32, 115, 125, 140, 150, 163, 171, 196, 200, 203, eius sententia 204, 205, 352, 355 573, 575.
Weber 4, 8.
Weismann 150, 200.
Wicleff 483.
Wiedersheim 572.
Wigand 180, 181.
Willes 417, 555.
Wolf 1, 270, 469, 474, 555.
Wundt 4, 8, 9, 78, 126, 353, 425, 465.

Zeller 2.
Zeno 32.
Ziegler 355.
Ziehen 3.
Zittel 150, 181, 184.
Zolle 417.
Zwammerdan 139.

150.2
M 741

22450

MONACO, NICOLAUS
AUTHOR

De Viventibus seu Psychologia
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Jos MAY 3	
	Nadels	
	STORAGE - CBP	

22450